C. Brouwer

METROPOLIS
ECCLESIAE TREVERICAE,

QUAE

METROPOLITANAE ECCLESIAE

ORIGINEM, JURA, DECUS, OFFICIA;

TUM

SUBJECTORUM ILLI EPISCOPATUUM, REGIONUM, URBIUM, ECCLESIARUM, ABBATIARUM

ET

MONASTERIORUM

ORTUS PROGRESSUSQUE

PER

ARCHIDIOECESIN TREVIRENSEM

COMPLECTITUR.

BROWERI ET MASENII S. J. OPUS

EMENDAVIT, AUXIT, EDIDIT

CHRISTIANUS DE STRAMBERG.

TOMUS I.

CONFLUENTIBUS,

SUMPTIBUS ET TYPIS RUDOLPHI FRIDERICI HERGT.

1855.

I

BENEVOLO LECTORI.

Haec metropolis partim a Browero, partim a Masenio collecta, et ab hoc ultimo digesta et composita, censura nostrorum patrum approbata fuit, sed postea a consiliariis principis, cum typo tradenda esset, suspensa, praecipue quod terminos dioecesis quosdam disputationi obnoxios dicerent, melius ante, ex archivii et archidiaconatuum divisionibus designandos. Unde ultima manus a compositore non adhibita, et errata quaedam grammaticalia non correcta. Tum obscurior hinc inde sensus et constructio, quarundam additione aut subtractione vocum emendanda, quae auctori non vacabat, aut lubebat, re neglecta, praestare.

(Annotatio P. rectoris collegii Trevirensis S. J.)

REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO

GUILELMO ARNOLDI,

EPISCOPO TREVIRENSI,

SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI,

DOMINO GRATIOSISSIMO.

Tandem sub auspiciis Dignitatis tuae episcopalis desideratam jam diu Metropolim ecclesiae Trevericae et rerum in illa gestarum historiam producimus. Magnum illa superioribus annis impedimentum, quin prodiret, perpessa est; temporum enim bellicorum injuria ad quosdam scopulos impegerat, qui nunc tempestate quodammodo sedata evitantur, atque adspirante benigniore favoris auxiliique Dignitatis tuae episcopalis aura ad portum stationemque tranquilliorem educitur, postquam vires illi opesque benevolente animo liberalique manu suppeditantur. Unde ingratus sane existerem, si tantorum beneficiorum ab optimo Mecaenate profectorum immemor, hanc Metro-

polim alterius, quam patroni usque adeo munifici nomini inscriberem.

Metropolim exhibemus non eo vocis rigore, quo praecipuam tantum urbium, id est, Augustam Trevirorum complectitur, sed quo in societatem trahit, quidquid ecclesiastico jure olim a metropolitana ejus loci ecclesia ejusque capite Archiepiscopo dependebat. Hic rerum status utique, Deo ita disponente, immutatus est; titulum tamen in literarum monumentis ubique reperimus. Titulum hunc fixit praeliminari operis sui R. P. Browerus, quando et ipse, admota manu non pauca in hanc rem contulit. Titulum hunc et omnia illa, quae a primaevis operis

istius scriptoribus adornata fuerunt, nos pariter retinemus. Experta semper est dioecesis Trevirensis a nata primum in hisce oris orthodoxa religione, et ab apostolis inviolata ad nos serie ejusdem doctrinae et fidei Episcoporum traducta, singulare Divorum atque imprimis magnae Dei Genitricis patrocinium, ut hoc praeterire nefas sit, quando tot arae, atque ecclesiarum monumenta olim et partim adhuc existentia aequis aestimatoribus testimonia indubitata esse possunt.

Ad tuae igitur manus protectionem, Reverendissime Domine Episcope, opus istud historicum Metropolis ecclesiae Trevericae a Rev. P. Browero, societatis Jesu, in-

coeptum, a R. P. Masenio prosecutum, nunc vero ad optatum finem perductum remittimus, confidentes, illud cum consilio auxilioque Dignitatis tuae episcopalis ex privatis tenebris ad lucem publicam eductum, aliquo pro gloria Dei frui honore ac libertate, nec non posteritati prodesse.

Confluentibus calendis septembris MDCCCLV.

RUD. FRID. HERGT.

REVEREndissimis,

ET

PERILLUSTRIBUS, ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, NOBILIBUS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS, ORNATISSIMISQUE

DOMINIS DOMINIS

EPISCOPIS, PRÆLATIS, PROCERIBUS, PRÆFECTIS, CONSULIBUS, ET STATIBUS ARCHIDIOECESIS ET PATRIAE TREVIRENSIS.

Quae vestra est, inclyti proceres metropolis, atque ex popularibus historiarum monumentis diversa aliquantulum, quam annales, methodo digesta, haec ad vestrum jure patrocinium respicit. Non enim aliena dabimus, sub peregrino nata coelo, aut ab India Aethiopibusque petita, sed quae ex patrio collecta solo, Trevericoque, ac cognato orta sanguine majorum vestrorum gesta, decora, virtutem, gloriamque, ac habitatam regionem, quantumvis rudi penicillo exprimunt, et velut in imagine proponunt intuenda.

Qui se, suosque, qui patriam ac natalis soli topographiam amat, qui virtutum amore capitur et honesta gloriae oblec-

tatione tenetur, haec non poterit caperata fronte, et averso a veritate animo durus aspernari. Vestra ego singulorum hoc loco factorum, virtutumque ornamenta non tangam, quod hoc ut labore infinitum, ita ex comparatione odiosum futurum autumem. Majorum tamen vestrorum facinora ad posteritatis non ingratam memoriam hisce in fastis suggerentur, ut, si laude digna sint, ad imitationem invitent; si offensioni obnoxia sint, excitent ad cautelam. Cum tamen recte factorum ut gratior, ita constantior apud posteros recordatio vigeat, mihi quoque de eorum virtutibus copiosior seges erit disserendi. Quodsi igitur Romanis quondam orbis dominatoribus gloriosum fuit jucundumque antiquas fumosasque proavorum intueri, atque in publicum etiam solemnioribus in pompis imagines, cum brevi factorum epigraphe producere, illorum consuetudinem si fuero in praesenti tractatione rerum aemulatus, et compendiosam quandam praecipuorum facinorum delineationem ceu imaginem ectyponque virtutum exhibuero, non ingratam me posteritati, in his majorum suorum, velut simulacris, e tenebris atque oblivione, publica in luce producendis navasse operam censebo. Videbitis hic (qui est amor religionis ac pietatis apud vos) illibatam orthodoxae fidei a primis ad nos usque majoribus eodem religionis usu cultuque, quo instituta fuit, propagationem, jamque sub Constantino magno illa viguisse ecclesiarum et sacrorum decora, quae hodiedum frendentibus nequicquam adversariis catholicorum rituum late celebrantur. Adeoque singularem hanc majoribus, vobisque laudem deberi, quod in suscepta semel et primis quidem apostolorum temporibus fide, nulla, neque aetate, neque persecutione deflexerint. Invenient monasteria religiosorum

hominum jamtum sub Constantino ad vitam communi lege disciplinaque sanctius colendam instituta, quae suum ad nos usque decus, vigoremque transmittant, obluctantibus frustra ecclesiae rebellibus, et quorum sanctitatem aemulari non possunt, horum evertere mores legesque cupientibus, ut ex oculis mortalium auferantur, qui illorum cupiditates, atque impietatem sua continentia, ac pietate castigant. Et quis neget, hinc solatium ingens episcopis, praelatisque ecclesiarum, ac monasteriorum oboriri, quando tot illustres, eximiosque sui ordinis majores, iisdem in mitris ante se conspicuos, iisdem in officiis sedulos, eadem in disciplina vigilantes Deo inserviisse, hominibusque praefuisse intelligunt, qui praecipuum a virtute decus mutuati, calcar sequentibus subjiciunt, ne a trita laudataque antecessorum suorum semita deflectant, subinde velut ingerentes decantatum versum:

Non minor est virtus, quam quaerere parta tueri.

Reperient et antiquae nobilitatis viri tot olim generosas ex sua stirpe animas, desertis honore, et opibus, atque iis, quas mundus afferebat, voluptatibus, sanctam, castigatamque, vel in aliquo religiosorum hominum asceterio, vel certe in alicujus ecclesiae ministerio, et arctiori olim clericorum instituto delegisse vitam, atque hinc denique non sine praeclara nominis sui memoria, ac saepe etiam sanctitatis laude, meritorum Divinorum plenos ad immortalem gloriam emigrasse; quorum, si saeculo haesissent, una cum morte omnis memoria, decusque evanuisset. Videbunt quanta a multis liberalitate conditae fundataeque ecclesiae, cum monasteriis sint integris quandoque, non dicam praediis, possessionibusque, sed regio-

nibus quoque in usum illorum, et Divinae servitutis religiosaeque vitae conservationem transscriptis. Unde quod tot per hanc archidioecesin hominum Deo servientium coenobia, tot illustria canonicorum surgant collegia, tot Dei Divorumque ecclesiae, tot monasticae vitae utriusque sexus asceteria, tam florens, cultaque sacrorum religio, tam constans fides, pietasque, hoc proceribus, nobilibusque hujus archidioecesis viris, quorum et fervens devotio, et frequens profusaque in Dei servos liberalitas et magnificentia spectata est, inprimis debetur, ut idcirco curae mihi fuerit, quantum fas, ab ipsa fundationum origine, praecipuarum ecclesiarum principia, auctoresque investigare.

Quocirca si ad posteritatem hasce lucubrationes meas dirigam, quibus cum majorum virtute, eorum beneficia, rudi Minerva adumbrata propono, ut eorum memoriam ab oblivione vindicem, possessoresque horum beneficiorum cum grata recordatione ad majorum venerationem invitem, officio me utcunque meo functum arbitrabor. Videant, legant, tueantur, memores eorum, quae in proavis suis laudant ac venerantur, haec in se, suisque aliquando observanda, nilque in opibus, honoribusque mundi hujus esse, quod praeter unicum virtutis decus perseveret, hoc vero, ut illis perpetuumque sit, opto, precorque,

Dominationum vestrarum,

devotissimus in Christo servus,

JACOBUS MASENIUS.

AD LECTOREM.

Metropolim exhibeo, non eo rigore vocis, quo praecipuam urbium tantum, quae supra reliquas ejusdem archidioecesis eminet, hoc est Augustam Trevirorum complectitur, sed quo in societatem trahit quidquid tam politico, quam ecclesiastico jure a metropolitana ejus loci ecclesia, summoque ejus capite, archiepiscopo, dependet ac regitur, quo nomine nec illas quidem Galliarum, Lotharingiae ac Lutzelburgiorum ecclesias separamus, quae licet politico aliorum principum sceptro pareant, archiepiscopale tamen Trevirorum pedum devinctae venerantur. Verbo ad metropolim revocamus, quidquid metropolitanae hujus urbis basilicae, ecclesiasticaeque, ac civili ipsius jurisdictioni quoquo modo obligatum tenetur. Titulum hunc fixit praeliminari Browerus olim, quando et ipse admota manu non pauca in hanc rem contulit. Illaque, quae in multorum bibliothecis aut descripta, aut typo vulgata

etiam (ut apud Bucelinum de abbatiis Trevericis videre est, qui Broweriana saepe scripta ad verbum usurpat) hodiedum leguntur, animo, calamoque suo complexus est. Sed cum interceptus labor morte haeserit, mihique operis absolvendi demandata cura sit, ut titulum movere loco, religioni mihi duxi, ita quae perfectionem aliquam ab ipsius manu consecuta sunt, iis mihi non censui abstinendum, memor, quam industrii, gravis, prudentisque scriptoris premam vestigia, cum tamen imperfecta pleraque et vel multis aucta partibus vel mutata, formam a prioribus longe diversam induant, ut in locupletiori instructione suppeditata necesse erat, veritus sum ejusdem vulgare nomine, quod leviter immutatum solisque locupletatum annotationibus non poterat exhiberi. Cum et integri rerum tractatus ab eo praeteriti, et vix quidquam sua sit absolutione terminatum. Aequi igitur bonique et ipsius laborem et meum studium lector consulet, quod huic labori impenditur; non futurus immemor, quam difficile scriptori fuerit, in tot particularium rerum et adjunctis eorundem omnem offensionem subterfugere. Quanquam praecipua hujus nostrae metropolis capita cum eorum etiam locorum, quos spectant, dominis communicata sint, et a publicis privatisque diversarum ordinum censoribus expensa, priusquam typis hisce vulgarentur, ut meae hac in parte cautioni vix quicquam defuisse existimem. In diversis plura etiam suspicioni incertitudinis obnoxia praeterire, quam ad historiae fidem, nimia credulitate infringendam labe-

factari malui. Neque enim sum nescius, quam multa ab iis, quibus catholicorum sacra, religionisque studia minus probantur, ad suspiciosae lividaeque mentis judicium excutienda sint. Quorum tamen carbones veritate, praesertim istic, ubi de intercessione et patrocinio Sanctorum sermo est, timide dissimulata non censui formidandos. Experta semper est Treviris a nata primum in hisce oris orthodoxa religione, et ab apostolis inviolata ad nos serie, ejusdem doctrinae et fidei episcoporum traducta, singulare Divorum, atque inprimis magnae Dei Matris patrocinium, ut hoc praeterire vano obtrectantium metu nefas esse duxerim, singulis etiam recensendis inhaerere supervacaneum. Quando tot arae atque ecclesiarum monumenta, tot supplicantium ab omni retro aetate ad nos traducti ritus, testimonia aequis aestimatoribus indubitata esse possunt, debentque exploratae multorum opis, subsidiisque in variis afflictionibus praestiti, quibus si quis fidem perfricta fronte neget, fidem nullam meretur, citius errorem suum, quam hallucinantis scriptoris mundo probaturus. Quare ut institutae hujus a me scriptionis rationem studiosus lector assequatur, noverit metropolim hanc politicis, locorumque descriptionibus parcius, et ut ad ecclesiastici praecipue ordinis, disciplinaeque rationem illustrandam faciunt, immorari. Origines vero, progressusque praecipuarum hujus archidioecesis ecclesiarum et hierarchici in iisdem ordinis, episcopatuum, archidiaconatuum, monasteriorum situs, ortum, leges, incre-

menta, defectusque, ac rectores eorundem, quantum assequi licuit, expendere, ut majorum nostrorum vita, atque indoles, velut in speculo quodam objecta posteris, ad honestatis virtutisque, cujus unica atque perpetua, caeteris intereuntibus, laus est, generosos quosque animos aeternae cupiditate gloriae inflammatos invitet. Caetera quae ad archidioecesis descriptionem faciunt, et in proparasceve Broweriana fuere praeterita, hic suis interpolata locis quandam velut in polymita veste ex varietate gratiam conciliabunt, quanquam suo etiam jure locum ampliorem possent mereri, nisi modum in re prolixa tenere satius visum fuisset. Tu his, si lubet, ad tuam, proximique utilitatem, ac Divini nominis gloriam, cui laborem hunc nostrum ex asse dicatum volumus, benevolo animo fruaris.

PERBREVIS

NOTITIA,

VITAM, FATA, SCRIPTAQUE PERLUSTRANS

RR. PP. CHRISTOPHORI BROWERI

ET

JACOBI MASENII S. J.

R. P. CHRISTOPHORUS BROWERUS, natione Belga, Arnhemii in Geldria anno Domini 1580, die 12. martii natus in societatem Jesu Coloniae admissus est. In juventute sua animum politioribus literarum studiis expolivit; sacrae theologiae et historiae ecclesiasticae incubuit: philosophiam etiam Treviris laudabiliter professus est, postea collegii Fuldensis rector. Antiquitatis tum ecclesiasticae, tum profanae, eruendae feliciter studiosus, quo nomine a cardinali Baronio tomo annal. eccles. X. mirifice aliquoties laudatur. Quanta viri virtus fuerit et amor in societatem, ex hoc uno dignosci potest, quod inter ultima ejus verba, quae effatus est, a superiore collegii Trevirensis (ubi diem supremum obiit) exceptum est. Nam cum variis morbis multos jam annos exagitatus fuisset, arthritide, podagra, calculo, horum asseclis symtomatis, biduo ante mortem rogatus, num quid eum gravaret? respondit complicatis magno affectu manibus: *O divina providentia, quam bonum est in societate*

mori! et paulo post lethargo oppressus, pie in Domino obiit die 2. junii 1617, aetatis 58, religionis 37.

Browerus evulgavit *Venantium Fortunatum* a se notis *illustratum* ac novis tractatibus auctum, qui tomo VI. bibliothecae magnae patrum insertus est. *Hrabani Mauri poëmata cum notis*, Moguntiae apud Antonium Hieratum 1626 in fol. *Antiquitatum Fuldensium libros IV.* Antwerpiae typis Plantinianis Moreti 1612 in 4°. *Sidera illustrium et sanctorum virorum, qui Germaniam, praesertim magnam, olim rebus gestis ornarunt, e manuscriptis in lucem eruta*, Moguntiae 1616 in 4°. *Antiquitatum et annalium Trevirensium libri XXII.* Coloniae, 1626, post auctoris obitum typis dati sunt.

R. P. Jacobus Masenius oppido Dalensi Ducatus Juliae anno 1629 natus, societatem Jesu, quam Treviris ingressus est, plurimum illustravit. Prout erat prompti et per multam lectionem expediti ingenii, ac peracuti in re literaria judicii, facilis styli atque ornatae scriptionis, ita libros suos quam plurimorum similium ac symbolorum mixtura et antiquitatum varietate condiebat. Est autem plurimorum operum auctor de rebus poëticis, rhetoricis, politicis et asceticis, repetitis editionibus probatorum, maxime autem historicorum, inter quae eminent *Libri III. annalium Trevirensium*, quos XXII. Browerianis adjunxit, praeter *notas et additiones* in annalium Broweri Proparasceven et libros (Leodii 1670). Item *Metropolis ecclesiae Trevericae &c.*

CONSPECTUS OPERIS

METROPOLIS ECCLESIAE TREVERICAE.

Absolutis XXII. annalium Trevirensium libris coeperat Browerus ad majorem rerum Trevirensium notitiam aliud opus digerere hoc titulo: *Metropolis ecclesiae Trevericae, quae metropolitanae ecclesiae originem, jura, decus, officia; tum subjectorum illi episcopatuum, regionum, urbium, ecclesiarum, abbatiarum et monasteriorum ortus progressusque per archidioecesin Trevirensem complectitur.* Quam in rem non pauca, quae in multorum bibliothecis aut archivis delituerunt, animo calamoque jam complexus erat. Sed cum interceptus morte labor haeserit, Jacobo Masenio operis perficiendi cura demandata est, qui antecessoris sui vestigia premens, ejusdem scripta vel multis partibus aucta, vel mutata, circa annum 1669 in eam, qua hodie conspiciuntur, formam redegit. Universum opus in sex libros distinctum est: horum primo pluribus capitibus de ortu et institutione vitae communis primaevorum christianorum, de veterum clericorum coenobio et antiquissima vivendi ratione, demum de ordine hierarchico universim tractatur.

Post generalia haec, cap. IV. V. et VI. quam late olim Treverica dioecesis et nostrorum antistitum jurisdictio extensa fuerit, disquiritur; Trevirensis ecclesiae primatus stabilitur, ac de metropolitico Trevirorum jure, hujusque origine disseritur.

Ejusdem libri I. capitibus VI. VII. &c. usque ad XII. disseritur de metropolis nostrae religione ac sanctitate; de peregrinorum et poenitentium ad Treviros accessu; de supplicationum apud nos tam domesticarum quam exterarum frequentia ac varietate; de miraculorum in hac archidioecesi, praecipue vero curationum gratia. De literis et viris literatis patriis agitur cap. XIII.

Libri II. septem prioribus capitibus Trevericam archidioecesin in quinque archidiaconatus, hos in rurales diaconatus nostri partiuntur.

Capite IX. specialiter tractatur de origine, nobilitate aliisque metropolitanae Trevirensis decoribus; ubi quotquot e vetustis tabulis in corpore annalium et alibi scriptoribus nostris obvenerunt, nomina praepositorum, decanorum, et archidiaconorum, chronologica serie enumerantur. Sequenti capite metropolitani templi forma et monumenta describuntur. Capite XI. recensentur sacrae reliquiae in metropolitana hac domo servatae.

Quae proxime sequuntur capita a XIII. ad XXIX. singulas archidioeceseos collegiatas ita praesentant, ut earundem origines, notabiliora fata et viri insigniores facile noscantur.

Antequam Trevericae metropolis librum II. claudant nostri, ejusdem cap. XXXV. et XXXVI. de ordinis Teutonici et Melitensis domibus in Treviris tractant. Equestribus his ordinibus per reliqua libri II. capita subjunguntur collegia canonicorum et canonissarum regularium nobilium juxta regulam S. Augustini viventium. Ex his sunt virorum abbatia Springirsbacensis; nobilium puellarum vero S. Mariae juxta Andernacum vulgo S. Thomae; in insula S. Nicolai, *Stuben* dicta; demum Fraulauteren juxta Sara-Ludovicum: hoc Caesarius *lib. VIII. miraculorum illustr. cap. LI.* (ubi piam suae aetatis duarum virginum contentionem exponit) sub magistrae quondam imperio fuisse meminit, quod nunc abbatissae subditum est. Erant et alii bini ejusdem instituti nobilium parthenones, alius *Mariaeburgi,* mensae archiepiscopali auctoritate pontificia unitus, alius in valle Martyrum in Eifliae limine, qua nunc via Treviris

terra Confluentiam ducimur, fundatum anno 1145, Eugenio sedente, ut literae testantur, ab eo pontifice Richardo abbati Springirsbacensi ea super re datae.

Totum librum III. Browerus et Masenius consecrant instituto divi Benedicti, initio a generaliori notitia monasticae et regularis disciplinae Trevericae dioecesis, praecipue patrum benedictinorum, deducto. Inde singularum ejusdem instituti abbatiarum historiam singulis capitibus complectitur: scilicet S. Maximini, S. Matthiae, B. M. V. ad Martyres, S. Martini; et hae omnes juxta urbis Trevirensis moenia; deinde Prumiensis, Lacensis, Mediolacensis, Tholeyensis, Epternacensis, Luxemburgensis B. M. V., quae omnes virorum sunt; virginum autem Horreense intra Trevirim, Beatissimae Virginis in monte juxta moenia Boppardiae, S. Mariae Magdalenae in Insula superiori prope Confluentiam, SS. Gordiani et Epimachi in inferiori Prumia, denique Juveniacense in Gallico solo uno a Marvilla milliario: et haec omnia illustrium puellarum. His subnectuntur pariter abolita benedictinarum coenobia: videlicet in Schoenaugia quarto a Bingiorum castello lapide, in quo olim floruit B. Elisabeth, revelationum ac prophetiae nec non linguarum dono admirabilis. Non procul inde Viridis Augia, scilicet e regione limitis, quo Romani a Nava flumine et Bingio castello Germaniae primae stativa locaverant. Utrumque horum parthenonum, a comitibus Lurenburgensibus fundatum, pari sorte turbata Germaniae sacra aboleverunt. His addendum Diersteinense monasterium infra Limburgum ad Loganam amnem supra montem quondam situm. Item Walsdorfium in comitatu Idstenio; quae ambo sub directione abbatis S. Matthiae quondam stetere. Demum S. Germani Trevirense, deinde a fratribus conventualibus ord. S. Francisci possessum.

Liber IV., quo orditur tomus II., ordini praemonstratensi et cisterciensi sacer est: In hoc occurrunt virorum abbatiae Arnsteiniana ad Loganam, Wadegotiense supra Sara-Ludovicum, Rommersdorfiana et Seinensis in trans-Rhenano limite. Nobilium sanctimonialium in Roda duabus circiter leucis supra Confluentiam, Mosellam inter et Rhenum, Altenbergensis haud

procul Wetzlaria, Porta Angelica inter Cochemium et Treiss: duo item parthenones extincti, Dorlacensis prope Wetzlariam, memorabilis Caesario *lib. VII. Hist. miraculorum de S. Maria cap. 5.* et Thronensis in Cattimelibocensium nemoroso loco. In *hoc* abbatia Himmerodiensis, Mariae-Stadana, et Aureae Vallis virorum; foeminarum vero nobilium S. Thomae Cantuariensis ad Gelbim amnem, cujus memoria apud Caesarium *lib. II. cap. VI. actorum B. Engelberti.* Machera ad laevam Mosellae ripam infra Berncastellum; ignobilium: S. Catharinae super montem Lintzii ad Rhenum, ad Omnes Sanctos in superiore Wesalia, Vallis Rosarum, quatuor circiter passuum millibus a Mosella subter Clottenam, Pontis Leonini apud Treviros olim, ad suburbanam viam, quae ad S. Matthiam ducit, deinde, monasterio a Gallis anno 1674 diruto, in urbe ipsa ad S. Annam in foro equorum. Moniales in Lehra Confluentiae patribus soc. Jesu locum fecerunt, in propinquam Insulam inferiorem translatae; Warsheimenses infra Confluentes ad Rheni ripam nunc suppressae; monasteriis in Namedi et Affholderbach saeculo 16. extinctis, illo infra Andernacum, hoc in tractu Loganae. Praeter hos tres ejusdem cisterciensis instituti in provincia Luxemburgensi parthenones; Clarefontanus haud procul Arluno, Tiffertangiensis et Bonaeviae primo lapide ab urbe Luxemburgensi occasum versus.

Liber V. de canonicis clericisque regularibus et diversis religiosorum ordinibus tractans, exhibet imprimis collegium regularium canonicorum congregationis Windesheimensis in Eberhardi Clusa, loco miraculis et supplicationum frequentia clarissimo; deinde hospitale Cusanum e regione Berncastelli; demum canonissas regulares S. Augustini Confluentibus ad S. Barbaram, Treviris ad S. Agnetem. Pergitur inde ad collegia soc. Jesu in hac archidioecesi, quorum tria in ipsa metropoli: primarium scilicet collegium, domus primae probationis pro universa provincia Rheni inferioris, et archiepiscopale nobiliumque seminarium. Praeter haec collegium Confluentinum et binae residentiae, una Hadamariae, altera ad S. Goarem. Post tres carthusianorum monasteria, alterum Treviris ad S. Albanum,

alterum Confluentiae in monte S. Beati, tertium ad S. Sixtum in Rettel. His addunt nonnulla monasteria extraordinaria: cruciferorum in monte S. Helenae prope Welschbillig, et Viandae ad Uram fluvium; Wilhelmitarum prope Limburgum ad Loganam, cujus prolapsi reditus Joannes a Petra archiepiscopus ad pauperum usus in hospitale vertit; congregationem virginum juxta institutum b. Petri Forerii et regulam S. Augustini viventium in urbe Trevirensi, in Luxemburgo et Longwyo; Trevirensis domus et illa Luxemburgi hodiedum adhuc subsistunt.

Has religiosorum et sanctimonialium familias eodem lib. V. excipiunt mendicantium ordinum utriusque sexus coenobia, quorum in hac archidioecesi haud parva seges fuit. Habet siquidem *dominicanorum* ordo sua virorum Treviris et Confluentiae; puellarum itidem ibi ad S. Catharinam Senensem, hic ad S. Martinum; tertium simile (nobilium tamen) in Mariaevalle ducatus Luxemburgici; quartum Hadamariae, quintum olim in suburbano Treverico ad S. Barbaram, deinde collegio soc. Jesu Treviris incorporatum. *Franciscanorum* institutum, in varias classes divisum, coenobia imprimis virorum strictioris observantiae habet Boppardiae, Confluentiae, Limburgi, Wetzlariae, Montaburi, Hadamariae, Hachenburgi, Andernaci, Wittliaci et Beurichii. Capucinorum Treviris, Berncastelli, Cochemii, in valle Ehrenbreitsteiniana, Bornhovii, Bacheraci. Moniales ejusdem observantiae: ad S. Claram Treviris in platea Tetradiana: erat id olim poenitentium monasterium ab abbatissis rectum. In eadem urbe tertiae divi Francisci regulae parthenon in hospitali S. Joannis; alius in Besselich prope Confluentes; alii Cardonae, Boppardiae, Limburgi et Epternaci. Deinde monasteria *conventualium*, quorum tria virorum, nempe Treviris, ad S. Germanum, in Merl infra Cellas ad Mosellam et Wesaliae superioris ad Rhenum; Virginum item tria in urbe Trevirensi: ad S. Nicolaum, ad S. Marcum et ad S. Affram; quartum ad Mosellam in Filtzen, quintum in Lotharingorum finibus loco Tetterich nuncupato. Ex ordine *eremitarum S. Augustini* tria erant asceteria, primum Treviris, alterum Sara-

Ludovici, tertium Hildeshemii in Eifliacis montibus; quartum olim floruit in Ehrenbreitsteiniana valle, Lutheri quondam hospitis incolatu notatum, deinde a religiosis habitatoribus desertum; quibus adjungendum parthenon in Camp. Ordo *carmelitarum* insignem conventum habuit Treviris, alium Boppardiae, tertium ad aquas Tönisteinianas in finibus Coloniensium, quartum Beilsteinii ad Mosellam; quibus etiam discalceatorum conventus Confluentinus adnumerandus venit.

Liber denique VI. nostrae metropolis, universi operis postremus, complectitur summam historiae quinque archidioecesi nostrae suffraganeorum episcopatuum, Metensis, Tullensis et Virdunensis, Nanceiensis et sancti Deodati in Gallia, nec non ducatus Luxemburgici, quorum res nostris ut plurimum involutas esse, sibi quilibet persuaderi facile patietur. His adjecta sunt

1. privilegia et documenta universitatis Trevirensis sive epitome historica de rebus in academia Trevirensi gestis;
2. seminarium nobilium ad Sanctum Lambertum Treviris;
3. seminarium archiepiscopale Clementinum Treviris;
4. seminarium clericorum Confluentiae.

Addita pro clausula de natura et virtute diversorum per Treviratum fontium et acidularum, quorum medica ope plures sanantur: in his recensentur Bertricenses, Emsanae, Bieresbornianae, Antonianae, Selzenses, Longuianae, et aliae complures.

Meminit ipse Browerus hujus sui laboris tum *annal. Trev. proparascev. cap. XXIII. n. 2.* tum in *sideribus Germaniae* anno 1616, Moguntiae editis, in notis ad vitam Ludovici comitis in Arnstein, occasione monasterii praemonstratensium ab eodem fundati. Broweri et Masenii opus multis tamen in partibus editor emendavit, auxit, usque ad archiepiscopatus extinctionem deduxit.

METROPOLIS

ECCLESIAE TREVERICAE

LIBER I.

CAPUT I.

De origine et instituto vitae christianorum communis.

I. Historiam Trevirorum hactenus per annorum digestam seriem contextu rerum saepius, ut necesse erat, interpolato, dedimus. Nunc aliquanto diversa scriptionis lege, ac methodo, res, regionesque hujus archidioecesis praecipue, atque inprimis ecclesiae ordines, in suas quique classes distributi, cum munerum, locorumque singularium vestigatione exhibendi sunt; perque illustriores reipublicae nostrae christianae partes ita est incedendum, ut cum non pauca in his praeterita, non nulla etiam abrupto historiarum, ex temporum ratione, nexu, prodierint mutila, haec continuato narrationis ductu, ab oblivione vindicentur. Quod ut tanto impetremus facilius, in iis, quae ad ecclesiasticam hierarchiam, locorumque illi in hac archidioecesi subjectorum observationem pertinent, veterum nobis

ante omnia ecclesiarum instituta, quae ab ipsis manarunt apostolis, exploranda sunt, sequentiumque deinde aetates, rationesque temporum in comparationem vocandae, ut in quibus, quantumque et quam justis de causis posteri, Treririque hoc loco nostri deflexerint, inexcussum non transmittatur.

II. Coenobiticae instituto vitae nihil christiana respublica antiquius habuit; siquidem jam in prima apostolicae ecclesiae origine collatis in commune vivendi praesidium facultatibus, opes, resque suas fideles ad pedes apostolorum deponebant, fruituri deinceps non nisi ex aliena voluntate ad victum suppeditatis. Ita nemo eorum aut superfluis abundabat ad lucrum, aut necessariis destituebatur ad indigentiam, nec consiliis minus, quam opibus participantes hoc agebant, ut *multitudinis credentium cor esset, atque anima una,* et tanquam unius membra corporis, ab uno vitam, motumque capite ducerent, uno spiritu motuque vegetarentur.

III. Verum auctis denique vehementer Christi castris, perque integras regiones fusis orthodoxorum copiis, turbata multitudine haec vivendi forma in aliam non procul discrepantem verti coepit. Nam ad episcopos clerumque possessiones ex lege delatae ab illis sunt, qui communis vitae studio tenerentur, ut sacrorum administratores, et ecclesiis et sibi, fidelibusque hinc sua tribuerent. Unde in epistola pontificia Urbanus *videntes,* ait, *sacerdotes summi et reliqui fideles, plus utilitatis posse adferre, si haereditates et agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus praesidebant episcopi, traderent, coeperunt praedia et agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum vivere, ipsae vero res in ditione singularum parochiarum, episcoporumque, qui locum tenent apostolorum, erant,* et Cyprianus, epistola ad Antonianum, de Cornelio, pontifice Romano, asserit: *cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, et edicta feralia passim volitarent, MDCLXIV. homines liberaliter, et copiose ex ecclesiae Romanae patrimonio aluit.*

IV. D. Augustinus, etiam plures sua aetate religiosorum hominum in una quadam coaluisse tradit familia, atque

unius imperio subjectos, castimoniae, sanctitatisque cultu spectatos collaudat et admiratur. *Quis,* inquit, libro de ecclesiae catholicae moribus ([1]), *illos non miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis hujus mundi illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pertinacia turbulenti, nulla invidia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt.*

Et hujus jam dudum instituti sacri ratio per Orientem a primis etiam apostolorum temporibus invaluerat, quod Dionysius Aeropagita in hierarchia sua ecclesiastica monachis, et therapeutis attribuit. De quibus Eusebius ([2]), epistola sua ad Marinum: *neque nuptias,* inquit, *admittunt, neque liberis dant operam, nec rei student familiari, sed tanquam coelites quidam, uni omnium praesidi Deo voluntates suas habent consecratas.* Illustravit hanc vitae rationem, ut alia multa egregie B. Clemens, apostolorum principis discipulus, in epistolis pontificum, per Turrianum adversus obtrectatores munitis, ubi Jerosolymitanos monet diligenter implendum, quod Deo sancte votum, promissumque est, primaeque hoc vitae genus innocentiae protoplastorum, in paradiso adhuc degentium, eorumque felicitati componit.

Non dissimilia de suae aetatis coenobiis, sive clericorum, sive etiam solitariorum, D. Hieronymus (ad Nepot. et Eustoch. de custodia virginum), Prosper (de vitae contemp.), ac Sulpitius (dialogus 1. de vita Orient. monach. et vita S. Martini) locis diversis exponunt, ut hoc vitae genus a primis in Oriente ac deinde et Occidente saeculis viguisse, *nemo prudens, aequusque temporum, rerumque gestarum aestimator* negare possit, nisi forte perverso opinionum, aut religionis incitatus oestro, in veneranda antiquitatum vel neglector vel corruptor sacraria irruat.

---

(1) Cap. 30 et 31.

(2) Cap. 6 et 10, votis obligata apud Simeonem Logothetam in chron. et Turrian. in epist. pontif.

V. Treviri certe primis etiam christianorum saeculis inserendi, utrorumque coenobiorum, quibus vel clerici vel monachi recepti, educatique fuere, nec pauca documenta, atque aedificiorum rudera, vestigiaque jam a Constantini Magni aetate possident; quando cum literis, latens hactenus, obscuraque in apertum solem producta hoc loci religio coepit inclarescere, perque Galliam, et utrumque late Belgium propalam atque in luce, oculisque gentium collocari, ac suis innotescere legibus. Sane quidquid usquam ex hoc genere collegiorum, in ecclesia Gallicana, et in hac prima Belgica illustre fuit, his vixisse legibus, et omnium vitae utilitatem habuisse consociationem, haud obscura superant testimonia. Romanis certe temporibus in Maximino, Paulino, Felice, et eximiis aliis hujus ecclesiae facibus, quaedam coenobii deprehendimus vestigia. Observavimus et urbis excidio superfuisse B. Lupi Tricassini et S. Galli Arvernorum antistitum ex ea disciplina alumnos. Et clericos ab usque Arvernis Theodorico Francorum rege coloniae ritu, in Treviros deductos.

VI. Ex his Nicetium, Galliae et hujus ecclesiae fulgorem, leges vitae communis propagasse, sed intervallo, Chrodegangum apud Mediomatrices, Ebbonem apud Rhemos, B. Wolffgangum apud Treviros, et post hunc Ludolfum Archiepiscopum; contra quam Trithemius existimat majore studio, curaque coenobium inter canonicos instituisse, ac reparasse, longe clarissimum est. Hinc apud basilicas vetustiores per titulos nominumque signa rem tenemus manifestioribus indiciis, cum ejusmodi canonicorum domicilia usu protrito jam claustra, monasteriaque, jam conventus et conventuales ecclesias appellare mos fuit. Et adhuc in iis plane reperies cum fraterno nomine, coenacula, dormitoria, penum, cellas, et reliquas omnes vitae communis officinas.

VII. Animadvertere hac in re olim haud injucundum erat, veteris clerici pervigilem, attentamque curam cum hujus canonici instituti praeceptis et regulis, ex priscorum literis summo studio collectis, membrana quoque conferta vidimus inter antiquissimos primariae bibliothecae codices. Ubi perpetua consuetudine *το κοινοβιον*, sive vitam communem canonicis

Occidentalibus ante DC. annos actam agnoscas, duorum fere magistratuum gubernatione, ac providentia stetisse, decani, sive praelati, qui morum disciplinae, et praepositi, qui infra hunc oeconomiae et rei familiaris curam gerebat. Sub his militabant cantor, cellarius, scholarcha, thesaurarius, quaeque alia adhuc cum functionibus nomina in collegialibus ecclesiis durant. Annonaria res, fabrica, et agricultura tota curationis fuit praepositi: huic incumbebat cultum corporis victumque, frumentum, vinum, obsonia, et quotidiana dimensa expedire, eademque nutu decani, consilioque seniorum, collegis et coenobitis, sanis, infirmis, per cellarii manus, ceu promicondi erogare. Quod praepositi munus oeconomicum tum instituta, legesque canonicorum priscae commendant, tum Egbertus Trevirorum nobilis archiepiscopus diserte confirmat, cum S. Paulini praeposito fundis amplis assignatis, ex his eum jubet debita fratribus administrare stipendia.

At penes decanum, postquam hujus munus a praepositi functione sejunctum fuit, correctio et censura morum viguit, omnesque offensiones et errata publice quidem deprehensa, is de fratrum consilio tribus hisce modis fere punire consuevit, ut delinquentes aut communi mensa, triclinioque arceret, aut verberum disciplina compesceret, aut etiam carcere mulctaret.

VIII. Caeterorum haec una cura, studiumque, vitae communis ordinem, disciplinamque tueri, ex divinarum literarum assidua lectione otii honestissimi fructum carpere, iis omnibus in artibus denique, ac varietate scientiarum diligenter versari, quibus ecclesiastici, divinique cultus majestas, chori et psalmodiae ratio, festorum ac feriarum methodus, et concinnitas, ali, augerique solet. Atque hoc vivendi institutum appellarunt majores ipsi canonicam claustri vitam, hocque interesse tradiderunt inter canonicum, et clericum, quod non clerico, sed uni canonico claustrum, id est, vita regularis, conveniret; omnemque canonicum esse quidem clericum, at non contra, exemplum hoc in clerico converti (1).

(1) Wazonis epistola in gestis Leodiens.

IX. Porro canonicorum institutum Carolus Magnus, filiusque pius Ludovicus tanto in honore habuerunt, ut nascenti Saxonum ecclesiae clerum dederint vitae communis legibus adstrictum, et severioris disciplinae laudibus abundantem. Atque haec tum christianae religioni, cultuique divino propagando sane quam illustria seminaria ex Gallia in Saxoniam traducta quidem observavimus. Cum Halberstadiensis cleri coenobium, gymnasiumque ex Catalaunensi Hildegrino episcopo procurante, Hildenesheimensis vero accersito Rhemis Gunthero, ex Aulicensi vicina Hildenesheimio ecclesia ad cathedralem coetum translato, coaluerit. Unde Albericus, Trium Fontium monachus, Hildenesheimensis ecclesiae primum conventum venisse testatur a Rhemensi ecclesia: Halberstadiensem a Catalaunia.

X. Sed quae communis vitae laus, ratioque cum ipsa religione in Germaniam traducta sit, quid attinet commemorare, quando tot historicorum monumentis compertum tenemus, Willibrordos, Bonifacios, aliosque harum gentium apostolos, cum ipsa christiana fide, haec clericorum, religiosorumque hominum seminaria plantasse atque irrigasse. Unde tam sancta laudabilisque manavit disciplina, quam Bertoldus saeculo Christi undecimo floruisse, illis verbis testatur: *His,* inquit, *temporibus, in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in clericis, et monachis, religiosissime commorantibus, sed etiam in laicis, se, suaque ad eandem communem vitam devotissime offerentibus.* Quae devotorum hominum asceteria apud Treviros jam dudum recepta, etiamnum perstant, cum sero licet in his populis recepta, cito interciderint, apud gentem magis de possessionibus, quam religione majorum sollicitam. Quando tanta libertate parentum suorum donationes in monasteria collatas auferunt, quanta ipsi liberalitate contulerunt.

CAPUT II.

De veterum clericorum coenobio ac vivendi ratione antiquissima.

I. Cleri nomine, quos in ecclesia majores intellexerunt, satis vox ipsa prodit, quae clericos indicat, velut sortem, haereditatemque Deo domino sepositos, antiquitus vitam quandam duxisse humana consuetudine puriorem, et cum episcopis uno, communique sub tecto degisse, legibus, ac certo disciplinae genere devinctos, docent B. Augustinus (1) et Prosper; unde etiam canonicorum postea nomen, ceu regulae et canonis observantiores sortiti sunt. Diserte vero, ut solet, ad Nepotianum scribens B. Hieronymus etymon cleri exposuit. Si enim, cleros, inquit, graece, sors latine appellatur; propterea vocantur clerici vel quia de sorte sunt domini, vel quia dominus ipse sors, id est, pars clericorum est, qui autem ipse pars domini est, vel dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et possideat dominum, et ipse possideatur a domino, qui dum possidet et cum propheta dicit, pars mea dominus, nihil extra dominum habere potest. Ergo clerici prisci moris episcoporum imperiis obstricti, et nullis opibus nisi communiter instructi, vitam in religione communem ducebant, omnibusque notis illis et ornamentis erant insigniti, quibus admodum vita religiosa describi, et a mediocri laicorum officio secerni solet (2). Crescente majorem in modum inde christianorum populo, cleroque partim ad animos hominum evangelii doctrina imbuendos, in paroecias, regionesque varie dispertito; partim tanto augescente, multiplicatis coetibus, numero, ut uno jam domicilio aut episcopio contineri ultra non posset, ardor ille communis vitae et imitationis apostolicae refrixit, nec retineri ubique ob temporum

(1) Aug. sermon. de com. cleric. vita. Prosper cap. 3. et 9.

(2) J. Molan. lib. 1. de can. cap. 6. Hieron. Platus, de bono religiosi statu, l. 2. cap. 23. et 24.

casus potuit. Etsi dioecesi hac Treverica Romanisque adhuc integris rebus, et Francorum Austrasiorumque imperio inprimis floruisse, ac lapsum non nunquam, intervallis tamen rursum emersisse, compertum sit (1).

II. Duplex autem ex hac rerum vicissitudine clericorum genus enatum est, partim eorum, qui communem agebant vitam ritu coenobitarum in eodem cum episcopo contubernio, tanquam consiliorum ejus omnium et curarum ministri, partim qui separatim, episcopi tamen sumptu alebantur et impensis (2). Cujus generis in Africa sub Cypriano (3) vixisse crediderim, quibus de publico ecclesiarum menstrua stipendia nec non promeritorum gradu datae sportulae. Certe in Treviris veterum illustri sanctimonia presbyterorum, quibus ad excolendum rudes christianorum animos, magni quoque terrarum tractus obtigere, excellens in separata vita fuit nomen, quae tamen archiepiscoporum inspectioni subjacebat; ut Quiriaci apud Trevirim, Castoris apud Caradunum, Lubentii ad Loganam apud Transrhenanos, Goaris in Rheni fluminis conspectu apud Trichoriam. Cujus generis olim non minus caruisse proprio, quam qui communi mensa cum episcopo victitabant, et stipendia tamen sua retulisse ad cultum et alimentum probabiliter a multis traditur (4).

III. Porro cum uterque hic ordo prioribus saeculis cleri commune nomen gereret, usus demum obtinuit, ut, qui uno triclinio et cubili utentes sub episcopo vel alio quo antistite, ducerent vitam, hi scilicet audirent canonici, et regulares, seu primigenii apostolorum instituti, ex certa vivendi norma, et regula sectatores. At caeteri seu per rura sparsi, seu ad arctiorem hanc vitam non admissi, sub communi clericorum nomine delitescerent (5). Augustinum perhibent, cum alias

(1) 12. a. q. 2. cap.. quia et cap. scimus et extr. de vita et honest. cler. Durant. lib. 6. divin. offic. de 7 diebus post paschae.

(2) Paulin. in vita S. Ambrosii. Possidius in Augustini vita.

(3) Epist. 24. et 66. ad quam idem observat Pamelius.

(4) Euseb. Alexandrin. serm. de domin. die apud Turrian cit.

(5) B. Gregor. ad August. Anglor. 12. qu. 1. in resp. ad eum cap. 1. et 2.

certum ([1]) habuisset, nullum ordinare clericum, nisi qui communem vitam ducere vellet, mutasse postea consilium, ne deteriorum successu, officii vel mediocris spem corrumperet ([2]). Clericorum tamen parsimonia tam graviter etiam ab imperatoribus christianis vindicari coepit, ut lege civili, Hieronymo ([3]) teste, vetiti sint, majorum cernere haereditates, quia videlicet apostolico ritu, sibi necessitatem imposuissent in commune vivendi, adeoque proprium nihil possidendi, cum alioqui in clerum vis illa legis non expeteret.

Ac cleri quidem jam originem institutum et formam non simplicem illam sane, sed pro aetatum successu, graduque variam investigavimus. Sequitur vero deinceps ut cum ordinum in eo temperatio partitioque tam diversa sit, singulorum generum fontes paucis etiam aperiamus.

CAPUT III.

De ordine hierarchico, qui ex Deo natus est.

I. Quin excellens et divinum quoddam bonum sit, cum in multitudine rerum concinna quaedam elucet, et apta parium, dispariumque distributio nemo diffiteatur, qui coelestia et haec inferiora omnia ordine, ac certa ratione sic temperari, regique cernit, ut sive distributionem eorum, sive temperationem et harmoniam inspiciat, quidam mirificus existat undique totius non solum universi sed singularum partium inter se concentus, nitor, ac pulchritudo. Scitum enim illud, haud minus ordinem et rationem boni, quam modum pertinere et speciem ([4]). Quare

---

(1) Serm. 2. de com. vita clericor. refertur 12. 9. 1. cap. certe.
(2) Leg. 20. de episc. et cler. Theodos.
(3) Epist. 2. c. 7. ad nepot. legis interpret. vide tom. 4. Baron. ad ann. 370.
(4) B. Aug. lib. de nat. boni, cap. 3. et 4.

qui non in angelis modo, sed elementis, stirpibus, caeterisque partibus universi humilioribus insignem hujus boni imaginem expressisset, eum sane par non erat, minus exhibere concinnatis in corpore ordinando omnium, quod extitit unquam nobilissimo, et cujus se membris admirabili dignatione Dei filius ipse caput inseruisset (1).

II. Atque hinc scilicet in ecclesia ex diversis rite (2) distributis ordinibus hierarchia a Christo instituta et ab apostolis egregie expressa est, cujus descriptio, et discrimen graduum apud Paulum apostolum (3) laudatur, cum in episcopos, presbyteros, diaconos, et eos, qui catechizant, universus ordo clericorum distribuitur, quorum omnis in fideli populo purgando, illuminando ac perficiendo labor desudat. Atque hanc majorem sane disciplinam sic usque a primis annis orthodoxa fides imbibit, ut ei denunciet anathema sacrosancta Tridentina synodus (4), qui dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constet ex episcopis, presbyteris, et ministris. Sapienter itaque fecit Anacletus pontifex cum Clementis (5) decessoris sui verbis has functiones ipsas ordinum illustravit: *Ecclesiae statum* navi magnae comparans, vectores per undosum Pelagus vehenti diversis e locis coactos ac regionibus; gubernatorem quippe Clemens ajebat esse Christum. Proretae officium implere episcopum, presbyteros nautarum, diaconos ticharchorum, per foros navis ad subita discurrentium; catechistas idem agere, quod qui in navi vecturam exigunt, et naulum, epibatas denique seu vectores, reliquam esse laicorum multitudinem.

III. At enim episcopi, licet ordinis potestate nihil intersit, quin omnes censeantur aequales, quia tamen ex membris, ut dicebam, variis haec ipsa series constituitur cum dispari gradu

(1) Ephes. c. 1. v. 22.
(2) D. Thom. 1. p. q. 108. ar. 1. et 2.
(3) Act. 6. 13. 20. Ephes. 4. Galat. 6. 1. Timoth. 3. et 5. ad Tit. 1.
(4) Sess. 23. et can. 6. et 7.
(5) Tom. 1. epist. pontif. Anacleti ad episc. et 1. Clementis ad Jacobum. Ignatius ad Antiochea. Turrian pro epist. pontif. lib. 3. c. 8.

dignitatis; idcirco fit, ut, ubi jurisdictio, claviumque potestas viget amplior, ibi discrimen quoque magnum exoriatur inter episcopos dignitatis. Et mihi quidem non absque singulari divinae sapientiae consilio, sic provisum reipublicae christianae videtur, ut quo expeditior in ecclesia et pulchrior foret populi gubernatio, episcoporum ordo non esset sterilis, sed pro gradu et conditione assignati a summa sede muneris ac dioecesis in plura sese membra diffunderet, ut eorum alii essent patriarchae sive primates, ut jus canonicum loquitur, alii infra hos metropolitani seu archiepiscopi. Alii denique commune quidem retinerent episcoporum nomen, sed restricta jurisdicendi potestate.

IV. Et posterior licet aetas primatem cum metropolita saepe commisceat, utriusque magnum tamen, etiam in Occidente fuisse discrimen perspicue docent, qui de ecclesiastica gubernationis forma disserunt accuratius.

Quippe Arelatensis ecclesiae in Gallia dignitas extitit longe prima, cum septem ipsa provinciarum conventus, Hincmaro teste, rexit, et Pelagius apud Nicolaum primum epistola ad Michaëlem imperatorem non negat eam ecclesiam primatus privilegio et sedis apostolicae vicibus decoratam. De Lugdunensi ecclesia res est manifesta, cujus antistes Nicetius, Gregorio Turonensi patriarcha, concilio Matisconensi II. salutatus scilicet ob dignitatis illam praerogativam, qua plures amplexa dioeceses, τῇ πρωτευούσῃ καθέδρᾳ, justum primatus amplitudinem consequuta sit.

Quippe Sigeberti supplementum Lugdunensem sedem, primatum, ait, habuisse super tres archiepiscopatus, Rotomagensem ad Sequanam, Turonensem ad Ligerim, Senonum ad Icaunam, id quod Gregorius VII. (lib. 6. epist. 34.) Lugdunensi a summa sede datum et usurpatum per longa annorum curricula, diserte suis in epistolis scriptum reliquit.

Caeterum quod rerum usu exploratum sit parum in multitudine promiscua tuto ac tranquille rem geri, ne hic partes sapientissimi moderatoris desiderares, gradus etiam hos non ita dispares, ad unum tamen revocare caput, ceu principem, placuit, ut ex ea temperatione forma quidem illa deinde existeret,

quae monarchiae fastigio ac dignitate caeteris utique praestabilior est. Optimam enim philosophus etiam agnovit, eam multitudinis esse rectionem, compositionemque, quae unius nimirum principis continetur imperio [1].

Ex quibus illud consequens est, ut, cum jure divino uni principi regendi, administrandique totam ecclesiam tradita sit autoritas, eadem ab ipso ceu capite profluat, ac derivetur in caeteros. Siquidem clavium, pascendique gregis universi potestas Petro, atque successoribus ipsius a Christo domino est relicta [2]. Atque ita luculente profecto cum exordium ab unitate proficiscitur, B. Cypriano teste, et una Christi ecclesia et una monstratur cathedra [3]. At vero summa haec, quam dixi auctoritas, non, ut emotae quidam mentis homines delirant, vel in saecularium principum potestate, vel in ipsa christiani populi multitudine, sed a capite ipso Christo ad suum in terris substitutum vicarium translata ad successores episcopos, tum in caeteros inde fideles rite ac ordine promanat.

Hujus amplitudine muneris accinctus piscator ille Petrus, orbis terrarum pastor non exspectandum sibi duxit sive consensum, sive voluntatem populi Romani, ut Linum, Cletum, aut Clementem episcopum illis daret. Neque vero legem ullam tabellariam respexit, aut mandata principum aut suffragia populi Treverici, opinor, exquisivit, cum Eucharium, Valerium, Maternum in Treviros misit. Sunt enim ista plebicolarum commenta ac vota, qui in mandandis ecclesiasticis magistratibus, haud sine reipublicae christianae magna perturbatione dominari cupiunt, jussaque ac vetita principum, aut stultae et imperitae valere multitudinis. At enim quibus ecclesiae totius gubernacula tradita sunt, eorum ut muneris semper, sic potestatis item fuit, et novas condere, ubi ubi gentium ecclesias, et fidei propagandae idoneos iisdem praeficere, ac imponere pastores, sine ullo magistratuum saecularium imperio, plebiscito, aut

(1) Arist. 12. metaphys. et 3. polit. cap. 5.

(2) Anaclet. epist. 3. Cypr. lib. de unitate ecclesiae. Hieron. ad Damas. et contra Luciferian.

(3) Calvis. q. instit. 23. §. 15. Luther. lib. de potestate papae.

populi suffragio. Atque ita insigni praerogativa clariores Galliarum [1] urbes principis apostolorum ductu, episcopos accepere eosdem fere apostolici collegii discipulos, quorum videlicet institutione, primum evangelica lux Gallorum animis irradiavit, et eorundem immortali successione hucusque propagata et conservata est. Eucharium Treviri: Sixtum et Sinicium Remi: Arelate Trophimum: Parisii Dionysium, Martialem Lemovices, Burdegalis, et Pictavi: Crescentem Vienna, et ut volunt Moguntiacum, aliosque aliae, vel ex his aut horum discipulis nactae sunt fidei suae magistros. Sed videndum quoque deinceps jam nobis est, ut postquam de episcoporum amplissimo ordine disseruimus, an, in quae terrarum sola apostoli, eorumque legati venere, in his jure scilicet, arbitrioque suo partiti dioeceses, et ex earum discrimine episcopatuum regimen ita habuerint, ut inter antistites ipsos ordinis et dignitatis quoddam esset intervallum.

CAPUT IV.

Quam late Trevirensis olim dioecesis, et episcoporum jurisdictio extensa sit.

I. Dioeceses olim, qua civiles, qua ecclesiasticae ad diversas provincias suis in utroque foro legibus moderandas institutae sunt; ita civilem dioecesin accepere pro certo provinciarum tractu, ubi in principe civitate, seu metropoli praeses sive praefectus praetorio jus populis subjectis *vice sacra* more Romano dabat. Uti in notitiae imperii libro fertur [2], *sub dispositione viri illustris praefecti praetorio Galliarum tres fuisse dioeceses.* Primam, quae VII. provinciarum titulo Gallicanam

(1) Adi. Pet. Cluniac. lib. 1. Epist. Martyrol. Rom. Notitiam episcop. Galliae Papyrii Massoni.

(2) Guido Pancirol. Var. lect. lib. 1. cap. 87.

exprimebat. Inde Hispaniensem et Britannicam, quarum trium dioeceseon *caput et metropolim celebrat Treverim,* excellens jurisconsultus Philippus Berterius ([1]), curiae Tolosanae praeses, qui suis in diatribis hoc argumentum, ut alius quisquam accuratissime prosecutus est. Atque ea notione in Annalium corpore dioecesis haud raro usurpata est, in qua apud Treviros praefectus praetorio jus Gallis, Hispanis, Britannisque jam inde a Constantini Magni aetate dixit.

II. Ad hunc pene modum dioecesin ecclesiasticam describimus: *Regionem terrarum certam, quae sub unius episcopi jurisdictione continetur.* Quanquam non nulli subinde latius hanc ad multas provincias uni metropolitae seu primati subjectas ([2]) porrigunt, quam nos hoc tempore archidioecesin dicimus. Alii contra arctius ad unius parochiae limites, dioecesin contraxerint, qua tamen usurpatione nunc evanescit.

III. Porro, ut antiquam ecclesiae Trevericae dignitatem, quam ab ipsis apostolorum Christi temporibus occupare coepit, non ignoremus, recolenda erunt, quae diximus alibi, tum in Proparasceve, tum in ipso Annalium decursu, annotationibusque nostris de urbis hujus amplitudine et splendore, magistratuum nobilitate et copia, qua Germanos, Belgasque et Galliam pene universam superasse constat, ut vix aequis animis Romani ferrent, quod ait Tacitus, *stare in confinio Germaniae integram hanc sedem, spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem.* Ex qua etiam resp. male paccata *centum tredecim senatores transisse Rhenum* memorant. Trevirorum certe in imperio Romano ea dignitas fuit, ut Cerealis dux Romanus huic ordini exprobraret, quod *ex ipsis plerumque legionibus praesiderent, ipsi has, aliasque provincias regerent.* Denique praetoriam obtinerent Galliarum sedem, ex qua et his et Belgis, Britannisque atque Hispanis ipsis jus Romani dicerent.

IV. Et apostolorum quidem principem d. Petrum, dum suos huc discipulos destinaret, ad hujus respexisse urbis magni-

(1) Diatriba lib. 1. cap. 3.

(2) Frodoard. chron. lib. 6.

tudinem, gentisque inter Gallos, Germanosque limitaneae famam, unde latissime in diversas terrarum oras religionis christianae disciplina propagari posset, nemo prudens ambigat. S. Eucharius omnium consensione legationis hujus et metropolis hoc loco inchoatae princeps in Alsatia, ubi Maternum subdiaconum sociorum alterum a morte per admotum D. Petri baculum excitarat, ideoque admiratione affluentis undequaque populi colebatur, quamvis magni sibi ad fidem accessionibus rem augeri christianam posse cerneret, pedem tamen illic cum suis, stationemque figere noluit, sed ut in mandatis ab apostolo habuisse par est existimare, Treviros delegit, atque istic sede fixa, a Tribocis et primae Germaniae civitatibus exorsus, in secundam Germaniam usque, quae Coloniensium, et Tungrorum erat, atque ab his introrsum in Arduennam, Belgarumque penitiora loca, Christi doctrinam per se suosque discipulos intulit.

V. Maternum certe ex Eucharii disciplina profectum primum suorum episcoporum, quamvis Trevericae initiatum cathedrae, omnes illi populi summa veterum literarum consensione profitentur. Neque interea tanta in gentium ignoratione et praedicandi evangelii copia, id quod in suo martyrologio Ado statuit, Crescentem sancti Pauli discipulum negaverim Rhodani in Gallia tractum, Viennam, aut quod alii Moguntiam, Rhenique inferioris [1] oras permeasse, propagandae religionis gratia. Praesertim cum ex Paulo ad Timotheum [2] constet, Crescentem tenuisse Galatiam [3], quo nomine Galliam olim acceptam fuisse, alibi vidimus. Unde ista in Oriente appellationem duxit, ideoque illo Paulum loco, Galliam accipere, gravium scriptorum auctoritate tenetur.

VI. At enim apud Treviros, Tungros, Agrippinenses splendidas utique civitates, ordinaria, ut sic loquar, jurisdictio, uni alioqui veterum consensu tribuitur, Materno nec facile obvium alibi, Crescentem episcopum praesedisse Agrippinensium eccle-

(1) Rupertus Tuitien. lib. 1. de div. off. cap. 27.
(2) 2. Timoth. 4.
(3) Epiph. haeres. 51. 2. epist. 1. Baron. Annal. tom. 1. Serrar. in Mogunt.

siae. Et Materni successoribus jus assignatum amplissimum est, ut *qui non apud Treviros modo, sed in externis,* ut Methodius loquitur *et ultimis etiam provinciis* rem ecclesiasticam gesserint. Porro veteribus exoletis dioecesion christianorum limitibus in magna sedium primas ambientium altercatione, persane difficile mihi video propinquis hisce locis assignare metropoles, quae Euchario et successoribus quidem initio tunc paruerint; cum et Moguntini, quam honoris accessionem a Bonifacio accepere libenter, seu ad Crescentem revocent, seu a Vangionum sede (quod minus probatur) accersant. Agrippinenses metropoles dignitate non contenti, etiam Ruperti aetate primatum sibi deposcerent. Denique Rhemenses, qui e Belgarum numero ob eminentem Remigii Francorum gentis apostoli dignitatem Trevericis aegre subjacere velint.

VII. Ut igitur incerta mittantur et de Moguntiaco nil in praesentia definiam, pronunciare haud vereor, Rhemorum, Agrippinensium, ac Tungrorum sedes Euchario fuisse subjectas, quod etiam hinc colligere mihi videor, quia Maternum Eucharius Agrippinensibus et Tungris episcopum dedit, et superstes ipse toti Germaniarum et Belgicae tractui jus dixit, quod interregnis hinc se accepisse ipsi Colonienses haud negant. De Rhemensi vero, ut ab aevo robustiore documenta sat olim clara proposuimus, sic non pauca supersunt adhuc ab usu inferioris aetatis. Porro Trevericis in Belgicam absolute primatum ab initio concessum, et toties deinde stabilitum multifariam a nobis prolata docuerunt, veterum quoque tabularum argumenta. Et Sinicio Rhemorum episcopo Petri discipulo praefuisse Eucharium literae meminerunt antiquae, nec ipsi negant Rhemenses, Dyscolium in Agrippinensi synodo longe postpositum Maximino.

VIII. Confessi juris item reus videtur Hincmarus (1), qui satis sciens eminentiores sedes extitisse non nullas, quae plures sub se metropoles haberent, magno canonum apparatu pro Rhemensi ecclesia pugnat, quo conficiat, ne cui primati duae

(1) Epist. l. 6. cap. 2. 18. 19. 20. 21. et aliis.

subjaceant metropoles ut vel ipsum pontificem summum idcirco decretis hisce subjici malit, quam uni metropolitano plures provincias. Neque interim quo exemptionem tueatur suam, validius quidquam (1) reperit, quam ipsam gratiam privilegiumque summi sacerdotis, quem canonibus, et legibus debere semper inservire frustra et temere contendit. Quid enim aliud, quam suo se gladio jugulat, cum sedem suam Romanae quidem subjacere fatetur, sed pontificum constitutionibus affirmat ab alia potestate liberatam?

Ad haec Ottonis Frisingensis (2) item oratio spectare videtur, qui posterius licet jus, Francorum imperio natum, in Aquitaniae et Lugdunensi primatibus observet; Trevirensi tamen ecclesiae primas Belgicae universae concedere non dubitat: nam *tribus,* inquit, *Galliis tres primates praeesse volunt, Belgicae Trevirensem, Aquitaniae Bituricensem, tertiae Lugdunensem.* Quin etiam B. Remigius (3) etsi ab Hormisda pontifice, ut ajunt, rei ecclesiasticae in regno Clodovaei summa potestate accinctus, ecclesiam tamen Trevericam jamtum senescentem et a primaevo flore vergentem vel sororis saltem dignatione prosequi pergit, non sine manifesto cognati, priscique juris indicio.

IX. Hinc Venantius Fortunatus in Nicetio, morem hunc antiquum forte spectans, magnifice cecinit:

Splendor apex fidei veneranda mente Niceti,
Totius orbis amor pontificumque caput.
Summus apostolico praecellens pastor ovili
Auxisti meritis quidquid honoris habet.

Erat itaque Fortunato Nicetius ob hanc praerogativam honoris, quoddam pontificum caput, et pastor quidem summus ob amplitudinem ovilis et jurisdictionis, de quo ad versus illius poëtae nuper haud parum huic rei opportuna, quam agimus, attestandae notata reperies. Favet vero adprime nobis rara haec doctorum observatio, qui animadverterunt provincias olim

(1) In Hincmarum censura Illustr. Baronii ad ann. 992.
(2) Lib. 6. chron. cap. 30.
(3) Flodoardus hist. lib. 1. cap. 15. in testamento suo apud B. Brisonium, et Flodoardum lib. 1. cap. 28.

simplices extitisse et postquam principum nutu ita dividi coepere, ut aliae primae, aliae secundae, sed et pro numero et captu regionum, tertiae quoque et quartae dicerentur, plerumque partitione facta eam provinciam quae primae nomen obtinuit, et caput ante divisionem extitit metropolis et primatus honorem sortitam.

X. Quare et primarum provinciarum metropolitani primates fuere reliquarum ejusdem appellationis provinciarum, ut Lugdunensis archiepiscopus primas IV. Lugdunensium, et Aquitaniae utriusque primas Bituricensis archiepiscopus, quia primae Aquitaniae caput Bituriges, ita denique Belgicae utriusque primas Trevericus, quia Belgicae primae caput Treviris extitit. At vero Moguntiacum tametsi olim fuisse metropolim itineraria quae publice extant, perspicue docent; antistitis tamen memoriam ea quidem dignitate praediti, quae primatis dignitatem non aufugeret, nullae priscorum litterae comprobant, etenim limes Moguntiacensis ecclesiae, si imperii Romani usitatam oeconomiam spectes, haud dubie constitit olim intra Germaniae primae ripas.

XI. Primam vero Germaniam saepe veterum scriptorum more usurpavimus, non quam vulgus historicorum appellat, magnam et transrhenanam, in quam sane christianorum excursiones saepiuscule factas temere negarim; sed quae secundae, vel inferiori respondens flumini Rheno praetensa, Romanis hominibus citima quidem, at imperii extitit ultima, dum res eorum incolumes adhuc florescent. Atque hanc Salvianus diserte nuncupavit, cum *Vandalorum gentem ignavissimam, ait, de solo patrio effusam in Germaniam primam nomine Barbaram, ditione Romanam.*

XII. In his itaque Germaniae primae spatiis, qui Treverico pastori praedicandi antiquitus jus fuisse monstrarit, is profecto Moguntinam ecclesiam eadem opera doceat Trevirensi inferiorem. At in actis Severi episcopi clarum est saeculo Christi quarto, longo scilicet tempore ante Bonifacii apostolatum, ripa jam novis colonis oppleta, ex magna Germania affluentibus, *ipsum Severum Trevirorum antistitem praedicasse gentibus,*

ut Beda loquitur, *Germaniae primae;* Veteri, ut reor, sedis suae privilegio, nova licet occasione, quo faciunt etiam Joannis et Benedicti sub Ottone primo et secundo, ac aliorum Romanorum pontificum diplomata, quibus cum primatus honorem Trevirorum ecclesiae sanciunt, ab hoc perpetuo fonte usque, jus illud repetunt, quia nimirum amplissima legatione B. Petrus triumviros illos spectata vitae innocentia, ac religionę, Eucharium, Valerium, Maternum, rei christianae constituendae in Treviros miserit assignata dioecesi, non angusto Galliarum in angulo; sed, ut vetusta quoque B. Materni acta loquuntur, in tota, quam late patebat, cis Rhenum, Germania.

XIII. Caeterum de Germania secunda, in qua amplissimae Agrippinensium et Tungrorum civitates, etsi in ambiguo poni video, num christianissimi primi magistri, qui Treviris utique cathedram habuere collocatam, simul in istis urbibus sedes episcopales erexerint, atque ita pluribus locis enthronismum adepti sint; de Tungris tamen, ut minus liqueat, Agrippinensem certe cathedram ab usque primis fidei christianae incunabulis ab iis erectam, eique impositos episcopos dubitari vix potest, cum id et institutio Materni, et frequentia populi, et nobilissimae Coloniae dignitas, et exempli similitudo nullo negotio persuadeat. Neque vero vel Maternum, ejus nominis secundum, vel Euphratem, qui ad Constantini tempora claruere, subito prosiliisse, sed longaevorum patrum stirpe satam prolem extitisse credideris, e veteri istius ecclesiae clero ceu gremio natam, et eductam, qui acephalus, et sine sacerdote non vixerit. Sed sive istae, quas dixi, Germaniae secundae sedes ocyus, quod malumus, sive serius emerserint, limitem istius provinciae, qua Tungros et Eburones adiit; satis constat ex communium episcoporum serie, Trevericae dioecesis jus et opem expertum, ut et Germaniae (1) primae vicinisque Belgis, Trevericos sacerdotes jus dixisse, supra ostendimus. Unde et qui dioecesibus sacris parum amici scriptores pronunciare non verentur, videri tum Moguntiacensem, tum Agrippinensem, priusquam metro-

(1) B. Rhenan. rer. Germanic. lib. 3. de dioeces. episcopalibus.

poles fierent, id quod D. Bonifacii tempestate factum putant, sub Trevirensi fuisse, idque prorsus loci dignitatem persuadere.

Quae cum ita sint, assignare jam facilius quoque licebit, metropoles, quarum apud Treviros sustinuere procurationem primi illi christianae disciplinae satores, pro muneris et potestatis magnitudine. Atque Moguntiacensem ecclesiam fateamur licet Germaniae primae fuisse metropolem (1) et B. Crescentis praeclaris institutis ac legibus fundatam, hac ipsa origine sua cum primis extitisse nobilêm, stante tamen imperio Romano, abnuimus ad hujus Trevericae pervenisse fastigium, ac praestantiam, quemadmodum Bonifacio demum sedente nemo veterum gnarus ambigit, finibus ipsam mirabiliter amplificatam, crescere non autoritate magis coepisse, quam opum potentia (2). Caeterum ad Trevirensis ecclesiae primatum haud parum forte facit stabiliendum Rupertus, abbas Tuitiensis, cum Materno jus quoddam pallii proprium tribuit, ac peculiare. Nam cum ob gentis Francicae conversionem B. Remigio et Rhemensi ecclesiae omnium, quotquot essent in Gallia, principatum concessisset, tum metropolim quoque Coloniensium ob Crescentis apostolatum, primatus honore affecisset, addit: *Trevirensi autem ecclesiae Maternus a B. Petro apostolo missus, haereditatem pallii pro suis successoribus dereliquit.* Ubi qui per pallii haereditatem, missionem apostolicam accipiunt, etsi facile hanc alio sententiam avertant, tamen istuc inquirendum putem, ecquid istud heredium potius Materno tribuat, quam cuilibet eorum, quos ibidem loci propriis tanquam notis distinxit, ac insignivit? Equidem sic potius interpreter: veterum fama, quos ille secutus sit, pallii quoddam transmittendi ad alios penes Maternum jus extitisse, quod haereditatis etiam nomine notavit, ut minime obscuram relinqueret hanc consuetudinem primatus (3), cui peculiaris ista praerogativa conceditur, ut, ubi a summo capite Christique vicario pallium accepit primas,

(1) Philip. Berter. Pithou diatr. lib. 2. cap. 5.

(2) Rupertus cit. Jur. can. interque ad dist. 100. de pallio. Joann. Stephan. Durant. l. 2.

(3) Tabien. Angel. Silvest. Astens. Henriq. lib. X. moral. theolog. c. 29.

ipse porro conferat metropolitanis, suae ditioni subjectis, aut minimum, quod Honorium pontificem Paulino in Britannia ob itinerum et maris intervallum concessisse, Beda testatur, Romana sede, vel apostolicis haud consultis, ordinaret et episcopos institueret.

CAPUT V.

Ecclesiae Trevericae primatus aliunde stabilitur.

I. Haeret etiam in Trevirensi ecclesia excellentiae quaedam alia nota haud vulgaris a baculo proficiscens, quem B. Petrus Euchario tradidit, cujus quidem usus, et fida per tot hominum aetates custodia, ut nihil ad historiam aliud momenti afferat. Singularem huic tamen sedi conciliat auctoritatem, quam ipsi approbasse visi Romani pontifices, cum usu se baculi sponte abdicarunt, quia id jus unis Treviris, Innocentio teste, integrum ac salvum vellent. At baculum tradunt divinorum officiorum periti, insigne tum honoris esse, tum potestatis. Unde in synodo VIII. Constantinopolitana, cum Photius instructus gestamine baculi prodiisset, Marinus, Romani pontificis vicarius, aufferri jussit; baculum esse pastoralis dignitatis insigne dictitans, quod is habere nullo modo posset, qui lupus esset, non pastor. Cum itaque ecclesia Treverica praecipui regiminis insignia, quacunque demum occasione de summi pontificis manu acceperit, et eidem B. Petri apostoli successores ob hanc ipsam baculi traditionem gestaminis etiam praerogativam concesserint, nemo prudens inficiascat, huic sedi recte tribui primae civitatis honorem. Nec quicquam id Agrippinensium causam magnopere juvat, quod baculi pars hujus dimidiata penes ipsos jam asservetur, quandoquidem seris demum annis, ut loco monuimus, bona pace Trevericae sedis, et reverentia B. Materni, communis patroni, rogatu Brunonis archiepiscopi eo translata

est, titulo apud Treviros prisco durante, quam ob rem B. Innocentius de sua licet longe posteriori aetate. *Hunc baculum,* inquit, *usque hodie cum magna veneratione Trevirensis servat ecclesia;* haec quidem in ea parte sunt, etsi remotissimi temporis.

II. Existunt interim clariora quoque stabiliendi primatus argumenta, ex eo quidem tempore, cum urbs domicilio principum ac imperatorum perpetua sede condecorari coepit. Tunc enim Helenae augustae, et Constantini rara munificentia, Silvestri quoque pontificis auctoritate Agricium de novo primatem accepit, datis a pontifice maximo tabulis, quae honorem eum Agricio, non uti modo recentem sancirent, verum ut priscum, et olim possessum renovarent, quam in rem, constanti majorum traditione tabularum, quas olim prompsimus, sententia, si non tenor ipse, veteribus manu scriptis libris est commendata.

»Sicut in gentilitate propria virtute sortire et nunc Trevir »primas et super Gallos, et Germanos prioratum, quem tibi »prae omnibus harum gentium episcopis, in primitivis christia»nae religionis doctoribus, Euchario, Valerio, Materno, per ba»culum caput ecclesiae, Petrus, signavit habendum, suam quod»ammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. »Quem ego Silvester ejus servus, successioneque indignus per »Agricium patriarcham Antiochenum renovans confirmo.« — Quin et perantiquis hisce versiculis majoris Silvestri pontificis beneficium praedicare solent:

»Accipe primatum post Alpes Trevir ubique,
»Quem tibi Roma nova lege dat et veteri.«

Atque hanc meam de primatu Trevirensis ecclesiae sententiam ante non paucos annos literis memoriae mandatam, hoc etiam constantius retinendam equidem censebam, quod eam in ecclesiae politia juris-prudentissimo et excellenti in Galliis auctoritate viro probatam et egregie stabilitam intelligerem. Ejus attexam gratum id Treviris caput. *In praetorio Galliarum tres sunt dioeceses, Galliae nimirum, Britanniae et Hispaniae. Galliarum mètropolis fuit Augusta illa Trevirorum, urbs itaque nobilis et copiosa, cujus episcopus primatum*

amplissimum antiquo hoc epigrammate tuetur: Accipe Primatum etc.

Quibus verbis sane tres maximas dioeceses comprehendi, nemo non intelligit et vero magnam ejus civitatis, quae trans Alpinis omnibus praecelleret, dignitatem esse oportuit, quanquam episcopus, qui illic sedebat, adaequandam (si Gelasio credimus) cum civili potentia ecclesiasticam auctoritatem nunquam putavit. Nec ego mihi persuaserim quenquam episcoporum Trevirorum in tribus his dioecesibus primatum unquam egisse. Si quis tamen in propria eum Galliarum dioecesi praecipuo quodam honore olim donatum contendat, minime obnitandum arbitror. *Alibi vero:* si quis primarum provinciarum metropolibus honos debetur, cum profecto Augustae Trevirorum maxime tribuendum esse, cujus episcopo saltem primatus utriusque Belgicae eripi non potuerit.

III. Porro imbibisse domesticos scriptores observo, Agricium fuisse patriarcham Antiochenum, prius, quam Trevirim veniret, sed cum Antiochiensium episcoporum successiones satis sint fida memoria septae, et continua serie occupatae, nihil ibi Agricio loci relictum sit, illud ego potius involucrum in pervetusta narratione latere putem, Agricium seu ex clero Antiocheno assumptum, seu patriarchae Antiocheno dignitate exaequatum, ab isto loco retulisse cognomen. Jam etiam Agricii successores, Maximinum, Paulinum, Britanium, inclytae sedis et urbis privilegio scimus ex Athanasio et ecclesiastica historia prae caeteris fere omnibus Galliae episcopis in Illyrico, Graeciaque, catholicae religionis adversus Arianos fuisse signiferos et legationum principes.

IV. Quibus ex rebus sane fit manifestum, incolumi Romano imperio Trevirorum archiepiscopum quendam fuisse patriarcham, et in utraque Belgica, Germaniaque tenuisse primas, id quod ne Gallis vicinis, cognatisque nimis accidat novum, iterum hic moneo, Manassi, Rhemensium archiepiscopo, luculentum ea de re datum a Gregorio VII. responsum, *Rhemensis, cui praesides, ecclesia quodam tempore primati* (cui, nisi Treverico?) *subjacuit, et ei ut magistro post Romanum*

pontificem obedivit. In sequenti quoque aetate observavimus Trevirorum pontificem Rhemensi non concessisse, sed eversis etiam reipublicae fortunis, cum Rhemi novo Francorum regno se attollerent, huc utrinque descensum, ut cum Trevirensis plus jam non posset, partita cum Rhemensi dignitate in synodis, ordinationibus, regum inunctionibus, una rem gererent, ipsaeque se ecclesiae tanquam jure aequato sorores agnoscerent. Sed enim, ut rarum est, in summo fastigio consortium subinde hac gubernationis inversa forma, ita utrinque jus temperare placuit, ut, quod olim in Numidia factum, Gregorius Magnus prodidit, qui ordinationis aetate superasset alterum, is publicis in coetibus et conventibus anteiret, quod jus vetus scriptor apud Amoinum in regis consecratione praesente Hincmaro usurpatum tradidit. Observes interim Hincmaro, quamlibet obnixe primatum suum tuente, Nicolaum tamen pontificem canone decreti non obscuro Tietgaudum sub annum Christi 865 simpliciter appellasse Belgicae primatem, adeoque Tietgaudum ipsum hac de causa expostulasse cum Hincmaro recensent, Thietgaudo rescripsisse meminit de primatu, quem hic deferre ab eo scripserat, debere sedi Trevirorum.

V. Quin et Anselmus Rhemensis monachus, qui noni Leonis Papae itinerarium et ejus acta Rhemensia, Sigeberto teste, literis tradidit ea in synodo, quae Rhemis anno 1049 V. Nonarum Octobris contra Simoniacos celebrata, testimonium illustre promit, certaminis inter hanc et istam ecclesiam de primatu in ea quoque tempora prolati, cum Eberardus archiepiscopus pontificem honoris et officii causa, Rhemos usque prosecutus, antiquam de jure sessionis synodicae moderandae, ipsaque sedis praerogativa controversiam renovavit. Quam rem in actorum commentario hisce verbis memoriae mandatum invenio. »Quinto non. octobris congregati sunt in basilica »S. Remigii episcopi, videlicet numero viginti, cum quinqua»ginta fere abbatibus et aliis ecclesiastici ordinis quam plu»rimis. Ubi statim vetus querela inter Rhemensis, ac Trevi»rensis archiepiscopi clericos est renovata, his astruentibus, »quia Rhemensis primas esset in Gallia, ideoque illi dispositio

»competeret synodica; econtra vero illi archiepiscopo Trevirensi »eandem dignitatem conabantur adscribere, primamque sedem »post Romanae ecclesiae praesulem in celebrando concilio »acquirere. Dominus autem papa non arbitratus opportunum »tempus, quo his rationibus imponi valeret congruus finis, sci»licet potius metuens, hujusmodi controversiam prorumpere »ad scandalum contentionis, in modum coronae sedilia epis»coporum disponi et in medio eorum suae sedis suggestum »praecepit locari, cujus ordinationis modum ex arbitrio Rhe»mensis archipraesulis sanxit administrari.« Haec ibi. Atque litis hujus, arbitror, equidem occasionem ex nupero Leonis decreto natam, quo Eberardo, Romae degenti, majorum privilegia stabilierat et Galliae Belgicae cum aliis ornamentis omnino primas detulerat. Ea tamen moderatione hanc ambitus causam in praesentia Leonem rexisse satis apparet, ut confusione sedium et locorum neutri parti quicquam derogasse videretur, receptis etiam ad consessum hinc et inde suum litigatoribus metropolitis. Dissignatoris autem munus obtigisse Rhemensi, eam ob causam interpretor, quia in ipsius dioecesi et ecclesia agitabatur synodus. Atque huc ea quoque pertinet Adalberonis episcopi concertatio, qua in Rhemensi concilio, assidente Eugenio papa et ipse cum urbis archiepiscopo de primatus honore disceptavit: neque enim exemplo vetustatis caret id genus certaminis, quod inter Arelatensem et Viennensem quoque sedes olim viguit. Nam cum ista jam inde a Patroclo ex anno 417 excellenti dignitate praefulgeret, multaque ad stabiliendum, ut fit, augendumque honorem immodice agitaret, quo civilius eam fortunam ferret, monuit rescripto suo pontifex Leo, non semper Arelatensem ea fuisse praeditum dignitate, sed extitisse tempus, cum Vienna et Arelate, clarae inprimis urbes, quarundam causarum alterna ratione, nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista praecelleret, cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse a gentibus proderetur.

Atque hactenus de Trevirensis ecclesiae primatu, cujus ut explicatio esset facilior, de episcoporum antea discrimine universe dicendum putavimus. Deinceps vero, ut metropolitani

conditio et munus rectius explicetur, de ejus electione ac institutione generatim similiter inquirendum est.

CAPUT VI.

De institutione ac jurisdictione metropolitani Trevirorum, eique subjectis episcopis suffraganeis.

I. Sapienter ac moderate Christus Dominus, legislator noster, hinc in coelos e terra profectus, ecclesiam suam constituit, cum in variorum ordinum gradibus, officiisque tribuendis, eas sempiterni consilii rationes adhibuit, quibus facile retineri tranquillitas, et arceri longe posset, quae convellere coetus hominum solet, ordinum ac ministeriorum confusio. Cum enim hoc mysticum corpus e diversis, lateque sparsis concinnatum esset membris, tum optimis voluit id vallare legum praesidiis, tum unius summique pastoris vigilantia, caeterorumque magistratuum diligentia communiri, quo ne casibus ullis hominum vel temporum injuriis series illa constans interrumpi, compositioque distrahi, ac dissipari posset. Caeterum cum id genus constituendi magistratus, quod ipso praesente viguit in apostolis, diuturnius non esset, quam cum ipsi superstites hic una degerent, neque magistratuum successio, vel generis propagationi, ut olim in veteri lege, vel ostentis acceptis de caelo, quod extra ordinem et communem providentiae modum committi debeat, multo etiam minus sortibus (1) (quae saepe temeritate et casu, non ratione et consilio valent) ad suavem et tranquillam populi christiani gubernationem pertinebat, episcoporum et pontificum creationem, primo quidem Spiritus Sancti numine regi, tum certorum hominum suffragiis et electione fulciri.

---

(1) D. Thom. opusc. 25. de sortibus et 22. q. 95. Bellarm. de cleric. lib. 1. cap. 5.

II. At in electionem ipsam solet magna quoque cadere varietas. Cum aut Deus per se ipse magistratum designat, sicuti Christus Petrum elegisse (1) certo creditur, aut homines, sive plures, sive pauciores suffragia ferunt, quomodo apostoli Jacobum, fratrem Domini, Hierosolymorum creasse episcopum et presbyteros ac diaconos per civitates constituisse, traduntur (2). Quod posterius genus sic in ecclesia deinde receptum est, ut episcoporum electionem ex ordine sacro bene multi, sive episcopi, sive clerici, praecipuo quodam jure usurparent; hisque populus etiam olim interdum accederet, si non jure quo optimo, saltem ad testimonium edendum de vita et moribus creandorum magistratuum (3).

Observare licuit hujus moris exempla non uno hic loco domesticae Trevirorum historiae, cum ad episcoporum electionem non inquilini modo, sed provinciales etiam episcopi ventitarent, quorum erat in comitiis sacris tanta auctoritas, ut, qui vel praesentium nutu, vel absentium literis probatus haud fuisset, is exequi leges, aut jus tueri suum in pontificatu non posset, quin etiam ubi contemptus intervenisset, suffraganeus electionis acta totius item rescinderet. Laudavit hanc consuetudinem ex antiquis B. Cyprianus (4). »Apud nos,« inquit, »et fere per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes »rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, »episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et »episcopus deligatur plebi praesente, quae singulorum vitam »plenissime novit, et unius cujusque actum de ejus conver»satione perspexit.«

Quae observare placuit, quod aliena iis, quae exorsi eramus, censeri non debeant, cum ignorata magistratuum conditione ac officio, nec metropolis ipsa probe perspici cognoscique possit.

(1) Joann. 21.

(2) Euseb. lib. 2. cap. 22. Hieron. in catalog. script. eccles. Act. 6. et 14. χειροτονήσαντες ad Tit. 1.

(3) Can. Nicaen. 4. et 6. Antiochen. can. 19. B. Hieron. epist. 85. ad Evagrium. Bellarm. de clericis lib. 1. c. 9. Henriq. moral. theolog. lib. X. et 31.

(4) Lib. 1. epist. 4.

III. Ac principio quidem ecclesiam Trevirorum primatus honore ac privilegio cumulavimus, cujus honoris amplitudo, in ipso ortu satuque ecclesiae extiterit licet maxima, et creverit, et jam post Helenae et Constantini tempora, concidisse tamen, cum deflagratae urbis ruinis et vix emersisse lapsam ad pristini splendoris famam cum alia multa docent, tum illa propria et sera Volusiani episcopi cura, quem restaurasse perhibent majorum honores et privilegiis ab Hilario Romano pontifice impetratis, ecclesiae suae reparasse dignitatem. Hic vero praesul ea vixit aetate, qua sepulta cadaveribus urbs lacrymabilem sui aspectum, *Salviano teste,* (1) praetereuntibus exhibebat, cum non suis magis ruinis, quam attollentis in vicino se novi Francorum imperii gloria premeretur.

IV. Et quo quidem altius Arelatensis et Rhemensis ecclesiae culmen surgebat, hoc spoliatas jam veteri fortuna et oppressas calamitate alias sedes magis erat necesse deprimi, cum in tot ruinis atque excidiis, nec tueri pristino more rem christianam nec conversiones illas, qua graves temporum casus importabant, posteri praestare possent. Hinc ea demum successit episcoporum quorundam insolentia, ut potestate plusquam mediocri armati, non modo caeterorum collegarum dignitatem affligerent, sed quae a Romana sede adepti erant, illico summis paria facere studerent (2), priscam illam ecclesiae moderationem ambitionis veneno labefactantes (3). Testis Hilarius, Arelatensis antistes, cujus eam fuisse intemperantiam notat Leo pontifex, ut cum Narbonensis utriusque et provinciae Viennensis solum primas a majoribus accepisset, jamtum sibi ordinationes vindicaret omnium per Gallias ecclesiarum, in alienis etiam provinciis conventus indiceret synodales, et sacerdotum judicia se interserendo turbaret. Denique militares se manus sequi per provincias juberet, ut invitis episcopos obtruderet. Huic non dissimilis Euphemius Constantinopolitanus, qui cum ob dam-

(1) Lib. 6. de provident.

(2) Zosim. pap. literae apud Baron. ann. 417.

(3) Leo epist. 93.

natam Acacii memoriam et e sacris diptychis nuper expunctam a Romanae sedis judicio dissideret; scilicet patriarchae et regiae civitatis episcopo dicam eam scribi, pro parum aequo accipiebat. Ergo Gelasius (1) pontifex ad Dardanos scribens primo quidem Acacium solius apostolicae sedis judicio, jure damnatum ostendit. Deinde Constantinopolim, licet regiam urbem, non solum inter notae primae sedes non habere locum, sed nec inter metropolitarum jura censeri posse docet, et, quo, eorum penitissime fundamenta convellat, qui regundorum finium non aliam hic, quam politicam originem et ex imperii Romani descriptione sumptam agnoscunt, itidem monet.

V. Ne ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticae, paterna traditione firmatum convenienter observent. »Risimus autem,« inquit, »quod prae»rogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerat »regiae civitatis. Nunquid apud Ravennam, Mediolanum, Sir»mium, apud Treviros multis temporibus non constitit impera»tor, num quidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram »sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus »usurparunt?« Eximius sane locus ad dijudicandam sacrorum finium controversiam, et cognoscendum jurisdictionis modum, cujus utriusque arbitrium a Romana sede sicut finalis quaestionis universa dijudicatio manat. Neque vero de nihilo trahuntur hic in exemplum, una cum nobilibus ecclesiis Treviri; etsi enim in terminis nil motum, ab his laudet Gelasius, concedit tamen certam dignitati mensuram quae si ex Ravennatum et Mediolanensium conditione aestimanda est, haud paulo quidem major erit, quam vulgarium metropolitarum, quos illi profecto post se longo reliquere intervallo.

VI. Et qui penitus res Occidentis inspicit, haud magno observabit negotio, post Romanae reipublicae interitum vix quicquam primatibus sponte delatum pronis omnium ad immunitatem, et exceptionem collegarum animis. Quo facilius

(1) Tom. 1. pontif. epist. p. 2. epist. Gelasii II. et Annal. Baron. tom. 6. ad ann. 495.

etiam novis Francorum, et Germanorum imperiis accessu aliarum gentium, ac legum pristinae dignitatis apud plurimos jactura facta, eoque tandem redacta loci res, ut si sessionis honor antiquis primatibus obtingeret, praeclare videlicet secum agi putarent. Ita quidem jam res sunt in Germania, Galliaque, postquam principatus et parium excellentia, episcopalis auctoritatis splendor inumbrari coepit.

Medio tamen tempore aliquot Trevirorum episcopis pro virtutis ac nominis fama concessum a Romano pontifice meminimus legati apostolici jus ordinarium ac perpetuum, quod Adelbero et Hillinus praescripsere diplomatis et basilicarum consecrationibus pro titulo junxerunt. Sed ante hos Theodoricus Ravennati honore exaequatus, tota Gallia, Germaniaque vicarium summae sedis egit. Primatis vero, qui postliminio honorem vindicarent, quod equidem compererim, reperti sunt Thietgaudus, Eberardus, et Adelbero. Ceciderunt itaque una cum imperio, tot in membra subinde discerpto, et velut circumacto gloriae, et prisci splendoris orbe, tandem ad metas adhaeserunt illa primatis, ac patriarchalis honoris insignia, quorum in purpurei velleris strato, et crucis gestamine non nulla, etsi parum clara supersunt vestigia, siquidem et Trevirensi archiepiscopo in purpureo strato equitandi, et crucem ante se, qua vadit, gestandi honos jam olim tributus: quod utrumque tamen genus, impertito jam plurimis usu censetur translatitium.

VII. Istud vero palmarium in hoc capite non absque nodo est, ut a me similiter expediatur, quod inferior scilicet Trevirensis ecclesia metropolitanis vicinis omnibus, episcopos tres modo numerat provinciales seu suffraganeos, cujus sane descriptionis, uti complurium item aliarum, difficile, ut prima lineamenta reperias. Probabile tamen, et hic graves intervenisse temporum casus. Enim vero Lothariensis postquam ditio a Francica et Germanica secessit, necesse fuit utique, ut sicut ista varias in partes concerpi incoepit, et jura cum gentibus et lingua ac dignitates ecclesiarum cum terminis retrolapsae alio transirent. Quare et Rhemis intra Galliarum fines cum provincialibus ecclesiis post haec receptis, et abscissis,

quae olim intercesserant sacrorum commerciis, sensim dioecesis pristinae quoque moti sunt limites. At enim Belgae remotiores et cisrhenani quoque populi, Lothariensibus olim annumerati, quare vel ex his Trevirensis pati non potuit, ut non acquireret majorem provinciam, aut tueretur olim possessam, si ita quidem fieri potuisse, si vel majorum virtus, quod natura fert in omnibus pene rebus, non consenuisset, vel integra, promptave, durassent aliorum obsequia, verum et languentibus interdum domi capitibus et plurimis.

VIII. Ita populis errore, ac superstitione multiplici detentis, ad salutem et lucem miseris ostendendum, novi identidem supervenere magistri, coelesti ardore ac divino spiritu inflammati, qui auctoritate freti apostolica, quas novas fecere tueri gentes, aut in alias distribuere sedes, aut veteres insidentes bona pontificis Romani gratia juri subdidere suo. Sic Lambertus, sic Hubertus, sic Willibrordus et Bonifacius horumque disciputi, in Belgica Germaniaque maximam attulere veterum limitum ac dioecesion mutationem, mirum ut non sit, antiquiores, cum his necessario cederent, imperare coepisse angustius, quare cum in Gallico veterisque Belgicae solo a Francis et Germanis tum jam sejuncti, ex Lothariensis vel Austrasiae regni populis uni superessent Leuci, Virdunenses, ac Mediomatrices, Treviris cognati, sapienti majorum consilio factum est, ut harum ecclesiae finium amplitudine non contemnenda metropoli Trevirorum comprovinciales adessent, et arctiore quodam religionis foedere perpetuum adhaererent. Quod sane vinculum eo sanctius haberi potuit, ac antiquius, quo olim arctius unius provinciae populi legum municipalium, ac juris Romani disciplina, et institutis cum sua metropoli fuere conjuncti. Caeterum quae non raro causae, liberos a parentibus, a maritis conjuges abstraxere, eaedêm hodieque Trevirorum ecclesiam premunt, atque utinam aliquando non opprimant. Ante oculos non pauca quotidie cernimus id genus divortia, quae ut novis imperiis apprime favent, ita juris antiqui et privilegiorum tenacibus, desiderium accendunt acrius, quod hoc etiam flagrantius evadit, quo difficilior inde spes existit recuperandi semel amissa.

IX. Habet erga a suffragiis ecclesia Treverica tres duntaxat episcopos, ea magnitudine dioecesion, ut hinc Sequanos, sive Burgundiones, et Lingones, inde Rhemos et Campaniam attingant. Dignitate praestat inter omnes Metensis, huic Virdunensis est proximus, quem excipit Leucorum sive Tullensis episcopus. Mediomatricum antistes olim pallii dignitatem, quod rari in episcopo exempli, impetrasse videri voluit. Sed intercedente metropolitano non retinuit, extincto, vel suppresso privilegio. Sunt, qui referunt, ad Urbicum Metensem, qui saeculo Christi quinto floruit, quem etiam perhibent fuisse archiepiscopum, ea forte nixi conjectura, qua ex Gregorii rescripto colligunt (1), haud facile sine pallii usu id cuique contigisse fastigium. Certe de Chrodegango (2), Angilramo, aliisque nonnullis, qui Pipino et Carolo regnantibus gratia tunc plurimum et auctoritate valuerunt, diserte tradunt id antiquae Metensium literae et monumenta, quae Treviris reperiuntur.

X. Drogonem vero, Mediomatricum antistitem, Ludovici Pii fratrem, super haec ad Germaniae, Belgicaeque primas adspirasse, queritur in epistolis suis Hincmarus. »Drogo, »Metensium episcopus,« ait, »fastu regiae prosapiae subvectus, »hanc praelationem in cis-Alpinis regionibus, nacta quadam »occasione tempore Lotharii imperatoris apud Sergium papam »obtinuit, sed quod affectu ambiit, effectum non habuit, et »quod efficaciae usu non consentientibus, quibus intererat, »obtinere non potuit, patientissime ut eum decuit, toleravit, »ne scandalum fratribus et consacerdotibus generans, schisma »in sanctam ecclesiam introduceret.« Illustre etiam judicium in hac re suis temporibus commemoravi, quod Bertolfus, Trevirorum archiepiscopus, in Walonem suffraganeum exercuit; sed quia non plane compertum, quod jus quaestionem eam rexerit, clarius hic promere juvat, quod de Stephano documentum extat. Fuit is Barri dynastarum nobili ortus prosapia, Vidonis archiepiscopi Viennensis ex sorore nepos; porro Vido

(1) Gregor. 2. epist. 8. ad Bonif. pallii donatione fieri archiepiscopum.
(2) Episcop. tabulae et Paulus diaconus hist. rom. Gobard. lib. 6. et 16.

cum aõ 1119 in locum Gelasii Romani pontificis, Calisti secundi sumpto nomine suffectus esset, Stephanum cardinalium coetui allectum Romamque perductum consecravit. Tum vero cum pallii honore ad ecclesiam Metensem dissidiorum et schismatum procella fluctuantem a se dimisit. Caeterum nec fraudi fuisse metropoli hanc Stephani praerogativam docuit ipse Calistus vetans ne ad posteros dignitas ea pertineret, unde vetus scriptor Metensis, qui Stephano sedente vixit: »de»functo,« inquit, »domino Popone, Metenses magnificum et »nobilem virum, ex Viennensi archiepiscopatu assumptum, do»minum Stephanum apostolica consecratum benedictione in »urbe Romana, palliique dignitate honoratum suae vitae cur»riculo, ecclesiae Trevirensis salvo privilegio, in episcopum »suscipiunt, qui, quoniam adhuc vita floret, et aetate viget, »tentatio sileat elationis, orta ex peste adulationis (1).« Non itaque pervicere Mediomatricum episcopi, ut honos is perpetuus esset, qui ad tuendam ordinis hierarchici disciplinam nec temere in episcopos vulgari solet. Unde qui palliis utantur praesules inferiores, reperias in Occidente sane paucos. Celebres hoc nomine in Italia Lucensis et Ostiensis, in Germania nostra Babenbergensis, qui uni subjectus Romano Pontifici.

XI. Dolo igitur malo et insigni fraude, quo tempore Otto Magnus imperavit, Graeci vulgares episcopi hoc insigne rapuerunt, Constantinopolitani patriarchae consensu pallii gestamine passim abutentes, cujus rei operae pretium ex Luitprandi Cremonensis legatione, quae hinc in lucem prodiit, illustre proferre testimonium. Etenim qua tempestate Agapitus II. Romae sedit, Romana sedes et urbs ab Alberico consule graviter pressa, dici vix potest, quam ejus hominis immanem dominandi libidinem sensit. Is enim, cum anno 956 (2), Agapito extincto, filium suum Octavianum Joannis XII. nomine, adolescentem, ad summi pontificatus culmen evexisset, oportunam sibi dignitatem eam filii nactus, sacra per fas nefasque polluere,

(1) Gregor. epist. aliquot in dic. c. 13. ad Joan. Ravennat. et Joan. diacon. in vitae S. Gregor. lib. 3. cap. 1.

(2) Sidon. Ital. hist. Aõ. cit. et seq.

et venalia habere omnia divina et humana jura coepit; Romano itaque Porphyrogenito Graecorum imperatori, ejusque filio nuper ex eunucho patriarchae, gratiam hanc fecit, ut pecunia accepta pallii honores, et arbitria ei venumdaret. Qua de re Luitprandum jam, si placet, audiamus. »Sed quid hoc me- »morem, cum ipsa Constantinopolitana ecclesia nostrae sanctae »catholicae atque apostolicae ecclesiae Romanae merito sit »subjecta. Scimus, imo videmus Constantinopolitanum epis- »copum pallio non uti, nisi Sancti Patris nostri permissu. »Verum cum impiissimus Albericus, quem non stillatim cu- »piditas, sed velut torrens impleverat, Romanam civitatem sibi »usurparet, dominumque apostolicum quasi servum proprium »in conclavi teneret, Romanus imperator filium suum Theo- »phylactum, eunuchum, patriarcham constituit, cumque eum »Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis »magnis, effecit ut ex papae nomine Theophylacto patriarchae »literae mitterentur, qua auctoritate tum ipse, tum successores »ejus absque paparum permissu, palliis uterentur. Ex quo »turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum »patriarchae, sed etiam episcopi totius Graeciae *palliis utantur.*« Sic Luitprandus.

XII. Veruntamem astrictior extitit Occidentalis ecclesiae disciplina, quam ut in eam levitatem et ambitionem rueret, etsi perniciosis regnum inter et sacerdotium obortis dissidiis investiturae obtentu, tituloque plurimum in ecclesiastica censura turbatum aliquando, canonum ac legum fraenis majorem in modum laxatis. Porro provincialium episcoporum erga metropolitam saeculis illis innocuis, et minus ambitiosis, eximia fuit interim, ac rara observantia, ut non minus ab eorum obsequio ad praecipuam sedem splendoris et auctoritatis, quam ad disciplinam et ordinem utrinque stabiliendum accederet emolumenti. Hinc adeo prima et antiquissima suffraganeorum illa cura vigebat, in synodis atque conventibus assidere metropolitano; eidem operam dare in dicandis, consecrandisque basilicis, vicarium munus commodare, si illum abesse vel peregrinari reipublicae causa juberet. Denique ubi res ferret,

manu consilioque agendo, providendo ejus levare curas. Quin et extincto archiepiscopo moderari jura sacrorum et sufficiendo novo praesuli, indicere comitia, temperare suffragia olim incumbebat. Quae tamen officia functionesque aliae similes aut privilegiis sunt aversae, aut contrariis moribus abrogatae, perexigua quoque, ut reponantur vivente in posteris cura. Vetustissimis etiam ante quingentos annos ritualibus traditum invenio, ut qui provinciales episcopi electi, probatique pace bona metropolitani suam inire sedem vellent, ei jurati obsequium addicerent et chyrographo corroborarent.

XIII. Sed metropolitani in suffraganeos jura nimirum imbecillis jam adminiculis nituntur, etiamsi a majoribus saluberrime multa sancita sunt, in quibus suffraganeus metropolitano (1) morem gerere, metropolitanus suffraganeo praecipere potest, ut in cogendis synodis, appellationibus admittendis, extirpanda consuetudine qualibet noxia, quae quidem ubi vitio saeculorum et hominum obsolescunt, et agi desinunt, e nascentibus in agro dominico zizaniis, ceu vitiorum nimium quam herbescente gramine, necesse tandem est, feliciores et ipsas segetes opprimi. Quid enim vel bonus etiam agricola, quid hic agat? Nimirum cernit immodica cleri licentia mores perire bonos, clerum eundem diffluere luxu, magistratum in officio socordem, muneribus ac dissimulandi artificiis incidi veteris disciplinae nervos. Jubet canon, ut suppleat negligentiam episcopi. At jam pridem imperii retinacula et juris habenae fractae, atque excussae sunt. Audit iterum, praevaricatione, seu nundinationibus interverti sacerdotia, commendari militibus, vel aulicis abbatias, perrumpi claustra monialium, raros ecclesiis suis invigilare pastores, non inspici, non corripi dissolutos; haec inquam et audit, et eunt quotidie praeter oculos. Accurratne illico et opem ferat? Clament id licet leges, et res ipsa postulet, effusis tamen jam remediis, ubi Mars et aula, judicesque saeculi mitris imperant, nulla hic satis valida suppetunt ad sublevan-

(1) Aurelian. 3. cap. 1. Innoc. 3. c. 6. 18. distinc. sicut olim lateram sub Leone sess. 10. Trid. 24. c. 2. q. 1. de cleric. non residenti per totum.

das res prostratas subsidia. Quam ob rem turpitudo manet, veteri disciplina, et obsequii gloria sublatis. Ita quibus in locis uberes agros, plenamque messem coelestis agricola exspectaret, hic vitiosae lappae, tribulique et steriles avenae, pretio culturae poenitendo proveniunt.

CAPUT VII.

De metropolis Trevericae religione ac sanctitate.

I. Postquam de metropolis dictum amplitudine, postulare videtur res ipsa, ut de ejusdem religione ac sanctitate separatim, distincteque aliquid literis mandemus. Hanc ut praeclare ad Marcellam B. Hieronymus: »totius,« inquit, »provinciae »gloria, metropoli vindicatur et quidquid in membris laudis »est, omne refertur ad caput.«

Ac principio quidem haec metropolis tum alia cum caeteris habet communia non pauca, quod scilicet antiquitate insigni commendata, quod religionis intemeratae cursu nunquam interrupta, tum excellentem, quod caput hic est, apud exteros opinionem sanctitatis ex aliis atque aliis religionum fontibus, at praecipue ex soli hujus conditione profectam (1). Etenim locorum sanctitas vel gigni hominum, Deique consecratione, vel usu ipso ac destinatione corroborari solet. Nam si muri moeniaque civitatum ob legum poenarumque sanctiones, quibus inviolata manent, augusta et sancta haberi solent, quia ut Justinianus ait, *quodammodo divini juris, et ideo nullius in bonis sunt.* Etsi verbenae ac sagmina, a quibus sanctum nonnulli derivant, legatis ad bellum indicendum vel iciendum

---

(1) B. Thom. 3. p. q. 82. q. a. 3. 1. Stephan. Durant. de ritibus ecclesiae dedic. Justin. l. sacra loca 9. §. sanctae ff. de rerum divis. Plutarchus in Romulo sanctum quid sit. Livius Festus interpr. juris ad tit. de rerum divis.

foedus Roma proficiscentibus eam dabant sanctimoniam, qua muniti violari non poterant, quanto magis ea quae cum Deo ac divinis rebus affinitatem ac intimam societatem quandam contrahunt, sortiuntur hoc usu atque peculiari commercio suo, quo proxime accedunt ad Deum, praestantiam eam religionis, qua a caeterorum, licet ejusdem generis, consortio remota, plus jam puritatis et honoris obtinere censeantur, et ab hominum injuria esse defensa, ac munita.

II. Ut enim illa aeterna et interminata mens, quae consilio mundum regit, ob divinae naturae suae summam excellentiam, genere cultus omnium praestantissimo, ac purissima religione coli ab hominibus amat; ita quidquid ei, sive proprio cultu atque ceremonia, sive hominum instituto, eventu, aut alio quovis consilio rite dicatum est, ob eam, quam accipit, cum Deo cognationem, similitudinem quandam induit, et imaginem sanctitatis, unde justam apud omnes meretur venerationem. Sic Moyses, in admirabili ardentis rubi portento, cum ad spectaculum tam insolitum penitus agnoscendum propius fert gradum, sistere jubetur, ac prius solvere de pedibus calceamentum, *quia locus, in quo staret, terra sancta esset.* Quid ita tandem? num terrae id genus caetera terra purius, aut nobilius, in quo rubus insisteret, aut sparsis diffusa ramis umbra sua opacaret? Haud ita quisquam, opinor, sentiat, et tamen sanctum, quia ad mysterii, quod gerebatur, magnitudinem haec opinio sanctitatis religionem Mosi afferebat utilem loci a Deo consecrati. Sic utique terram, quae primo nascentem, quae cubantem, et in oratione Dei noctibus ipsis pervigilem accepit, quae morientis sanguinem avide bibit, extinctum gremio complexa fovit, quam Christus omnibus denique vestigiis consecravit, non sanctam modo dicimus, ac salutamus; sed ad immortalitatem memoriae religionis laude et Christi tam admirandis factis praedicamus in sempiternum gloriosam.

III. Quodsi igitur terra, rubi, montes, adeoque deserta locorum, rationis licet expertia, hanc tamen vel ab ipso Deo, vel instituto, ac hominum voluntate interdum accepere reverentiam, ut neque sanctitas sine piaculo detrahi, nec violari

sine sacrilegio possit: quid in sola terrarum illa. quae omni in parte sua prodigiis coelestibus, ac divinae potentiae signis tam manifestis olim illustrata sunt, imo martyrum tot innumerabilium cruore ubertim irrigata, pari sanctitatis titulo consecremus? ut hic merito sapientes tam Graeciae, quam Latii, Persarum magos explodant, quibus authoribus Xerxes inflamasse templa Graeciae dicitur, quia Dei hic mundus omnis templum esset, et domus, neque locorum ullum faciendum esse discrimen; qua sententia, ut convelli putarunt religionem, ita plurimum eam intellexerunt augeri, si certis, definitisque locis, non mentibus, sed oculis quoque numinis praesentia et favor observaretur. Atque aliis in locis alia licet non pauca, commemorabilia exstare, hisque ipsis, quae nos afferimus, augustiora non ignoremus; haec qualiscunque tamen Trevirorum ecclesia, iis incedit praerogativis ornata, titulisque religionis, nulla uti trans Alpes metropolis (dicto absit invidia) partibus ei possit omnibus aequiparari. Nam sive Sanctorum omnis sexus atque conditionis innumeros coetus, sive prodigiorum et miraculorum in eorum basilicis templisque editorum frequentiam, sive sacrorum ossium acervos, quibus areae, parietes, cryptae, humus demum ipsa exaggerata consurgit, seu denique praestantium antistitum et martyrio vitaeque innocentia clarum agmen episcoporum inspicias, seu religionis aevo apostolico ad nos usque traductae inviolatam hac in sede constantiam nulla neque haeresi, neque universali defectione interruptam, harum rerum omnium hic tanta dignitas ac magnificentia elucescit, ut ferme nescias, quo jam ultra possit progredi.

IV. Ut enim de martyribus exordiar, metropolis haec variis martyrum, in quibus decertarunt, arenis sive palaestris exornatur, quarum apud Bodobrigam illustris una, et apud Confluentes duae, altera in monte S. Beati, qui mons a carthusianis jam insessus, olim a martyribus nomen tulit, altera paulo infra arcem Ehrenbreitsteinianam parthenone, cui olim Basilicae, Besselich, nomen fuit; agnoscitur et illa quae paulo supra Noviomagum Constantini, in ripa Mosellae colitur religioso sacello; quem ad locum usque flumen martyrum sanguine

purpuratum incessisse traditur, quando sub Rictio Varo civitas martyrium fecit. Sed clariorum certaminum est, quae visitur apud ipsam Trevirorum urbem, Campo martio, spatio, quod suburbanis tribus basilicis, Maximiniana, Pauliniana, et Beatae Virginis ad Martyres medium intercipitur. Ac triplici quidem martyrum genere, seu quibusdam gradibus hujus areae sanctitas distingui potest, cum ex Thebaeorum militum duabus cohortibus sint, vel ex nobilium senatorum corpore, vel ex promiscua civium et incolarum turba, quotquot in hoc loci conspectu et memoria versantur, de quibus poeta Trevirensis (1) pius non minus, ac facundus, in Trevirorum martyrio ad IV. octobris:

> Sunt testes valles geminis plaga subdita clivis
> Caedibus infectae; testis confusa virorum vox
> Commistusque oris gemitus, lacrymaeque cadentum
> In mortem haud meritam; quos sors necis abstulit audax.
> Sunt testes putei, numeroso funere pleni
> Prataque per patulos hortos et rore tumentes
> Sanguineo campi longe, qua Martia rura
> Educunt pingui sata luxuriantia cultu.
> Sunt etiam testes urnae per busta retrusae.

Admiscent interim plurimi se his recepti olim in coelum antistites conspicuis et eminentibus sepulchris.

V. Sed martyrum etiam adhaec conditoria, geminis in puteis praecipue visenda, hinc in D. Maximini aede ex cohorte S. Bonifacii et popularium numero, inde apud Deiparae Matris in ripa fluminis praesertim ex Treverico genere. At Pauliniana tum basilica, tum area sacratis ossibus est ubique contecta, et praeter aggestos, exstructosque reliquiarum cespites cryptam exhibet praecipua sanctimonia, in qua medius Paulinus ducit hinc laureatum martyrio senatum, inde Thyrso duce victoria nobilem Thebaeorum cohortem. Atque haec in septentrionibus; at ex adversa apud urbis meridiem emicant augusta specie, cultusque prisci coemeteria et cryptae subdiales in D. Eucharii, quod hodie appellant S. Matthiae monasterio, ossibus item

(1) Matthiae Agritii fasti de SS. Trever.

beatorum martyrum et episcoporum cumulatae. Et in ipsa quidem operis elegantissimi aede veterum monumenta cernuntur antistitum sub odeo, extantibus passim in cryptae pariete sacratis urnis. Fuerunt enim hic ut religionis christianae prima incunabula, sic episcoporum antiquissima sepulchra.

Illo vero quid dici, aut cogitari potest beatius? Hujus ecclesiae antistites admodum numerari undequinquaginta, fastis sacris adscriptos, omnes praecipua ac spectata sanctitate. Caeterorum vero tam martyrio, quam claris factis celebrium, frustra numerum ineam. Constat enim non singulas modo sparsim basilicas, sed integros vicos, atque oppida sanctorum corporibus singulorum illustrata, famam, nomenque apud posteros invenisse; B. Castoris Confluentiae et Caraduni; trans Rhenum S. Lubentii; in Westerrichi finibus S. Wendelini; Epternaci S. Willibrordi; apud Rhenum S. Goaris, duoque Monasteria, Meinfeldiae S. Severi, Chrysanthi, Dariae et aliorum in Eiflia; ut diversas ecclesias praeteream Deiparae Virgini, aliisque Sanctis consecratas.

VI. Quid vero jam hic memorem multiplicem illam sacri instrumenti et beatorum pignorum gazam, et synthesin, aliunde importatam Christi domini tunicam inconsutilem, clavum item, quo confixus Salvator, quique sanguinis sui scaturigine prodigiosus olim extitit; ingentia crucis salutiferae fragmina, apostolorum B. Petri, Matthiae et Philippi, Virginis Deiparae et Annae matris spectabiles omnino reliquias, et id genus augusta sexcenta alia Divorum spolia suis multa locis memoranda. Quibus si provinciales etiam opes dotesque jungam, manifestum fiat, ecclesiam hanc neque praestantia religionis, neque copia sanctitatis, neque sacrorum pignorum omnis generis excellentia, nec denique miraculorum magnitudine ab ulla prorsus trans Alpina superari. Id quod omnigenae eruditionis laude vir excellens Bartholomaeus Bodeghemius paucis versibus testatum reliquit (In fastos ecclesiae trevirensis Matthiae Agritii, pag. 96):

Egregiis celebres ut dotes urbibus insunt,
Sic tua ter felix munera Trevir habes.

Marmora praetereo stratis male mista colossis,
Et titulos lapidum qui sine honore jacent,
At diuum exuvias, monumenta insignia miror,
Quae certo numero sunt sine lecta tibi:
Nec tunicam Pauli, quamuis Hieronymus illam
Praetulerit gemmis, purpureaeue togae,
Sed Christi tunicam suspexi, pignora sancta,
Pignora non vanis suspicienda viris.
Sancta tibi tellus territur, cultissima tellus
Calcatur pedibus, qua tibi cunque tuis:
O felix Trevir cui contigit alite fausto
Innumeras urbes tot superare bonis.

Quemadmodum igitur divinae literae Hierosolymorum urbi (1) ob admirandi templi religionem et sancta sanctorum, ut sancta dicatur; et Romanis coloniis a se deductis olim felicis successus causa, augustae nomen imponebant, quo nihil eis erat sanctius et auspicacius, perinde suscepit majorum consuetudo, ut Treviris, quae augustae olim nomen in superstitione tulerat, eadem in christiana religione melioribus auspiciis sancta omnium ore caneretur. Neque vero, si antiquitatem spectes, titulus iste justam ullam habet recusationem, quem B. Hilarius, ante tot saecula, tam libenter utique aetatis suae consensu, Treviris impertiit, nam ubi in Constantium imperatorem acriter invectus, eum reprehendit, quod Paulinum Trevirorum pontificem, beatae memoriae virum, blandimento sollicitatum relegasset, *et ecclesiam sanctam Trevirorum,* inquit, *tali sacerdote spoliasti.* Hilario multis aetatibus licet inferior, fidus esse tamen hujus traditionis custos videtur Thomas Cantipratensis dominicanus, homo sui temporis doctus juxta ac pius, (2) nec rerum Trevirensium ignarus, qui ante quadringentos annos hanc opinionem et laudem commendatae sanctitatis excipiens, »Quatuor,« inquit, »ecclesiae inter cathedrales, »sanctae, speciali usu dignitatis, et scribi solent, et dici: ut »sancta Romana ecclesia, sancta Hierosolymitana, sancta Tre»virensis, et sancta Coloniensis non abs re venerabiliter nun-

(1) Matth. 27. et ibi Hieronym. et Beda. Joan. Maldonat. ad c. 4. Matth. Suetonius in August. et Div. lib. 53.
(2) Lib. 2. mirac. de apum discipl. c. 53. p. 6.

»cupantur. Sanctum enim dicitur, quasi sanguine tinctum, »quod etymon, ut re potius hic, quam nominis usu valere con»cedas, ita nec istud, nisi certo sensu, quod ibidem,« ait, »cognoscas, Trevirim universam triplici martyrio fuisse coro»natam.«

Plurimum equidem Treviris congratulabar, cum titulum hunc antiquissimum pervetusto urbis sigillo tum clare consignatum reperiebam, nihil ut eo testimonio fieri locupletius jam possit. Stat sculptus venerabili imagine Christus Salvator muris ipsius urbis inclusus, dextra B. Petro apostolo, laeva S. Euchario adsistentibus, qui ambo clavem eam, quam Christus manu sua gerit, se item contingere, et pro potestatis sibi factae copia prehendere gestiunt, aliis subter populis Trevirorum ad ejusdem contactum, velut sacrum aspirantibus, quo testentur se sub Christi, apostolicaeque ecclesiae protectione aeternum constituros. Moenibus urbis, qua clauduntur, inscriptum: *Sancta Treviris;* et quia Christi imago benedicentis habitum exprimit, peripheria (ut alibi signavimus, et in subjecto urbis sigillo patebit) hunc versum complectitur, quem hactenus propitio numine gaudemus impleri:

Trevericam plebem Dominus benedicat et urbem.

CAPUT VIII.

De peregrinorum et poenitentium ad Treviros accessu.

I. Etsi terrae suae sanctitate multi Trevirorum eximia, divinaque bona pepererunt, nihil tamen in hominum vitam attulere praestabilius iis expiationibus, ac sacrorum procurationibus, quibus non tam remedium corporibus, quam veniae, gratiaeque fiduciam animis adhibuere, scelerum magnitudine oppressis. Intelligebant quippe nihil ipsi Deo minus gratum fore, quam advenas, complures peregrini quidem soli consec-

tari religionem, hanc tamen pati in animo suo jacere afflictam ac violatam; quin vero cum hominis animus tanquam propria quaedam sit sanctitatis sedes, judicabant, qui labes animi sui, et piacula negligeret, hunc civem in religiosa republica numerari non posse.

II. Ergo cum pontifice maximo re communicata, ob creberrimos advenarum ex Aquitania, finitimisque Galliae et Germaniae locis, tum etiam ex Pannonia, Bohemiaque religionis ergo hanc in urbem confluentium accessus operam dedere praesules, ut amplissimam et apostolicam pene potestatem adepti, saluberrimam poenitentiae velut officinam erigerent, et gravissimis caeremoniis peregrinos undique venientes expiarent. Id quod ante aliquot saecula rarissimo exemplo et auctoritate singulari in hac praecipue ecclesia, non minore reipublicae christianae fructu, quam animarum solatio factitatum erat, ita, ut atrociora quoque, et non temere alibi laxari solita, hic ab archiepiscopo solverentur. Et invenio sane pervetustis in ritualibus hujus moris luculenta vestigia, quem datis etiam diplomatis superiore saeculo Leo X. egregie confirmavit. Hebdomade sacratiore, qua sponsi Christi necem et acerba pro hominum salute obita supplicia deplorat ecclesia, in aedem primariam undique poenitentiae causa ventitabant inquilini, advenae, seu notis, seu occultis sceleribus adstricti. Hi simul apud delectos, insigni prudentiae ac virtutis commendatione sacerdotes, acta praeteritae vitae flagitia clam exposuissent, et ritu christiano sese flebiliter accusassent. Si publica quidem eorum exstitissent et graviora facinora, cum instrumentis scelerum, ex basilica primaria circum ecclesiarum altaria supplicatum mittebantur, D. Simeonis, Horreensis, et B. Martini, quae intra urbis septa, tum in alia tria, quae foris, D. Matthiae, S. Maximini et Deiparae ad Martyres: posthaec coacti simul in unum die coenae Domini, bene mane ad galli cantum, denso agmine in aream maximi templi denuo coibant tanta plerumque multitudine, ut armatis ad submovendum adpositis aegre protegerentur. Agminis autem facies ex utriusque sexus et ordinum discrimine plane lugubris erat et

miseranda; cum alii toto propemodum corpore, alii parte nudati, moestique incederent, alii linteati, et amicti candidis, tristesque dejecto in terram vultu prodirent foeminae, vero, puellaeque, sparso per humeros capillo, pedibus nudis, indumento ob verecundiam ferme laneo, sequerentur ad moestitiam et luctum, item ore composito et gradu.

III. Inde ante templi fores certa mora spatioque, collacrymantibus etiam qui adstarent prae commiseratione civibus, cum interea universo clero comitatus archiepiscopus obviam ex penetralibus veniebat, et in templi adita luridum agmen inducebat. Atque ibi tum simul lugubres cantilenas ad placandam Dei iram clerus inchoasset, universi poenitentium mox ordines solo prostrati supplices, objectique veniam exspectabant. Qua caeremonia peracta archiepiscopus demum infulatus pro potestatis magnitudine impertita benedictione, rite cunctos absolvebat, et criminum omnium indulgentiam, veniamque Dei nomine concedebat. Hanc ego saluberrimam majorum consuetudinem mecum animo repetens, non possum facere, quin cum B. Hieronymo exclamem: (1) *quae peccata fletus iste non purgaret? quas inveteratas maculas haec lamenta non abluerent?*

IV. Et haec quidem tam sobria et praeclara instituta apud nostros viguere majores. Subinde prolatis Richardus archiepiscopus in lucem magnis reliquiarum thesauris, et amplissimis a Leone X. pontifice maximo impetratis indulgentiarum facultatibus, et peregrinorum studia, quae elanguerant, excitarentur, lipsanophaniam in septennium contraxit, initio caeremoniarum ad diem mensis julii 10. constituto, ut hinc ad Aquisgranensia reliquiarum solennia transeundi commoditas esset. At paulo post haeresion pestis illapsa populorum animis ingentes subito honestae disciplinae, verae poenitentiae, ac sacramentorum omnium strages edidit, cum Lutheri, Calvinique immani consilio tam insignes religiones plurimis in locis jacent prostratae et afflictae, sed hominum impudentia, libidine, nequitiae, et quod caput est, impunitatis stolida praesumptione distractae penitus, atque elisae.

(1) Hieron. de fabiola.

V. Non igitur male, opinor, sentiat, qui haeresin Medusae caput esse dixerit, quod improviso oculis objectum, homines (ad studium honestatis, ad dolorem et lacrymas ex scelerum recordatione, alioqui natura sua pronos), citius quam putares, in silicis naturam convertit, vel unius sono carminis, quo nullum opus sine labe purum ab homine christiano edi posse persuasit, ac proinde supervacaneum statuit esse lamentari, cum improborum salutem non animi moestitudine, nec ullo pio dolore niti voluit, sed sola fide, id est, inexplicabili temeritate et stultissima confidentia. Quo quidem errore licet circum agros Trevericos deliret infelix aetas nostra, Treviri nihilominus pristinae religionis, si paucos dempseris, tenaces, consuetae in peregrinis poenitentibus excipiendis, expiandisque pietatis institutum pro viribus tuentur, metropolitana ecclesia ab omni semper labe haereseos intacta, apostolicumque fidei decus a prima sui, religionisque susceptae origine, inviolate propagante.

CAPUT IX.

Supplicationum apud Treviros, tam domesticarum, quam externarum, frequentia et varietas, cum variis earum effectibus.

I. Supplicantium, qua incolarum, qua peregrinorum, tanta apud Treviros varietas per annum ac multitudo est, ut hanc per singulas hujus archidioecesis ecclesias describere, eorumque, cum caeremonias, tum causas, eventusque recensere, integri sit futurum voluminis opus. Quare solenniores tantum supplicum processiones exponendas hoc loco censui, ex quibus singularis hujus metropolis religio, pietasque emineat.

II. Ut vero ab augusta Trevirorum urbe, ejusque metropolitana basilica ordiar. Haec praecipuas omnes urbis, suburbiique utriusque ecclesias, ubi vel sanctorum apostolorum, vel

martyrum, vel episcoporum veneranda sepulchra sunt, supplicatione, rituque solenni ecclesiasticorum sub crucis vexillo longo agmine incedentium adit, ut quae caeteris dignitate praefecta est, exemplo hoc etiam praeluceat pietatis.

In *festo S. Marci,* extra octavam Paschae, ex summa metropolis aede ad templum S. Matthiae, mille a moenibus passuum intervallo, supplicatum inceditur, et solenni ibidem sacrificio in Dei, apostolique et evangelistae honorem inter musicos accinentium choros litatur; quodsi idem festum infra octavam se offerat, ad SS. Laurentii, Gangolfique parochias intra moenia inceditur, sacrificio in summa aede oblato.

Feria VI. post dominicam *Misericordiae,* per septem ecclesiarum stationes cum reliquis canonicorum collegiis, urbisque ac vicinorum pagorum affluente populo ex summa aede universali supplicatione Deus placatur.

Similis feria IV. post dominicam *Jubilate,* tam urbis, quam pagorum ex propinquo affluentium processio ducitur Uhrenum extra portam pontis ad alterum fere lapidem dissitum, ibique statione, quam vocant luporum (ob redemptum a lupis populum, non per agros solum, verum et urbem penetrato accessu grassantibus) obita, sacrificioque immolato, concio summa in aede ad gratiarum actionem a decano christianitatis instituitur.

In septimana S. Crucis, post dominicam, quam *Vocem jucunditatis* dicunt, feria II. per urbis templa a metropolitanis ecclesiasticis per templa D. Virginis Majoris, S. Laurentii, S. Agnetis, SS. Gervasii et Prothasii ad montem S. Crucis mille facile passibus extra muros, indeque ad D. Matthiam pro solenni sacrificio comitante populo proceditur.

Feria III. insequenti haud minori viarum flexu ad SS. Martyrum basilicam una cum collegiatarum ecclesiarum canonicis, per quinque urbis templa, S. Joannis Baptistae infra pontem, B. Mariae Virginis in Horreo, S^ti Pauli, Catharinae et Martini; denique flexo itinere extra moenia per septentrionalem portam ad Mosellam deflectitur, sacrificioque et concione processio concluditur.

In vigilia *Ascensionis Dominicae* aurea, quam vocant, statio, ab aureis, opinor, reliquiarum thecis, comitante senatu obitur, quae cum totius civitatis affluxu, praecedentibus tribuum taedis ac sclopetariis ex summo templo ad collegiatam ecclesiam S. Simeonis atque inde stipata hoc canonicorum ordine ad S. Paulini aedem ante borealem urbis plagam, ubi et illius collegii aucta canonicis ad S. Maximinum mediis reliquiarum thecis procedit. Hinc demum recedens in suas rursum ecclesias divisa processio abit, atque istic rebus divinis operata devotionem absolvit.

III. Praeter haec summa aedes a duabus ecclesiis collegiatis SS. Paulini et Simeonis in festiva dedicatione, translatione S. Materni, et celebritate SS. patronorum, Petri et Pauli, recurrente invisitur, vicissimque illae, ut D. Paulini, in festo S. Clementis et S. Simeonis, in ejusdem et Popponis archiepiscopi anniversaria memoria, D. Maximini, in festo patroni, et D. Matthiae, in memoria Eucharii Valeriique adeuntur.

Ut taceam extra hunc vicissitudinis ordinem S. Mariam Majorem in festo Nativitatis Deiparae, S. Martinum in festo Assumptionis, veneris etiam per quadragesimam diebus ad VII. ecclesias supplicatum plures confluere. Jam vero urbs tota, quemadmodum in supplicationes, quot per annum hebdomadibus effusa sit, nemo horum guarus locorum ignorat, quocunque fere die extra urbem te efferas, in supplicantium frequenter agmina incidas.

IV. Die lunae ad S. Matthiam pro sua quisque opportunitate supplex incedit.

Die martis, interfectorum pro fide sepulchra ad S. Mariam Martyrum invisuntur.

Die mercurii ad S. Paulinum itur.

Die jovis ad sodalitates venerabilis Sacramenti affluunt.

Die veneris in S. Martino crucis S. dominico adhuc sanguine notatae reliquias honorant.

Die sabathi vel ad B. Virginem Mariam Majorem in urbe, vel extra ad Martyres progrediuntur.

V. Alter Trevirorum celeberrimus ex adjacentibus provinciis etiam deductis supplicationibus locus, est abbatia D. Matthiae, ubi erecta confraternitas, quae praeter Trevirensis archidioecesis urbes, pagosque, universe supra XL complectitur, ipsamque adeo, cum Andernaco, Lintzio, Bonnaque, includit Coloniam, unde quotannis ducta processione supplicum, aut pridie Pentecostes, aut aliis festivitatibus, ingentis saepe molis candelae, suis pictae emblematibus, et insignibus ornatae, ante aram D. Matthiae sacram longo utrimque ordine statuuntur, annuoque tempore voluto, cum novitiis cereis oblatis permutantur.

VI. Tertius ad S. Maximinum extra borealem urbis portam situm, benedictinorum, idem sub abbate monasterium, processionum frequentia locus celebratur, quibus supra quinquaginta pagorum, imprimis Lutzelburgensium, homines, et capita quidem familiarum, recepta antiquitus devotione in festivitate patroni S. Maximini, aut certe in festivitate SS. apostolorum Petri et Pauli, interesse tenentur, aut nisi compareant, quod jure jurando explorant, ad certam mulctam, vexillo, aut cruce detenta, redimendaque pendendam, si tamen morbus, aut violenta detentio non excusent, obligantur. Caeterum peracta supplicatione, tres denique cuique denarii ad vexilli aut crucis redemptionem solvendi sunt, qui et justa absentiae excusatione purgatis transmittendi sint Losheimienses offerendi panis obligatione tenentur, quem perticae plerum infixum transferunt, in ara deponendum. Quae consuetudo antiquissimis retro temporibus ad nos traducta, abbatiae hujus tributarios pagos devinxit, tum ut terreni juris dominum, tum ut coelestis auctoritatem, potestatemque revereantur.

Et haec paulo fusius enarrata, metropolitanae urbi, ecclesiaeque debere videbar, quae si per singula hujus archidioecesis loca vestigando incederem, catalogumque supplicationum texerem, fastidium, opinor, generarem, cum vix ullius nominis ecclesia sit, quae non suis quotannis supplicationibus, per agros et urbium vicos publicis Deum, ejusque sanctos, veneretur.

VII. Dictum in annalibus de supplicantium ritu apud Epternacenses et Prumienses ad tibiarum inflatarum modulos

et cytharae sonos incedentium, quem cum aliis eorum locorum processionibus aliquanto hic describere accuratius, ejusque expendere utilitatem visum est. Triplicem hic potissimum eorum diversitatem reperio.

Prima est saltantium, quae ad imitationem Davidis ante arcam Dei salientis, instituta a majoribus, intermitti sine manifesta Dei punitione, quamvis tentatum saepius, nunquam tamen potuit, cum neglecta hac et homines et pecora saltare in stabulis, pratisque quandoque sine intermissione, usque ad mortem, reperta sint. Hinc frequenter plexis non facile persuadeas hujus religionis contemptum.

Obligatur vero prisca consuetudine pagus non ignobilis in Luxenburgensis et Trevirensis territorii limitibus situs, *Wachsweiler* nuncupatus, cum aliis pagis ecclesiisque adnexis. Quibus varii privata ex diversis parochiis, regionibusque devotione obstricti sociantur. Hi feria secunda Pentecostes Epternaci, in ducatu Luxenburgico conveniunt, tertioque martis die saltum primo diluculo ad pontem civitatis ordiuntur, crucemque istic propositam triplicata saltantium corona ambiunt. Inde ad templum abbatiale saltando progressi, positas ante sacram aedem tibias, repetito tertium quoque saltu circumdant; hinc vero per ecclesiam traducto salientium agmine, summam aram tali incessu cingunt, ac postremo sub corona, facibus illustrata, media in templi navi triplici circuitu saltum absolvunt, donec corona super vertices capitum dimissa, proni in terram, extensis, collisisque manibus, elata voce gratias Deo plaudunt. Concludit hanc supplicationem agminis ductor, parochus, *Salve Regina Mater misericordiae* succinendo, exhortationeque subjecta, populum dimittit.

Spectaculum hoc est, quod principio risum, deinde admirationem constanter salientium, postea commiserationem, senum praesertim, aegre vacillantes gradus promoventium, postremo etiam lacrymas intuentibus elicit, praecipue ubi conclamata voce, et miserationem Dei provocant, et gratiarum vota rependunt.

VIII. Panis ad S. Willibrordi altare a saltantibus oblatus, incorruptus deinde perseverat, servitque adversus hominum morbos, pecudumque, uti et aqua, quae eisdem ex fonte S. Willibrordi e templi fundamentis saturiente, deprompta, benedictaque offertur, quam annis integris citra omnis corruptionis notam ad paria sentiunt remedia inservire.

IX. Altera hoc loco eodemque pene tempore sese offert supplicantium per certas stationes, seu, ut ajunt, stantium processio. Hujus processionis caput praecipuum est pagus alter, haud procul Bidburgo, quem Bukendorff dicunt, cum addictis eidem matri ecclesiae filiabus capellis. Hi ad eundem collecti urbis pontem, ea lege stationes ordiuntur, ut progressi ad tres, quatuorve passus subsistant, immotique hymnum aliquem concinendo prosequantur. Hoc absoluto iterum movent sese priori ritu ecclesiam versus, alterumque hymnum et ediuntur, et evolvunt, et porro, qua incedendo, qua stando trium ferme horarum spatium, priusquam templi limen subeant, consumunt. Hi nihil ad tibiam cytharasque, sed geminis tintinnabulis constanter intersonantibus modulantur.

X. Tertia repentium processio est dicta, quod postquam, repetito aliquoties circuitu crucem ponti vicinam ambierunt, denique sub lapide, cruci propinquo, se incurvati transmittant. Qui lapis ad duos vix olim de terra pedes levatus, quod difficilem inprimis senioribus praeberet etiam reptando transitum, a superioris memoriae praelato Paschasio magis elatus, tertio nunc pede altior, proniorem successum facit. Hac peracta demissionis caeremonia templum subeunt, suaeque devotionis pensa exsolvunt.

Tanta autem ad harum processionum solennitatem frequentia convenitur, ut sexcentorum facile pagorum incolae confluant, cum oblationis certo praestandae onere, quod in aere, ac pane consistit, vicissimque a monasterio certa vini, panisque in refectionem peregrinorum adhibendi mensura penditur.

XI. Neglectus hujus processionis frequenter, ut supra memini, pecorum in stabulis salientium poena a Deo castigatus est. Sed et hominum coelitus punitorum correptionem ex re-

centi, praelatus ipse modernus, Philippus, mihi deprompsit memoria, ut, quod non nemo, cujus nomini parcitum, ad hunc saltum abeuntibus, cum risu dixerit: *Euge, saltatum istuc incedite, mihi interea cum puella saltus futurus jucundior est.* Et vero saltum deinde aggressus, finire nunquam potuit, sed integro, cum in pedes sese erigeret, subsiliens anno, obluctatus nequicquam est, donec anno salutis 1642 ex voto ad Divum Willibrordum concepto inter duos salientem sustinentes ad S. adductus aedem incolumis, absoluto hoc saltu ad suos rediit. Quam hic, in se ipso, miles poenam in prole expertus est; is enim cum vota recepisset, sese D. Willibrordum saltantium in choro aditurum, idque minus promissorum memor, negligeret, puer in cunis subsultim jactare corpus coepit, nulla arte ad quietem componendus, dum pater reus voti promissum expleret.

XII. Quo et illud referre licebit, quod circa saeculi hujus exordium evenisse, ex antiquae fidei testibus constat. Calvinista Batavus, qui forte negotiorum causa eo ascenderat, ut salientium hoc agmen conspexit, in risum solutus cachinno factum explosit: qui cum domum revertisset, inexspectato spectaculo, omnia in stabulo pecora saltantia reperit, quod cum magis risum promereretur, excussit lacrymas, et poenitentiam, votoque concepto promisit, si Deus hanc poenam avertisset, quot annis hanc saltantium processionem, una cum reliquis obiturum sese. Quod ut se domesticosque attonitos, hoc malo quiescente jam pecore liberatos vidit, naviter deinde saepiusque praestitit, Epternaci hoc nomine, factoque scabinis, aliisque cognitus. Multa id genus exempla a vivis hodiedum testibus colligi queant, si in receptissima fide operae pretium esset, inquirendo, vel scribendo moram ponere.

XIII. Eadem saltantium, stantiumque processio ut Epternaci a festo Pentecostes die, ita Prumiae ad templum collegiale et postea abbatiale ab Ascensionis Domini solennitate pari ritu et viarum fere etiam intervallo instituitur. Nam juxta sacellum ante urbem exorsi saltum, per forum ad collegiatam primo ecclesiam procedunt, triplicique istic ante sacram aedem corona in gyrum acti, postquam ingressi aram primam saltando

circumdedere, hinc ad basilicam abbatiae se transferunt, ubi triplicato rursum ante templum circuitu chorum agentes, aram quoque, intra aedem admissi, circumdant, ac demum in medio basilicae, ter in coronam saltitando circumacti proni in terram cum manuum, vocisque Jesum et Mariam insonantis plausu, et hymno *Regina coeli*, decantato, absolvunt. Stantium non dispar a superiori procedendi est ratio.

Porro frequens haec per Trevirorum, Lutzenburgiorumque agros supplicandi pietas, ut locis, rituque varia est, ita vix unquam impune negligitur, ut diversis in historia locis est observatum. In hospitali cruciferorum, nisi pecora statis temporibus a supplici agrestium plebe offerantur, pecus vel lupis, vel morbis expositum interit. Nec dispar admodum causa ad S. Wendalinum, superioris dioecesis limitaneum oppidum, supplicantes pecoris servandi causa trahit, ut Sanctum hunc pecoris custodia, et olim in vita, et nunc quoque a morte celebratum, sibi pronitent; eo saepe eventu, ut si aliquod per annum pecus amittatur, deposito, quod ad S. Wendalinum destinent offerendum, pignore, amissum recipiant. Sic Arensteiniana praemonstratensium ad Loganam abbatia meminimus alibi, eo quoque supplices acatholicos pro servandis jumentis affluere.

XIV. Jam de tempestatibus ab agris tectisque avertendis, quot locis et pie supplicatur et male haec pietas negligitur. Monasterii Meinfeldiae nullum certius adversus malignantis aurae praesidium, quam instituta publice supplicantium devotio. Ambarvales quae passim habentur supplicationes pro opportuna anni tempestate frugibus concilianda, instituuntur, quam ubi superioribus annis Suecorum haec loca infestantium tempore, pagi infra Confluentiam trans-Rhenani cum Ehrenbreitsteinianis neglexissent, pluvia, fulmineaque procella late fruges cum ipsis quoque animantibus per agros stravit, quae suis locis exposita uberius reperies, ut diversis quoque exemplis probatum, quod post votivas supplicationes Deo promissas morbi et gravantia familiam mala sublata sint.

XV. Quae ubi promissorum vel oblivio vel negligentia obrepsit, velut postliminio, majori etiam clade reverterunt, ut

dubitare nemo sanae mentis possit, tot praesertim supplicationum exemplis, experimentisque eventuum diversis, ante oculos positis, quin superis ejusmodi pietas et instituta placeat, et displiceat intermissa, veraeque atque incorruptae religionis Trevirorum perquam illustre sit argumentum.

XVI. Postremo quam rara illa, admirabilisque supplicantium multitudo est, quae ex vicinis late regionibus, non ex ignobili plebe solum, sed praecipuis nostri orbis principibus ad visendam Christi inconsutilem tunicam confluit tanta frequentia, ut nec urbs, nec suburbia omnes capiant, sed plerisque in plateis, vicisque recumbendum sit, idque non unius, sed plurium dierum intervallo, quo per singulas inceditur ecclesias et praecipui in omnibus reliquiarum thesauri, ad spectaculum pietatis venerationemque exponuntur. Atque in caeteris anterior pars togae candidae Virginis Matris ad SS. Martyres, tum vero et niveum ejusdem apud D. Maximinum peplum; ut clavum Christi et baculum D. Petri in aede summa, crucem vero adhuc sanguine Redemptoris notatam ad S. Martinum, aliaque id genus christianae religionis monumenta quam plurima taceam, quae etiam acatholicis, praesertim togam Christi intente spectantibus, incutere non raro devotionis lacrymas conspecta sunt.

XVII. Jam poenitentium, atque ad sacra tribunalia, mensamque eucharisticam eo tempore convolantium, tantus numerus est, ut nec exteri, nec incolae sacerdotes his universis sufficiant, et nox saepe diebus ad expiationem impertiendam jungenda sit; quem in hominibus pietatis zelum, fructumque ex reliquiarum sanctarum cultu et processionum institutione, siqui flocci pendant, aut etiam, ceu damnosum aspernentur, ii neque sensum religiosi hominis, neque guttam christiani sanguinis possidere videntur. Certe Treviris hoc sacro thesauro prae omni reliquarum opum aestimatione gloriatur, cum in hisce pignoribus quasi obsignatam fidei suae erga Christum hactenus inviolatae arrham sese possidere arbitratur.

CAPUT X.

Miraculorum gratia in Trevirensi archidioecesi semper illustris fuit, illa praesertim, quae D. Virginis patrocinio variis locis inclarescit.

I. Fuit divina providentia Trevirorum sancta archidioecesis ad multorum salutem mortalium jam olim ordinata, quando a discipulis apostolorum ad religionem instructa orthodoxam, rara per omnes pene aetates miraculorum gloria claruit, eisdemque cum illustri apostolicae, incorruptaeque fidei argumento hodiedum inclarescit. Neque enim illa Christi promissio recte credentes fallere, aut destituere poterit, signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur, »in nomine meo daemonia ejicient, aegris manus imponent, et bene habebunt etc.« comperta apud orthodoxos veritas est, fidem veram signa haec sequuntur, explosa apud heterodoxos post frustraneum Lutheri, Calvinique conatum. His tamen licet invidentibus, deridentibusque hac Trevirorum ecclesiae gloria, quaquaversum archidioecesi tota tam manifeste, collustrantur, ut nisi voluntaria caecitate affines heterodoxorum terrae clausis haec oculis, animisque exciperent, confuderentur utique, et erubescerent ad suae defectionis errorem. Rident illi nostram simplicitatem, qui vel haec Deo adscribimus, vel credimus perpetrari; nos contra illorum pertinaciam, ac caecitatem, quae haec naturae vires excedentia, nec divinae videant tribuenda potestati, nec vere credentibus in S. Scriptura intelligant esse promissa.

II. Scio erroribus quorundam hominum credulitatem teneri obnoxiam, et nec temere, nec facile credendum, ubi daemonis non minus illusionibus, quam fraudibus hominum locus est, sed matura, circumspectaque diligentia opus est, ubi Moyses divina, magi daemonica virtute multorum animos suspensos tenuere. Unde tanta accuratione in orthodoxa advigilatur ecclesia, tot testes, cautelaeque adhibentur, locus, personae, causae, eventa,

expenduntur, et adjuncta. Si spes lucelli sese immisceat, etiam res magnae suspicionem, inquisitionemque non fugiunt. Et denique sicubi serpens lateat, ex suo vel sibilo, vel cauda innotescit: raro vidimus diu fraudem, malitiamque occultari. Sed ut malevolorum obtrectationem fugiat, nulla hactenus operationum sanctitas, aut miraculorum excellentia nec in Christo quidem potuit, utque Judaeorum malitiam illa ipsa, quae Christi divinitatem prodidere miracula; sic in veris Christi sectatoribus necesse est ex promissa miraculorum gratia, tam verae religionis sanctitatem, quam contradicentium haeresin falsitatemque probari. His ad certiorem historiae fidem explorandam praenotatis, nunc rem ipsam, sed velut in decursu paucis per loca diversa signatis aggrediar, ut quo quaelibet miraculorum genere inclaruerint, notum sit.

III. Admirabilis Deiparae Virginis in hanc archidioecesin favor, et locorum varietate, et beneficiorum multitudine, et miraculorum frequentia, describi satis non potest, integroque vix eum volumine complectaris; nullius hic religionis, aut terrae est tractus, qui monumenta hujus favoris non complectatur, atque etiam erectis ad illius testificationem ecclesiis conspicuus non sit. Media haec dioecesis nostra Eberhardi Clusanam Virginem dolorosam possidet, variis plane magnisque supra naturam collatis vitae, sanitatisque donis alibi a nobis laudatam. Inde si ad rupem Bischoffsteinianam Mosellae cum ecclesia Deiparae sacra incumbentem, viam inflectas, reperies istic magnam Dei matrem crebris affluentium votis et solicitari, et adesse praesertim epileptico malo laborantibus. Hinc post brevem descensum juxta Cochimam Valvigeranus mons eductis a pede ad verticem stationibus, et Deiparae sacello ornatus, crebris supplicantium pedibus teritur, quod praesentem saepe istic adversus morborum vim illius opem experti agnoverint. Unde postquam magis Alkenam te usque, secundo flumine, demiseris, non processionibus minus, quam patrocinio singulari Deiparae celebrem in monte Bleidenbergico locum reperies, cui dedisse initium captivus fertur, qui ex inferioris et longe sepositae turris custodia, se eo libratum funda militari in-

noxium trajecit, postquam voto divinae sese opitulatrici, de erigendo istic sacello obligasset.

IV. Quodsi ex hoc loco per fines Cynonotorum ad Rhenum transeas, invenies haud procul Boppardia, ad oppositam fluminis ripam, frequentissimam hac aetate a supplicantium affluxu ecclesiam Bornhofensem, cui medio in campo excitandae ab eventibus admirandis occasio data est. Quorum hodiedum non obscura signa exhibet, licet bellorum, haeresumque ex vicino insidiantium vi, egregia factorum ejus loci monumenta interciderint. Non jam commemorabo Witgensteiniani comitatus, olim dum catholicis adhaereret, felicitatem, quando tribus in locis, Gerckhusii, Odenbornae et Elsoffii in excitatis ad Deiparae honorem basilicis, singulare illius adversus diversa malorum incumbentium genera subsidium experiebatur. Cujus subditi nondum perceptorum quondam beneficiorum immemores, non nunquam hodiedum nocturnis supplicationibus ad celebrata ejusdem magnae matris patrocinio sese loca conferunt, nec, ut alibi etiam memini, opis vacui recedunt.

V. Verum, ut fides a Witgensteiniana Rheni ora trans Rhenum ad Confluentinos, et Antonacenses agros ablegata est, ita et sua Dei mater huc praesidia ad diversa transtulisse loca videtur. Nam et juxta Antonaci fontes in Carmeli monte opitulatrix illa diva multorum votis, atque impetrata ope colitur, et haud procul in Frawenkirchen seu ecclesia honoratur Mariana, sic a singulari auxilio, quo S. Genovefam palatinam principem, morti iniquae adjudicatam cum infante protexit, et appellata, et olim condita, uti in annalibus docuimus. Neque remotus admodum mons alter, Bassenheimiae vicinus arci est, quem ob sacellum D. Genitrici a se nuper excitatum, Lotharius Baro de Walpot a Bassenheim Carmeli etiam montem appellari voluit, postquam voto pro desperata sanitate Deiparae facto, illud in hoc monte, per quinquaginta passuum millia in circuitu conspicuum, excitasset, qui et modo supplicantium accursu locus celebrari incepit.

VI. Hinc porro, si Meginam seu Majoniam versus ascendas, Schwanenkirchen (quasi olorinam ecclesiam in honorem

D. Virginis excitatam dicas) votivis celebrata peregrinationibus occurrit, cujus originem progressumque, ut minus explorata, transeo, et paucis Lutzelburgensium ducatum inviso, ubi in se christianitatis Juveniacensis Aviotum vicus est, tribus Ivodio milliaribus dissitus; qui basilicam gloriosae dicatam Virgini illustribus sanitatum argumentis insignem, qua eo terrarum tractu inveniri negant pulchriorem, complectitur. Nec praetereunda in limitaneis Leodiensium Lutzelburgici agri finibus, Aquaevallensis (Ayvaille) Deiparae ecclesia, miraculorum signis etiam nobilitata, inprimis de vita periclitantium, vel etiam sublatorum repentina morte infantium ope nota, quos baptisma vel servasse, vel restituisse asserunt. An non vel illo solo nomine apponi mereatur, quae ante portam occidentalem Lutzelburgorum in sacello, magna supplicantium frequentia colitur Deipara, quod singulis ad eam hebdomadis, ne dicam festis solennioribus, ingens populi multitudo affluat, ejusque praesens auxilium in rebus adversis experiri se non sine pietatis sensu profiteatur, ut factum nuper cum hostibus obsidioni imminentibus, claves urbis in discrimine Deiparae custodiendas felici eventu obtulere, solo armorum metu periculis defuncti.

VII. Injuriam Burichianae apud Saraburgenses magnae Virginis ecclesiae facturus sim, nisi illam huic ordini celebratorum a miraculis ejusdem templorum inseram, cum non celebri minus, quam antiqua hic locus mirandorum operum fide cognitus sit, jam fratribus franciscanis de observantia creditus, quibus curae forsitan erit, ut publica haec aliquando luce ad Dei matrisque ejusdem honorem fruantur.

Porro haec ita prosequor, ut non universa per hanc archidioecesin, nec quae subjectorum aliorum episcopatuum sunt loca, sed magis celebria a signis tantum, proximeque Trevericae subjecta mitrae percenseam. Praeter has etiam Deiparae consecratas ecclesias, variae sunt aliorum Sanctorum, locorumque ecclesiae, vel olim mirandorum operum signis, vel hodiedum illustres, quarum diversis annalium et metropolis nostrae locis, cum memoria se offerat, huc omnes conferre, supervacuum sit.

CAPUT XI.

Certorum morborum apud Treviros perpetuum per miracula, frequensque remedium.

Illa, quam Treverica archidioecesis perpetuam miraculorum gratiam in certis morborum generibus possidet, minime videtur praetereunda. Quamvis enim suo ejus argumenti res in ordine plures collocandae sint; tamen et hic non multa velut in florum collecta fasciculum cupido lectori sunt offerenda, alibi fere praetermittenda.

I. A Lutzelburgensium ducatu ordiar, et quaedam alibi non tangenda memorabo. Sacellum illic Wolfsfeldicum seu, ut Latio sermone efferam, Lupo-campanum est, Epternacium inter et Bitburgum, ripis Niemissae amnis vicinum, ecclesiae parochiali Alssdorffianae subjectum, quod patrocinio D. Huberti (cujus ibidem reliquiae) gaudet. Daemoniaci illic, et intoxicati, tum etiam a rabidis morsi canibus, non secus, quam ad S. Hubertum in Arduenna, hi tamen ultimi pauciori, reliqui frequentiori numero, certis curationum legibus pristinae integritati restituuntur.

Quare quid ad D. Hubertum Andaini in finibus Leodiensium (olim Trevirorum) fiat, paucis ante noscendum est. Corpus istic S. Huberti Leodio translatum, possident, cum ejusdem clavi et stola, quae illi, dum Romae consecraretur Tungrensis episcopus, per angelum a Deipara, ex candenti serica, auroque scite contexto, de coelo submissa est. Ex qua licet jam per aliquot saecula quot annis particula ad rabiosos ex canum morsu curandos resecetur tanta quantitate, ut multo jam tempore consumptam fuisse ex mensura resectorum signata prorsus sit necesse; tamen citra consumptionem durat hactenus, ut meis ipse coram oculis ex resectorum quantitate et stolae reliquiis sum arbitratus.

Ratio curandi haec est, media fronte summa cutis inciditur, segmentumque e stola tenue inseritur, ac frons ad cicatricem obducendam vitta obligatur. Porro novendiatis haec omnibus cura praescribitur.

II. *Peccata expiato et SS. Eucharistiam novem deinceps accipito, solus dormito, idque vel in linteis recens lotis vel non depositis vestibus, solus etiam bibito, neque, dum bibis, caput fontibus, fluviisque acclinato. Ad potum vinum albeum, rubeum helveolum* (Claretum vulgo vocant) *adhibeto, sed aquam admisceto, si mavult, puram aquam haurito, panem vel candidum vel cibarium edito, carnem, porcus masculus, capo, gallina, praebeto. Sed animal infra anniculum ne esto. Pisces aliquot ederit, squammati sunto, ut carpiones, halcces aliique, ova non nisi dura eduntur. Quidquid hactenus edulii praescriptum est, frigidum, non calidum, sumitur. Caput, totos quadraginta ab incisione dies, ne pectinato. Si eundem bestia iterato vulneret, mordeatve, sanguine tenus ab iisdem jam memoratis triduum duntaxat abstineto, neque ideo ad D. limina revertitur. Decima die fasciam, qua vinctus est, sacerdote solvente, deponito, igne absumito, cineres in sacram piscinam redigito. S. Huberti natalem diem, qui tertius est ante nonas novembris, quotannis religiose festum ac feriatum habeto.*

Verum ut fere certa horum curatio est, dum nulla legum praescriptarum negligitur; ita, si vel una harum praeterita sit, fallit, atque a capite observantia earum est revocanda. Potestatem vero ita curatus nanciscitur, alteri rabiosis morsibus laeso quadraginta indulgere dies, et si opus, deinde iterato, ac saepius largiri totidem, quibus nulla rabie tangitur, donec opportune S. Huberti sedem, curationemque adire queat. Quae certe ejus loci per annum frequentissima est, eaque qua ante triennium huc appuli, hebdomade usurpata. Rideant ad hos calvinistae ritus, at meminerint Joannis Calvini filium in correpta rabie post frustra adhibitam medicorum in Gallia opem, huc denique perductum, et felici cura sanitati corporis, mentisque redditum, ejurata patris haeresi, orthodoxae ecclesiae

fuisse restitutum, ut fidelibus hic monumentis tenetur, et jam ante saeculum pene, anno 1579, Bartholomaei Honorii, poetae, versibus typo vulgatis, celebratum est. Praeclara in rebus arctis magistra necessitas est. Nunc ejusdem D. Huberti in Wolfsfeldiano sacello patrocinium invisamus.

III. In daemoniacis, furiosisque curandis, hoc loco, praeter consuetos ecclesiae exorcismos, benedicto pane, sale, et aqua, cum S. Huberti implorato subsidio, utuntur ad cibum, potumque, quanquam et vinum aquae miscendum cupientibus indulgeatur. Deinde novem diebus certa precum solvendarum pensa imperant, dominicam nempe orationem et salutationem angelicam novies repetendam, ita tamen, ut liceat per singulos dies unam orationem, salutationemque tollere, atque ex novenario ad unitatem transire. Praeter quas tamen alias, pro arbitratu, preces addere nemo prohibetur. Nec, si quis furiosorum precandi sit incapax, adstringitur. Offeruntur interea pro salute afflicti sacrificia quatuor, 1. in honorem SS. Trinitatis, 2. in memoriam vulnerum Christi, 3. Divae genitricis sacrum, 4. D. Huberto apud Deum conciliando. Ubi daemoniaci, maniacique sibi restituti sunt, expiandae per poenitentiam confessionemque conscientiae, et eucharistiae rite percipiendae cura imperatur, idemque quotannis in festivitate D. Huberti praestare jubentur, quodsi ex maleficio quosdam dementatos, aut veneficio intoxicatos intelligant, praeter exorcismos consuetos, et benedictiones, subinde naturalia etiam adversus toxicum remedia adhibent, cum in hunc usum illa mortalibus Deus largitus sit. Ita vir spectatae integritatis, zelique, Joannes Wilhelmus Otto, jam per annos 17 Alsdorffiensis pastor, sacellique Wolfsfeldiani administrator, qui supra ducentos ex variis ad se dioecesibus traductos, et felici omnes successu curatos asserit, nec nisi duorum ex solo Treverico meminit, in quibus haec cura irrita ceciderit. Petuntur et hinc remedia pro rabido bestiarum morsu, sed non pari stolae, quo apud S. Hubertum, praesidio curanda; verum iisdem quibus supra diximus legibus, pastorque absentibus pro arbitratu, dum accedere opportunum sit, prorogare tempus, innoxia laesis mora potest.

IV. Hinc si non magno terrarum intervallo ad S. Willibrordum apud Epternacenses cultum te conferas, invenies S. Willibrordi fontem, adversus tenacem, aut incurabilem scabiem praesens remedium, si potent, aut etiam laventur hac fontis aqua. Quodsi remotius absint, voto S. Willibrordum suppliciter invisendi praestito, sua redit carni integritas. Rem hanc frequentissimis exemplis cognitam, nonnullis propinquioribus, quae proximus templi ex religiosis patribus custos, P. Franciscus Rumling, fideli manu signavit, testatam faciam. Anno salutis 1654 Eva Meiers, ex Bermingen, incurabili horrens toto corpore scabie, ubi fonte hoc lota ex eodem bibisset, integri valetudini restituta est. Altero post anno Maria, ex Niedersiegen, binas filiarum aliis nequicquam remediis, tentatas scabie, per cutem totam deformes, ejusdem fontis usu prorsus vidit emundatas. Qua etiam tempestate Veronica Horst absens Treviris quondam per conceptam voto ad D. Willibrordum peregrinationem a scabie gravi pectoris purgata, cum a sanitate supplicationem neglexisset, recidivam passa, eodem patrem Henricum malo afflictum conspexit, ideoque repetito mox uterque voto, et abstersit scabiem, et voto se quamprimum exsolvit. Ita anno sequenti 1657 ex legione principis Cantecroi geminae mulieres totidem filios scabiosa cute deformatos, supplicatione ad divum instituta, fonte hoc lotos perpurgarunt.

Incola Nomersweileranus, haud dissimili a lepra scabie foede scatens, tredecim dierum lotione adeo malum diluit, ut nec vestigium quidem relictum sit. Quae (ut alia plura omittam) argumenta nobis sunt vivis pleraque testibus roborata, non dubiae ab fonte in desperata scabie curanda opis. Aliis tamen eundem fontem corporis putrescentis malis adhiberi etiam comperimus. Constat enim Elisabethae Dilaie, ex S. Nabore, testimonio, anno 1640, mensis augusti die 26. solenniter coram testibus excepto, quod postquam in morbum incurabilem, quo putrefactum corpus solvebatur, partibus etiam ad palmae altitudinem excidentibus, post quaesita nequicquam hominum, coelitumque etiam ad S. Matthiam et D. Valentinum in monte S. Helenae remedia, Epternacum denique voto facto

concesserit, benedictaque, ejus loci tribus septimanis aqua in potu usa, et auditu (quem amiserat) et sanitate integri corporis ex voto potita sit.

V. S. Sebastiani quoque tum hic Epternaci, tum alibi per hanc archidioecesin praesens saepe, praecipue adversus pestilentiae luem, patrocinium est, quod et Maximilianus imperator hisce quondam in locis expertus, cereum Epternacensi in templo ad illius D. honorem 354 pondo appendentem, anno 1512 suis ipsius manibus obtulit, erexitque, etiam num, consumpta nondum cera, spectabilem.

Recentius D. illius subsidium superioribus annis experta est Magdalena Helmesingen, Viandae, loco haud procul dissito, nata, quae multis jam annis acerrimo conflictata morbo, in quo veluti sagittarum perstricta ictibus, diu sine humana vixit ope, divinaque ad diversas Sanctorum aras implorata, denique tamen telorum, quibus Sanctus hic confixus occubuisset, memor, ad ejus reliquias venerandas delata, inter preces, desideriaque sanitatis, animi deliquium passa est, in quo visus assistere fuit, qui varia e corpore tela educeret, evigilantemque absterso omni dolore, pristinae redderet integritati. Unde quot annis processionem huc obire solita, devotum S. Sebastiano sacrificium procurabat, aeterna beneficii sibi hic oblati memoria, ut idonea testificatione per ipsam, aliosque anno 1656, die julii 13. acceptum est.

Et Treviri devotionem erga hunc Sanctum sibi ad avertendam pestem late in vicinia grassantem, profuisse sentiunt. Cujus benedictum caput frequenti concursu quot annis ex aula archiepiscopi prolatum, in ecclesia parochiali S. Gangolphi ad forum proponitur, solennique processione ac sacrificiis honoratur. Tum vero sodalitate ad ejusdem venerationem instituta, certis per annum pietatis exercitiis colitur. Illud alibi de Arensteinianis DD. Fabiani et Sebastiani reliquiis memorabimus per hanc archidioecesin variis easdem locis petitas, immunitatemque a peste horum Divorum patrocinio imputatam.

VI. Pueris epileptico malo, quod infrequens non est, multis per hanc archidioecesin locis paratum coelitus ad Sanctorum

aras perfugium est. S. Quiriacus Treviris olim ad S. Maximinum cultus, tam liberalem iisdem opem praestitit, ut religiosi, ne in divinis toties officiis interpellerentur, Sancti reliquias, iconemque Tabenam, supra Sarburgum, transtulerint, quo ejusdem quoque praesidia sunt transportata, superiori dioecesi profutura; nam inferior nobile virginum monasterium ad Mosellam in Macheren possidet, ubi SS. Cornelii et Valentini reliquiae aquis benedicendis adhibitae et hae per novendium ter sumptae indies, aut restituunt laborantes integritati pueros, aut in sepulchro desperatos deponunt, feliciores tali morte, quam vita futuros. Sic inter Eiffliae recessus, in dominio Schönecken, mons S. Lamberti frequenti hominum affluxu teritur, ubi epilepticis quoque frequens medela contigit. Arensteinii ultra Rhenum et Loganam phthisi quoque deficientibus pueris, ut alibi memini, remedium a sacris praeparatum est.

CAPUT XII.

Praesentibus historiae Trevirensis exemplis, miraculisque declaratur, daemonis illusiones facile a divina ope distingui posse.

I. Non ignoro, variis adversariorum religionis nostrae cavillis miraculorum hanc penes solos catholicos semper relictam gratiam traduci, cumque negare manifestas, testatissimasque res nequeant, daemonis has esse illusiones jactare. Verum ut illudi quandoque simplicioribus posse, non nego; ita ingens semper inter diabolicam divinamque quaesitam ab hominibus opem, discrimen esse sentio. Illa ad fraudes et flagitia, haec ad virtutem pietatemque singularem mortales incitantur. Illa infelici denique exitu proditur, haec fortunato semper fine coronatur. Manebo in historia nostra, ut et illam prosequar, et jam dictam stabiliam veritatem.

II. Anno superiori, qui hujus erat saeculi sexagesimus et octavus, augusto mense, cum resecta jam seges in agris quiesceret, juxta Rommersdorffianam abbatiam, ad quam a Confluentinis secundo Rheno descenderam, magna vis murium per agrum suborta et infesta frugibus, solicitos pro remedio agricolas distinebat, quando pecorum ex vicinia pastor interveniens, se universos sublaturum mures pollicitus est, modo singuli duos sestertios penderent, promitterentque impune sibi fore, si auctori murium coram in speculari aqua sistendo, alter oculorum suffoderetur, illud se ad justam vindictam non malis artibus, sed in nomine Domini facturum. Condicta jam dies, quo in praesentia omnium id facturus dicebatur, aderat, cum primores loci, religione ducti, abbatem, quem parochialis loci cura spectabat, me praesente, conveniunt, factoque exposito jubentur, quantocius hoc facessere homine, remedioque, quod ad majorem suorum perniciem cessurum esset, et gravi ab archiepiscopo poena perstringendum.

III. Aliud longe hoc funestius dicturus sum, quod hominum adhuc superstitum memoria Lutzelburgensis agri baroni evenit. Gravis illi simultas anno 1621 cum Isenburgico comite fuit, ut duello litem cum eodem dirimendam esse statueret, suasumque a non nemine amicitiae simulatae specie ovium istic pastorem haud procul versari, qui verbis, herbisque sacris adversus hostiles ictus secure hominem obarmaret, prompturum, si postuletur, remedium. Adit baro, cunctantemque ac negantem pastorem ejus se gnarum artis, denique magnis promissis impulit, ut pecunia accepta facturum se promitteret.

IV. Tum in silvam deductum monet, tantisper illi latendum, dum ritus ad firmandum necessarios exequatur. Itaque baronem sacco involutum, gravi in caput ictu prosternit, enecatque, atque istic loci defodit. Verum ex canum odoratu nudatum cadaver, et suspicione auctor caedis ictus, deprehensusque, factum confessione vulgavit, infamisque rotae supplicio luit.

V. Quis hic ipsa statim fronte, processuque atque exitu rerum daemonis artes non animadvertat? In priori causa non

mala et remedio digna sed alibi in ecclesia, et apud exploratos Dei amicos, perque ritus in religione usitatos quaerenda. In altera nec causa quidem justa, nec modus a perversitatis opinione liber, nec idoneus homo, ut mirum non sit, exitu denique infelici conclusa fuisse. Opponam his igitur opem divinam, hac aetate aliis praestitam, quam ad daemonis illusiones intorquere vix possis, et si mente sana excipias, intelliges, Deum hodiedum non in alia, quam ecclesia catholica, divinitatis, veritatisque luce manifesta coruscare.

VI. Arenstenii ad Loganam amnem, inter acatholicos etiam nota res est, quam affero; ancilla istic in servitio aliorum agens, dicta Anna Pölich, Mosellano ex tractu oriunda, superstes etiam num, cum nuper istic aderam. Haec anno 1656 dum foemineo nendi labore distinetur, acum majorem, quam ore forte exceperat, improvida in fauces dimisit, quas ut transversa incidit, ita nunc dilatatas, nunc in anxio discrimine angustiatas haud confixit, ut nulla chirurgorum arte reduci posset, unde sensim exulceratis, tumescentibusque faucibus, jam nec eucharistici quidem in extremis cibi transmittendi capax, jussa a P. praemonstratensi Joanne Hofman, parochiale munus obeunte, ad D. Blasii istic honorati sese opem convertere, eidemque votivum sacrum cum cereo ad aram deferre; paruit, adfuitque sacrificio, quo nondum evoluto acus e faucibus evanuit, *ipsaque integra rursum sanitate frui coepit.*

VII. Admirandum, quod mulieri trans Rhenum in calvinisticis erroribus enutritae evenit. Fuit haec Jacobi Contzen, villici Aldenbergensis uxor, quae contracta penitus, multisque doloribus jam pridem citra humani auxilii opem conflictata, existimavit se proavorum more, et celebrata inter catholicos consuetudine ad praesidium intercessionemque Deiparae consulto animum precesque conversuram. Nec morata, ad ecclesiam Bornhofensem cultu magnae matris in Rheni littore supra Confluentes illustrem, curru ante quinquennium advecta, neque diu frustrata voto, et sanitatem corporis pristinam, et fidem majorum antiquam, a qua male discesserat, recepit;

prudenter arbitrata, fidem, tam illustribus a Deo signis probatam, ab hominibus male reprobari. Propiora adhuc tangam. Nondum biennium exactum est, cum Gertrudis Heusers ex pago Maulem (Mauenheim) infra Coloniam, ad primum lapidem, villica, desperata valetudine ex gravi incurabilique malo decumbebat, quando votum ad D. Matthiam, Trevirorum apostolum, concepit, augusto mense anni 1667 tantum sese ad illius honorem oblaturam cerae, quantum ipsa appenderet. Superiori igitur huc delata anno 68, in vicina collegii nostri domo Nicolai Cremers suis librata ponderibus, 134 libras confecit, statuitque triennii peregrinatione huc suscepta, suis sese promissis exsolvere. Quare anno 1668 tertiam cerae partem, ac nuper in festo S. Matthiae anno 1669 alteram votivae cerae portionem obtulit, tertia in septuagesimum hujus saeculi annum destinata. Haec coram notario publico, Antonio Emmelio, dignisque fide testibus excepta, in annales hosce refero.

VIII. Nec omittam, quod D. abbati Brauweilerano Philippo, recens ab electione ipsius ex Ubiis ad Treviros sese conferenti in praecipitio beneficium coelitus contigit, quod cum oretenus sic ipse, tum hoc scripto, quod subjiciam, nuper mihi postulatum communicavit. »Anno,« inquit, »1655, die 20. novem»bris, cum Treviros tenderem, ad ripam Mosellae, e regione »insulae S. Nicolai, vulgo in der Stuben, obequitans, de re»pente ex alta rupe, una cum equo gravissimo in ipsam decidi »Mosellam, sic quidem, ut equus supra me incumbens ad »Mosellae fundum depresserit, qui me sic depressum nec calca»ribus aut ocreis adhaerentem emergens ipse reliquit. Haesi »supinus in fundo Mosellae ad spatium trium pater et ave, »nil aliud cogitans, dicensque, quam *Jesus* et *Maria*, tum »sublatus magna vi ex imo, et supra aquae positus super»ficiem raptus, eminente ac praecedente capite, brachiis, ma»nibus et pedibus (quos ante me fluitantes videbam, nec »commovebam) extantibus per dimidium horae quadrantem »servum meum alloquendo, confisus sum Deo, donec placuit »Deo, corpus et caput contra raptum torrentis ad ripam et »pedes famuli, in littore stantis, obvertere, qui porrecta manu

»hilariter me extraxit. Altera die, praesentationis Deiparae »festo, in Stuben transii, ibique Deo, B. Mariae virgini, et S. »Nicolao, patrono loci ac conventus nostri (ad cujus praesidium »in ipso lapsu reflexionem me habuisse sentio, quamvis eo »loci coli ignorabam) gratias oblato missae sacrificio habui, »quo jam ante me equus emergens tranarat et per famulum »fraeno, et ephippio ordine composito repertus fuit, et ad »ipsius adventum saltans tripudiavit, tanquam laetus de pe»riculo superato. Maxime admirantem me tenet, quomodo »neque sub aquis, neque supra fluitanti et omnis artis natandi »ignaro ulla aquae gutta vel ori, vel auribus illapsa fuerit, »vestibus interim et ocreis ab eadem oppletis.« Haec ille, quae et famulus et testes alii affirmant, lataque vulgata fama percrebuere.

IX. Adhuc magis praesentia adducam, ante triduum nonis julii anni 1669 literas vidi archiepiscopi Eborodunensis, nunc episcopi Metensis (Georgius ab Aubusson de la Feuillade) et hujus metropolitanae sedis suffraganei, quo ad eminentissimum archiepiscopum nostrum Carolum scribit, queriturque se in visitatione episcopali Sargamunda, oppido ad superioris Sarae ripas sito, exclusum a catholicis, haereticisque incolis. Verum superis hoc facinus ingratum fuisse, vel ex eo manifestum, quod parochialis templi undique obfirmati campanum aes sponte saepiusque extra tempus consuetum, tanquam ad episcopi sui adventum insonuerit, accursumque cum stupore undique ad ecclesiae conclusae fores sit. Ita catholicis, juxta acatholicisque non sine prodigii admiratione fatentibus, quae fide tanti viri a prudentia virtuteque laudatissimi, apponere visum est, quanquam et publicis jam in Gallia typis vulgatum sit. Nec opiner incolas in sui contumeliam, confusionemque hanc fraudem fuisse molituros, aut auctorem, si homo sit, diu potuisse ignorare.

X. Denique concludam in proximis annis nata et adhuc durante, celebrataque per archidioecesin in territorio satrapiae nostrae Daunensis apud Eifliacos sanitatum fama Novem ecclesiae, quam Neukirchen dicunt; istic templum est filiale

parochiae Steinbornensis, quod ejus loci sacerdos, Nicolaus Lascheme, administrat. Forte evenit, ut hic exorcismis ecclesiasticis obsessorum corporibus admotis, invocatoque Deiparae patrocinio, vinoque in Dei, divorumque honorem benedicto, vexata a daemonibus, morbisque quorundam corpora liberaret. Quae res vulgante fama latius sparsa, multosque utriusque generis malo afflictorum mortalium traxit adeo, ut brevi tempore tam vini a plerisque soluti non illiberali pretio, quam hospitum adventantium eleemosynis, illius ecclesiae facultates augeri non immodice coeperint, unde obtrectandi, atque in suspicionem pertrahendae ejusmodi curae nata occasio. Quare archiepiscopus Coloniensis, qui spiritale jus loci usurpat, peritos huic novitati existimandae destinavit judices, qui cum sancte hactenus administrata omnia sentiant, mihique de rerum hactenus gestarum historia, quamvis praesenti istic communicata sit, sine publica ecclesiae auctoritate nildum statuere tuto liceat, illud solum, quod de sanitate insperato non nullis collata ab afflictis, ipsismet, plurimis daemoniacisque liberatis, ac frequenti multorum accursu traditur, huc in chartam conferre volui, posteris ex successu rerum temporumque securius hac in disceptatione relicturus judicium, cum Deus collata frequenter beneficia a male usurpantibus transferat, minimeque exspectantibus largiatur.

XI. Interea vix arbitrer quenquam tam amentem atque a veritate aversum fore, qui haec, quae exposui, factorum exempla, daemoni potius, quam coelitibus auctoribus vendicet, cum per haec et corporibus integritatem, salutemque, et piorum animis erga Deum, coelitesque gratitudinem, devotionisque zelum impertiri videamus. Jam vero quis unquam intellexit, daemonem gratuitam mersis praestare opem ad divinae miserationis deprecanda beneficia? Quis favere eosdem episcoporum in vitia armatorum, quaestionibus, sanctaeque vitae legibus vidit suffragari? Quis denique ad ipsum daemonis exterminium concurrere adjutores daemones? Formidandum potius, ne his auctoribus ad obtrectandum rebus divinis adversarii concitentur.

XII. Porro hoc in capite tam remota ab aetate nostra dare nolui, tum ut incredulorum hominum imbecillitati, praesentium adhuc rerum personarumque conspectu subvenirem, eorumque investigationi subjicerem, tum ut exemplis ante oculos versantibus religionis nostrae manifestam virtutem integritatemque, heterodoxorum eandem oppugnantium inexcusabili temeritati opponerem, revocaremque ad illam, a qua male divulsi sunt, majorum ecclesiam, in qua sola, cum miraculorum semper duratura gloria, vera fides salusque est exspectanda.

CAPUT XIII.

Trevirorum dioecesis academia veteri, et viris doctis ornata.

I. Trevericae academiae decus, et antiquitatem alibi prolixius in meis ad proparasceven notis prosecutus, hic ad praecipuorum in ea doctorum hominum, qui dioecesin hanc, non universe quidem, sed ditione solum patria illustrarunt, commemorationem revoco, ne illius, quae a doctrina est, gloriae immemor, metropolin hanc videar adumbrasse; quae tanto quidem eminentior futura est, quanto cum vera sanctitate morum et orthodoxa religione, ut semper fuit, conformior futura est. De hac ita in suis academiis Middendorpius scribit (1):

»Trevirensis antiquissima academiarum Germaniae esse »creditur. Sed propter varias ejus mutationes, temporisque »injuriam fere collapsam, nuper prudentissimi archipraesulis »Joannis (de Petra) voluntate et munificentia domini de So»cietate JEsu instaurarunt. Magnus quidem ille Agricius »(primus archiepiscopus), a Silvestro pontifice, et Constantino »imperatore, ejusque matre Helena, Trevirim missus, cum nihil »praetermitteret, quod ad instaurandam eam ecclesiam per-

(1) Lib. 2. pag. 303. anno 1572.

»tinere videretur, dubium non est, quin vel inprimis scholam »restituerit, qua juventus religionem christianam ac pios mores »addisceret.«

II. Cujus rei minime anceps alibi prompsi argumentum, quando a Lactantio Firmiano Crispum illic, Constantini magni filium, bonis artibus, disciplinisque institutum tradidi, quem et scriptorum monumentis, quamvis apud posteritatem non omnibus exploratis claruisse notatum est. Divinarum ejus institutionum libri, quaeque de ira et opificio Dei singulari eloquentia exposuit, innotuere. Ita et Ausonii Treviris sub Gratiano versantis, nota, multisque operibus vulgata eruditio. Sed quia ille ex Italia Firmianus, hic ex Gallia Burdegalensis, pressius illa sigillatim non prosequor. Quam exquisitis hic versibus Mosellam, ejusque amoenissimum tractum, pari scribendi amoenitate prosecutus sit, alibi, in proparasceve, visum est.

III. Paulinus ante omnes Trevirorum archiepiscopus sanctitate et martyrio celebratus, librum pro fidei nostrae certitudine contra haereticos scripsisse memoratur. Floruit saeculo IV, mortuus 358.

Salvianus, Augustae Trevirorum, ut probabilior sententia fert, civis, qui potenti et majestate plena oratione, non pauca lectione digna exaravit; de quo tamen peregrini scriptoris, censorisque non vulgaris, P. Philippi Labbe dissertationes historicas de scriptoribus ecclesiasticis, adire atque audire malo, sic de eo statuit: »Salvianus«, ait, »Treviris oriun»dus, presbyter deinde, non episcopus Massiliensis, humana »et divina literatura instructus, Salonii et Verani fratrum epis»coporum in Galliis magister, floruit anno 430, meminitque »Carthaginis a Wandalorum rege Genserico captae anno 439. »Gennadius ad sua tempora in senectute bona vixisse tradit, »videturque ad annum 495 pervenisse. Scripsit libros de »providentia et gubernatione Dei, deque justo et praesenti »Dei judicio ad Salonium episcopum, et sub Timothei nomine »libros IV. ad ecclesiam catholicam toto orbe diffusam, adver»sus avaritiam praesertim clericorum et sacerdotum. Acce»dunt etiam non nullae epistolae. Possevinus ex Sixto Senensi

»addit, composuisse tres libros τῶν αντιχειρενων, in quibus »continentur quaestiones veteris et novi testamenti, de locis in »speciem pugnantibus per interrogationem et responsionem; »verum illi post Salvianum editi anno 1530, qui nunc a viris »doctis tribuuntur Juliano, Toletano antistiti. Gennadius plura »quoque Salviani opera non edita memorat, ut librum Hexa»meron, unum a principio genesis usque ad conditum hominem; »expositionem in ecclesiastici partem ultimam, libro uno ad »Claudianum Viennensem presbyterum; de virginitatis bono »ad Marcellum presbyterum libros tres; et homilias plures ad »episcopos, &c.« Haec ex Labbaeo dare malui ipsius exarata verbis, quam proprio calamo delineata, ne quid Treviris nisi aliena quoque auctoritate fultum ex Salviano honoris vendicasse existimer. Sanctitatem viri ipsa loquuntur scripta, et deploratio vitiorum suae gentis, quae tot plagis coelitus inflictis castigari sentiebat.

IV. Regino Prumiensis in Treverica Arduennatum dioecesi abbas monasterii benedictinorum nobilissimi, opulentissimique (quae Reginonis clades fuit) curam laudatissimam septennio tenuit, sed qua fratrum ac monachorum invidentia, qua comitum vicinorum ambitione, qui Richarium consanguineum surrogarunt, depulsus officio est, atque in S. Maximini juxta Treviros coenobio anno 899 receptus, animum ad scribendum appulit, produxitque in lucem chronicon illud historiarum nobile, quod Adalberoni Metensi episcopo inscriptum, luce haud modica priscorum temporum posteris affulget. In quo stetit ad annum Christi 906, quanquam ad biennium ultra se producturum initio recipiat, sed vel calamum posuisse hoc loco, vel intercidisse scripta necesse est. Ipse vero ad annum ejus saeculi 15 superstes, opus usque ad annum 67 continuandum, uni ex posteris reliquit. Rogeriusne is ex eadem D. Benedicti disciplina, qui Brunonis Coloniensis archiepiscopi vitam descripsit, an alius quisquam ex S. Maximinianis scriptoribus fuerit, conjectari magis licet, quam affirmare (1).

(1) Vide Vossium, lib. 3. de hist. lat. cap. 5. part. 3.

Trithemius eundem Reginonem edidisse tractatum de disciplinis ecclesiasticis et religione christiana tradit, jussu Ratbodi, Trevirorum archiepiscopi, per capitula DCCCC. qui etiamnum Viennae, in bibliotheca imperatoria extet in membranis, cum aliis quibusdam notis, praesertim in Martianum Capellam. Caeterum religiosum non minus, quam eruditum scriptorem extitisse, argumento est insignis illa qua iniquam, sui ex dignitate non solum praesulari, verum et monasterio proprio dejectionem sustinuit, pietas, nulla etiam scriptorum, ut pronum erat, vindicatione usus, tanto honoribus illis dignior, quanto majori animo seposita omnium injuriarum memoria, et abolitione est aspernatus.

V. Amalherium, sive Amalarium, hoc loco Trevirensem archiepiscopum Reginoni ad annum Christi 815 praeferendum omisi, quod pleraque ipsi scripta abjudicentur, quae bibliotheca patrum et Browerus ipsi assignant (ut in meis ad tom. I. notis intelligere poteris), tribuanturque Amalario, diacono Metensi. Theganum quoque, Trevirensem choriepiscopum, et metropolitanae aedis concionatorem, qui eodem tempore librum de gestis Ludvici Pii, a Pithaeo editum, dedit, ob operis exilitatem praeterii.

Wandelbertum, etiam monachum Prumiensem, martyrologium versibus complexum, quod Molanus edidit, tum vitae S. Goaris scriptorem, florentem anno 840, omittendum censui, quod minutias scriptorum persequi, ob numerum non liceat, quanquam de iisdem asserere liceat, non minori omnes sanctitate, quam doctrina claruisse.

Ado, sive Udo, archiepiscopus Trevirensis, qui post annum 1067 in mitra claruit, celebre illud Adonis martyrologium scripsisse memoratur a multis, quod tamen a Baronio, aliisque, Viennensi episcopo tribuitur, mihi quoque suspectus est, quia martyres plures Trevirenses praeterit.

VI. Absalon, Springirsbacensis monasterii abbas, nobis praetermittendus non est, cujus eruditionis juxta ac sanctimoniae memoria hodiedum apud suos viget. Is saeculari canonicatu, quem Lutetiae Parisiorum apud S. Victorem (cum

laude, non tamen sine discrimine liberioris vitae) sustinebat, dimisso, celebratae id temporis Springirsbacensium apud Treviros nobilium virorum disciplinae se addixit; ubi illa integritate morum versatus est, ut post Richardi et Godefridi, abbatum primorum discessum, subdelectus, ipse tertius illorum ordine praefuerit, atque illustre pedum non ignobili scriptorum volumine anno 1120 magis illustrarit, illis nimirum sermonibus LI. quos partim ad suos, partim ad alios habitos, ejus post multos annos successor, Daniel Schillingus, anno 1539 Coloniae in folio vulgavit.

VII. Berengosus, abbas S. Maximini, fuit suo in loco a nobis laudatus, qui non, ut existimatum a Bellarmino fuit, saeculo VII. (utque etiam facit bibliotheca patrum) sed XII. collocandus est, quo diploma ad ipsum, anno nimirum 1113 exaratum, superest. Ille vero piis etiam scriptorum monumentis innotuit, ex quibus legimus, de laude et inventione salutiferae Crucis libros III. — De mysterio S. ligni et luce tam visibili quam invisibili librum I. — Sermones ejusdem de mysteriis diversis varios.

VIII. Potho, monasterii Prumiensis religiosus presbyter, non episcopus (ut habet ultimus Parisiensis bibliothecae index), piis hic item commentationibus delectatus, anno 1152 scripsit de domo Dei librum, qui Hagenoae in 8º editus, in bibliothecis deinde patrum veterum prodiere. — De statu domus Dei libros V. — De magna domo sapientiae liber I.

IV. Echbertus, ex canonico Bonnensis ad Rhenum oppidi, quod Coloniam Ubiorum quinque leucis superat, sororis suae Elisabethae, sanctimonialis, consilium, institutumque secutus, in Schonawiensi benedictinorum familia ad Rhenum superiorem in dioecesis Trevericae finibus, monachum professus, abbatis denique auctoritate illic praefuit, multis nominibus ab eruditione, ac religione commendandus; de quo, ejusque sanctissima sorore, non pauca Trithemius, haud procul in Spanheimensi monasterio ejusdem instituti abbas. Unde Gesnerus in sua bibliotheca corrigendus est, qui eum S. Florini (nunc collegii canonicalis), Confluentiae abbatem fuisse sentit. Floruit is,

claruitque, tum vita, tum scriptis, saeculo Christi XII. maxime intra annum Christi 1160 et 1180.

Vulgavit sermones XIII. adversus Catharos, seu Waldenses, sui temporis haereticos, quibus decem illorum haereses ex manichaeorum erroribus petitas, egregie refellit, dicatos rectori pontificalis cathedrae in Colonia, D. Reginaldo.

2. Excerptum ex D. Augustino de manichaeis, ad eorum haeresin arguendum, quae P. Gretserus cum Luca Tudensi edidit in bibliotheca patrum.

3. De transitu S. Elisabethae Schonawgiensis, in parthenone haud procul dissito, sororis suae, una cum ejusdem visionum libris III. et epistolarum libro I. Coloniae 1628 vulgato.

4. Gesnerus in sua bibliotheca addit in principium evangelii Joannis librum I. et deinde super Magnificat librum I. Tertio super missus est, librum I. Quarto meditationum librum I. Quinto sermonum de tempore, libros II. Sexto in laudes Salvatoris librum I. quae inter impressa non deprehendimus.

X. Ordolphus Scholerius, nobili Trevirorum familia, Balduini archiepiscopi secretarius, et postea senatus princeps, gesta Trevirorum ex archivo in volumen jussu principis collegit, historiae in modum distributa, quam in reliquis scriptis maxime censemus accuratam. Sepultus ad Pontem Leonis anno Christi 1322 fuit.

Plures omitto sequentium saeculorum, at non magni nominis scriptores, atque ad duo saeculi XV. in Treverica dioecesi eruditionis, sapientiaeque divinae ac humanae lumina, Cusanum et Trithemium, transeo.

XI. Nicolaus igitur Cusanus, Treverorum in dioecesi vico ad Mosellam Cusa, novem infra Treviros leucis, piscatore seu nauta, Joanne Chrypffs nomine (mater, Catharina, Hermanni Roemer filia, decessit anno Domini 1427), patre oriundus, suo (quo originem jam cardinalis, etiam fatebatur) in gentilitio scuto cancrum praetulit. Hic, postquam Daventriae literarum studia emensus, in Italiam abiit, ubi post annum aetatis XXII. doctoralem Paduae lauream, qua erat ingenii felicitate, assecutus est; subinde ad S. Florinum Confluentiae in collegium

canonicorum receptus, cum ad eximias virtutes omne eruditionis philosophicae, mathematicae, juridicae, linguarumque diversarum, Graecae etiam, Hebraicaeque cognitionem adjungeret, singularique, atque extemporali eloquentia animos omnium raperet, memoria ex quacunque rerum, scientiarumque facultate promptissima, admiratione atque amore sui brevi omnium gratiam occupabat.

Unde et a canonicis in decanum electus, et a Rabano et Jacobo, Trevirorum archiepiscopis, ad gravissima quaeque consilia, negotiaque pertractanda adhibitus, cum in difficillima incidisset tempora, qua Bohemia a fide deflexisset, Germaniaeque principes cum ipso Basileensi concilio ab Eugenio papa dissiderent, tres Cusanus de concordia catholica libros concilio obtulit, quibus summo omnes capiti adjungere nitebatur. Quare sua eruditione Eugenio pontifici cognitus, Romamque evocatus, in Orientem ad Joannem Palaeologum imperatorem legatus abiit, eumque induxit anno 1439 ut in Italiam ad Florentinum concilium, una cum patriarcha suo, Josepho, descenderet, seque ecclesiae Romanae in eodem conjungeret; quod utinam, quam Cusani industria effectum feliciter, tam constanter fuisset propagatum.

XII. Sub haec Nicolaus ab Eugenio secreto in cardinalium numerum cooptatus, a Nicolao V. pontifice maximo successore anno 1448 palam in presbyterum cardinalem, tituli S. Petri ad Vincula, assumptus est, et publicatus anno Domini 1449, in proxima angaria post diem Cinerum, uti constat ex veteri manuscripto apud Carthusianos Confluentinos, in quo habentur sequentia: »ut sciant cuncti, sanctam Romanam »ecclesiam non respicere ad locum vel genus nativitatis, sed »esse largissimam remuneratricem virtutum, hinc in laudem »Dei hanc historiam jussit scribi ipse cardinalis anno Domini »1449, die 21. octobris, eo tunc in Cusa existente, ad vale»dicendum decrepito patri suo et fratri suo Joanni, sacerdoti, »et Clarae sorori suae, uxori Pauli de Brysigh, scabini et »schulteti Treverensis, iter de proximo arrepturus ad aposto»licam sedem, apud quam constitui proposuit in principio anni

»sequentis, scilicet jubilei, et ad hoc per praecepta apostolica »nesessitabatur, licet diu cardinalatum acceptare negasset &c.«

In Germaniam vero ad jubilaeum sequentis 1450 vulgandum a latere delegatus, ingenti religionis incremento, ut in annalibus exponitur latius, praecipuas ejus partes peragravit. Eximias illius virtutum atque eruditionis dotes duo ejusdem aetatis viri, alter Trithemius, Cusani popularis, alter Romanus, Joannes Andreas, episcopus Aleriensis, exposuerunt, quibus Sixtus Senensis accedit, qui in sua bibliotheca asserit: virum fuisse supra quam credibile eruditissimum: cui docta quaedam, tam in verbis, quam sententiis amica fuit obscuritas. Plura de eo in annalibus nostris reperies.

XIII. In Genesin dialogum talem edidisse tradit, qui vix doctissimis sit pervius, dissertationem. Item in illud Jacobi, omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, reconditam.

Sermones in anni circulum, et quadragesimam, ex quibus ipse flores elegantiores exercitationum spiritualium, in libros X. digestos, collegerit.

Ex Basileensi ejus librorum editione, anni 1565, ejus haec censentur opera, tribus tomis distincta.

Tomus I. De docta ignorantia libri III. et apologia eorundem.

De conjecturis libri II. De filiatione Dei. De Genesi.

Idiotae libri IV. de visione Dei. De ludo globi libri II.

De fortuna. Directio veritatis. Compendium, lib. I.

De possest, sive de principio rerum omnium trialogus.

De beryllo. De dato patris luminum. De quaerendo Deum.

De venatione sapientiae. De apice theoriae. De Deo abscondito.

Tom. II. De venatione. Exercitationum libri X.

De aequalitate. De catholica concordantia. Epistolarum liber.

De pace fidei. Cribrationum Alchorani libri III. De novissimo die.

Tom. III. De geometricis transmutationibus. De arithmeticis complementis.

De mathematicis complementis. De quadratura circuli.

De finibus et chordis. De una recti, curvique mensura.

Complementum theologicum. De mathematica perfectione.

Reparatio calendarii. Correctio tabularum Alphonsi.

Ejusdem alia quaedam de Gaurico esse feruntur. Tum de donatione Constantini scriptum legitur, quod concilio Basileensi Aeneae Silvii adjunctum est; sed hoc ex concordia ejusdem desumptum. De libera praedicatione verbi Dei. Liber contra Bohemos ejusdem prodiit. Opera ejusdem Parisiis quoque anno 1514 impressa sunt apud Ascensium. Vitam clausit Tuderti, in Umbria, anno salutis 1464 III. idus augusti, anno aetatis 63, Constantiensis et Brixiensis episcopus, S. R. E. cardinalis titulo S. Petri ad Vincula. — Eum sibi ob virtutis ingeniique praestantiam ordines plures vendicarunt (1). Maraccius, in bibliotheca Mariana, canonicis adscripsit regularibus. Ad licet his faverit, et Cusani hospitalis, quod patrio in solo erexit, sacerdotes eorum vivere legibus voluerit, nunquam tamen ad hos vivendi obligatione ipse accessit. Sed et frustra Antonius Senensis, in bibliotheca patrum praedicatorum ad illorum institutum Nicolaum inflexit, cum ex S. Florini decanatu ad purpuram cardinalitiam accessisse compertum sit.

Epitaphium R^mi Domini Nicolai de Cusa.

Dilexit Deum timuit et veneratus est ac illi soli seruiuit, Promissio retributionis non fefellit eum. Vixit annis 63. Deo et hominibus carus, Qui foeliciter migrauit ad Dominum in ciuitate Tudertina partium Italiae anno Dñi 1464 die 11. Augusti, Et ob deuotionem habitam ad Cathenas Sti Petri Romae sepeliri voluit in ecclesia Sti Petri ad Vincula ante cathenas, corde suo huc relato ad hospitale suum, quod cum

(1) Labbe de scriptor. eccles. tom. 2. pag. 117.

omnibus bonis suis praesentibus ac futuris ac omnibus inhabitatoribus, sanctae sedi apostolicae immediate subjectum et in ejus protectionem susceptum ab omni ordinaria potestate archiepiscoporum Treuerensium pro tempore, et judicum ordinariorum et a solutione quorumcunque subsidiorum, procurationum, decimarum, synodatici, cathedratici, thelonii, exactionum, impositionum et onerum quorumcunque subsidiorum, ex quauis causa vel occasione praestandis prorsus exemptum et liberum est, ac multis pretiosissimis reliquiis, indulgentiis, gratiis et privilegiis apostolicis decoratum. Cujus hospitalis bona si quis contra exemptionem ipsam in suos vel alios quam praefati hospitalis usus scienter ac temerarius convertere praesumpserit, excommunicationis sententiam incurrit eo facto, a qua ab alio quam Romano pontifice praeterquam in mortis articulo nullatenus absolui valeat, testimonio litterarum apostolicarum, quae multipliciter desuper in hospitali habentur.

XIV. Trithemius eodem cum Nicolao saeculo, eademque regione Mosellae, supra Cusam horis tribus, infra Treviros, senis natus, non minori admirabilis, et supra consuetas eruditionis metas profecti ingenii commendatione prodiit. Qui anno salutis 1482, aetatis 21, perfectioris vitae studio inflammatus, habitum D. Benedicti in Spanheimensi archidioecesis Moguntinae coenobio induit, haud multo post ob cultam morum disciplinam et eruditionis eximium decus, abbatiali mitra ornatus; sed felicior aliquanto futurus, si eminentis ingenii libertatem sub obedientiae vinculis adstrictam tenuisset. Nam ut in omne genus scientiarum se effudit, et secretissima naturalis magiae arcana rimari placuit, quaeque deinde in vulgo admirationem concitarent, aut promere sub verborum involucris, aut ingenti promittere hiatu coepit; pro laude atque existimatione sapientiae, artificialis magiae, daemoniacaeque societatis suspicionem incurrit, ut suis in annalibus Browerus latius supra executus est, quem tamen posteri scriptores, inprimisque mathematicarum rerum scientes, exploratis hac aetate ejusdem principiis, jure vindicant. Quorum et ego in notis

ad alterum historiae nostrae tomum judicationi adversus Browerum subscribendum duxi, causis ibidem vindiciarum breviter allegatis. Ubi etiam ad contestationem pietatis, disciplinaeque in viro religiosae, pleraque ab eodem opera typis vulgata sacrarum sanctarumque rerum argumenta complecti, iisdem recensitis docui. Quo ne eadem regerem, studiosum lectorem remitto. (Masen.)

XV. Petrus Binsfeldius ex spectata gente sub archidioecesi Treverica, superioris saeculi initio genitus, post humaniores literas Romae in collegio Germanico insigni eruditionis profectu theologici juxta, ac jurisprudentiae studiis excultus est.

Idem postea Augustae Trevirorum ad S. Simeonem praepositus, ac denique episcopus Azotensis et suffraganeus archiepiscopi Jacobi ab Eltz magna utramque dignitatem virtutum, ac sapientiae laude ornavit, vir integritate vitae et incorrupta judiciorum aequitate, prudentique ac constanti religionis zelo immotus.

Demum anno Domini 1598 pestifera lue 24. novembris ad immortales transiit, immortali apud Treviros relicta sancte actorum memoria. De quo pluribus annales loquuntur.

Scriptorum, quibus tam ecclesiasticis, quam jurisconsultis profuit, monumenta, haec, quae subjicio, apud nos supersunt.

1. Enchiridion theologiae pastoralis, quo animarum curatoribus non contemnendo labore consuluit.

2. Liber receptarum in theologia sententiarum et conclusionum cum brevibus necessariisque fundamentis.

3. Commentarius theologicus et juridicus in tit. juris canonici de usuris, per quaestiones distributus.

4. Tractatus de confessionibus maleficorum et sagarum, an et quanta fides iis habenda sit? Quo praeposterum quorundam hos defendentium zelum explosit.

5. Commentarius in tit. C. lib. 9 de maleficis et mathematicis. In fine adjunctae bullae et extravagantes pontificum contra astrologos &c.

6. Tractatus juris canonici in tit. de injuriis et damno dato.

7. Tractatus in tit. juris canonici de simonia.

Hi pene omnes Augustae Trevirorum impressi, vix, nisi in bibliothecis, supersunt.

XVI. Bartholomaeus Latomus, Richardi archiepiscopi consiliarius, floruit initio saeculi decimi sexti, orator et poëta insignis, qui bellum Sickingianum erudito carmine complexus est; contra haereticos etiam, atque inprimis Schmidelinum acriter scripsit. Ex quibus aliqua apud Browerum anno Christi 1522 et seq. tum etiam anno 1540 leges.

Praeter hos, qui plures Trevirorum scriptores desiderat, is abbatiarum diversarum chronica a nobis in hac metropoli exhibita consulat, Trevericum quoque societatis Jesu collegium, patrum dominicanorum et carmelitarum monasteria, reperietque suis illic scriptorum monumentis celebratos, quae hic otiosum esset repetere.

XVII. Longum vero sit, si ad episcopatus, provinciasque huic archidioecesi spirituali tantum jure subjectas, transeam, ac Metenses, Tullenses, Virdunenses, et Lutzelburgenses scriptores hunc in ordinem cogam. Unus, qui etiamnum superest, Andreas du Saussay, episcopus Tullensis, catalogum scriptorum abs se operum censet 26, manuscriptos vero tractatus diversorum voluminum suo in musaeo 17 numerat, variam in iisdem, qua historicam, qua polemicam et sacram praecipue theologicam materiam complexus.

Virduni consiliarius regius, Matthaeus Husson l'Ecossois, hodiedum vivit, qui et historiam ecclesiae Virdunensis, collegiorumque canonicalium, abbatiarum, conventuumque scripto prosecutus est, ac continuationem annalium episcopatus ejusdem per annos aliquot, et denique medullam votorum ac sententiarum concilii Tridentini patrum, ut alia praeteream, nondum, ut reor, in lucem publicam producta. Verum haec propriis locorum istorum historicis commemoranda relinquam, meque ad alia Trevirorum dioecesi propria convertam.

LIBER II.

CAPUT I.

Archidioecesis Trevericae partitio varia, praecipue in suos archidiaconatus et decanatus.

Quanquam utriusque cum veteris, tum novae Trevericae dominationis descriptionem in proparasceve sua Browerus duobus capitibus complectatur, quae ad metropolim illustrandam inprimis faciunt, tamen ut eorum, quae per archidioecesin sigillatim exponenda sunt, notitiam propius haurias, non nulla ante generatim de conditione ejusdem pro varietate locorum varia et intelligenda jurisdictionis diversitate sunt percensenda, cum latius ipsius sese in spirituali, quam saeculari potestate fines porrigant, nec pauca a Gallis, Lotharingis, Hispanis, Coloniensibus, aliisque Rheni principibus possideantur, quae mitrae titulo Trevirorum archiepiscopo subjecta sunt.

Prima igitur hujus archidioecesis partitio in illas regiones est, quas vel spirituali, vel solum temporali, vel certe utraque jurisdictione comprehendit. Et inprimis quidem spirituali potestate, et jure mitrae latissime per Mosellam, Rhenumque ad Mosae fines usque, Galliaeque ac Belgarum per meridiem et occidentem terminos porrigitur; per septentrionem vero et orientem in Coloniensium, Cattorumque ditiones sese effundit. Adeo ut Hispani ducatum Lutzelburgicum, Galli, Lotharingique, Metensem, Virdunensem ac Tullensem episcopatum cum annexis regionibus ejusdem jurisdictioni submittant, landgravii Hassiae, Nassovici, aliique termini Rheno principes suos huic juri subditos obnoxios habeant.

Et sane latius per Ubios, Menapios, Tungros, Leodiosque sese explicaret haec potestas, si ab Euchario, Valerio, Maternoque, Trevirorum proto-episcopis, unde jus hoc manavit, principio integra etiamnum augustae huic metropoli sua consisteret jurisdictio, cum ab his doctoribus in illas primum ecclesias religio fuerit propagata. Nunc quae posteris saeculis Romani auctoritate pontificis accisa sunt, frustra requiremus.

Altera temporalis solum, absque spirituali jurisdictione potestas paucis circumscripta locis arctatur. Nam Schonbergicam in Eifflia satrapiam Trevericus elector possidet, quam jure spirituali sibi vendicant Leodienses. Hildesheimensem quoque et Daunensem ejusdem regionis satrapias jure saeculari regit Trevirensis, at in sacris antistes moderatur Agrippinensis.

Demum utroque jure administrat dioecesin universam, quae a Lotharingico et Luxenburgico ducatu inter Leodios, Ubios, Hassos, Moguntinenses, ac Palatinatum, cis ultraque Mosellam et Rhenum late explicatur, quibusdam tamen principum, comitumque dominiis suo jure exemptis.

Altera hujus dioecesis partitio est in superiorem et inferiorem, ex quibus supra satrapias viginti quaelibet possidet, plerasque a Browero alibi recensitas, et illa quidem regionem Mosellae atque Eiffliae superiorem, qua sese in meridiem porrigit, haec vero cum quibusdam Eiffliae septentrionalis, exspirantisque Mosellae locis, quidquid ultra, citraque Rhenum Loganaeque ripis affine, sub Treverica gladii potestate expanditur.

Tertia, quam potissimum hic spectamus, divisio est dioecesis in suos archidiaconatus, quibus complectitur quidquid sub spirituali jurisdictione continet extra suos episcopatus. Et tales quinque omnino sunt, quos totidem archidiaconorum seu chorepiscoporum curae subjectos, quorum est de beneficiorum jure, titulisque cognoscere, sacerdotesque a patronis exhibitos investire, mores cleri inspicere, atque emendare; ritus caeremoniasque ecclesiarum procurare. Caeterum ordines impertiri minores, literasque dare pacificas, aliaque id genus episcopalia, ut olim, tractare munia vetiti, solumque intra presbyterii

dignitatem, potestatemque jussi subsistere. Quia tamen archiepiscopo suo tanquam capiti membra in metropoli junguntur, de his primo, quam de episcopatibus nobis agendum est, locis plerisque, quibus praesunt, obiter simul lustratis.

CAPUT II.

Archidiaconatus S. Petri.

Primus archidiaconatus major S. Petri est, et quas praecipue suo districtu urbes secundum Mosellam a Trevirorum metropoli descendendo, ac dein per Eiffliam, fines Lutzelburgiorum circum legendo iter, complectitur; illae sunt, quas (post Trevirim in proparasceve descriptam) accensemus.

1. Palatiolum, olim Augustae Trevirorum, huc usque se efferenti, proximum; nunc hora dissitum, juxta defluentis Mosellae ripas, in amoena situm planitie. Nomen a palatio principum istic ante urbem percommode incolentium traxisse creditur. Nunc bipartitam urbeculae imaginem praefert, quarum prima triangulari propedum specie ab angustiis sensim excrescens civium plerosque complectitur muris leviter munita. Altera deinde extremum trianguli latus claudens amplis fossis, densisque vallis ac turrium munitarum praesidio longe firmior duo latera recta circulari pene figura conjungit, ita quidem, ut ex turrium propugnaculis mutuae defensioni simul et urbis justo intervallo aptatis non contemnendae munitionis speciem praebeat. Certe valla 12 pedum latitudinem complexa, insigni altitudine surgentia, et fornicatis subtus operibus concava praecincta densissimis muris ipsa civitatis moenia, post tergum surgentia, firmo et ad propugnationem idoneo opere tuentur. Joannes III. a Metzenhausen, archiepiscopus Trevirensis, coeptam olim, labantemque munitionem adversus urbem potissimum instauravit, egregioque ad habitationem principalem palatio

circa annum Domini 1538 instruxit, quae, postquam a Brandenburgico vastatore inflammata, subversaque esset, ac Trevirense palatium ab archiepiscopis habitari coepisset, suis reliquiis abstracta, traductisque alio lapidibus, nunc solis murorum ruderibus superstat, munitione urbis neglecta; reliquias moenium turriumque Galli anno 1674 everterunt. Collegium in illa canonicorum, post dissolutum parthenonem receptum, hodiedum ecclesiastico instituto vivit, praecipuum loci ornamentum.

2. Witlichium oppidum est ad Lessuram, amnem perfluentem, Mosellamque ab occasu petentem, amoeno in campo, septem infra Treviros horis situm. Celebris olim sine muris vicus, quando Adelbero in saeculo XII. a Christo cum Namurcensi comite bello collisus est. Balduinus vero archiepiscopus aedificiis auctum, murisque cinctum locupletavit. Wernerus porro archiepiscopus initio saeculi XV. electorali sede et arce donavit, quae tamen superioribus hujus saeculi annis incendio consumpta, a moderno archiepiscopo, Carolo Casparo, illustriori specie excitata est, ac per totum, cui insidet, clivum, productis aedificiis amplificata, ut digna jam principe habitatio videri possit. Accessit huic urbi praeter ecclesiam parochialem, recens P. P. minorum de observantia monasterium.

3. Berncastellum, aut Beronis castellum a suo auctore dictum, quanquam posteri a nominis vernaculi affinitate ursum in civitatis insignibus, tanquam ab eo dicti usurpare maluerint. Freherus etiam a tabernis frequentibus castellum tabernarum dici senserit. Mosellae Veldentiam inter et Trarbachium adjacet, cinctum muris, et florens vini negotiatione, quod istic praestans nascitur, oppidum. Arcem in vicino colle possidet, ab Henrico de Vinstinga, archiepiscopo, saeculo XIII. coeptam, et a Boemundo successore perfectam, qui diversa quoque privilegia atque immunitates urbi concessit, a Rudolpho postea imperatore ac successoribus probata confirmataque. Plura in annalibus Browerus suggeret. Caeterum bellis proximis Sueco-Gallicis non leviter haec urbs afflicta est. Templum in urbe elegans conspicitur, cujus reliquiarum thesaurum annales exhibent. Patrum quoque capucinorum monasterio hic locus indultus est.

Quia vero urbibus tantum recensendis immoror, praetexo celeberrimos duos ad Mosellae littus supra Berncastellum pagos, Trittenheimium, patriam doctissimi scriptoris et abbatis famosissimi Joannis Trittenheimensis, qui limes quidam negotiatorum est praestantissima Mosellae vina consectantium, tum deinde Noviomagum, Romanis Noviomagum et Nivimagum, etiam Constantini Magni castris illustratum, quae Treviros inter et Berncastellum, horis circiter ab urbe senis distant. Ubi et crucem eidem in coelo visam antiquissima ejus archivi Ms. testantur juxta in monte, cui nomen Corona. Et hic quidem locus ruderibus et castellis praetorianae cohortis castrorum etiamnum conspicuus, arcem interea comitis Witgensteinii complectitur, Trevericae mitrae vasalli. At, ut dixi, singulis non est immorandum. Quare insistendo terminis hujus archidiaconatus per Eiffliam a Mosella circumlegemus iter ad viginti et duodena facile millia passuum Prumiensem in agrum occidentem versus excurrendo.

Zeltinga quoque vicus nobilis et vicinum Rachtig, vino praestanti celebrata ad Mosellam loca eodem referuntur cum quibusdam appendicibus, quae ad S. Cunibertum, Coloniensem archiepiscopum, Treviris oriundum, spectantia, temporali ad ecclesiam metropolitanam Coloniensem jurisdictione translata, spirituali penes Treviros relicta sunt.

Prumia istic amoenissima, quantum Eiffliaci per Ardennam soli, coelique rigor patitur, in valle sita, moenibus, arce et aedificiis conspicua, Proneaque amne irrigata. Hic locus Bertradae Pipini, regis Francorum, conjugi dilectus, sub hoc rege potissimum excoli coeptus est: ubi Bertradae consiliis ac pietati obsecutus, rex nobilissimum excitavit religiosorum, sub disciplina D. Benedicti, monasterium, quod magna comitum, principumque sanctitate, ut infra latius videbimus, est illustratum.

Kilburgum, post quintum inde lapidem, Trevirim versus, ad Gelbim, modo Kilam, flumen (Gelbis Ausonio), deflectendo occurrit, diei itinere ab urbe situm, quondam saeculo Christi XIII. ab Arnoldo Isenburgico comite et Trevirorum archiepiscopo, aedificiis, murisque cultum, ab Henrico deinde successore,

circa annum Domini 1538 instruxit, quae, postquam a Brandenburgico vastatore inflammata, subversaque esset, ac Trevirense palatium ab archiepiscopis habitari coepisset, suis reliquiis abstracta, traductisque alio lapidibus, nunc solis murorum ruderibus superstat, munitione urbis neglecta; reliquias moenium turriumque Galli anno 1674 everterunt. Collegium in illa canonicorum, post dissolutum parthenonem receptum, hodiedum ecclesiastico instituto vivit, praecipuum loci ornamentum.

2. Witlichium oppidum est ad Lessuram, amnem perfluentem, Mosellamque ab occasu petentem, amoeno in campo, septem infra Treviros horis situm. Celebris olim sine muris vicus, quando Adelbero in saeculo XII. a Christo cum Namurcensi comite bello collisus est. Balduinus vero archiepiscopus aedificiis auctum, murisque cinctum locupletavit. Wernerus porro archiepiscopus initio saeculi XV. electorali sede et arce donavit, quae tamen superioribus hujus saeculi annis incendio consumpta, a moderno archiepiscopo, Carolo Casparo, illustriori specie excitata est, ac per totum, cui insidet, clivum, productis aedificiis amplificata, ut digna jam principe habitatio videri possit. Accessit huic urbi praeter ecclesiam parochialem, recens P. P. minorum de observantia monasterium.

3. Berncastellum, aut Beronis castellum a suo auctore dictum, quanquam posteri a nominis vernaculi affinitate ursum in civitatis insignibus, tanquam ab eo dicti usurpare maluerint. Freherus etiam a tabernis frequentibus castellum tabernarum dici senserit. Mosellae Veldentiam inter et Trarbachium adjacet, cinctum muris, et florens vini negotiatione, quod istic praestans nascitur, oppidum. Arcem in vicino colle possidet, ab Henrico de Vinstinga, archiepiscopo, saeculo XIII. coeptam, et a Boemundo successore perfectam, qui diversa quoque privilegia atque immunitates urbi concessit, a Rudolpho postea imperatore ac successoribus probata confirmataque. Plura in annalibus Browerus suggeret. Caeterum bellis proximis Sueco-Gallicis non leviter haec urbs afflicta est. Templum in urbe elegans conspicitur, cujus reliquiarum thesaurum annales exhibent. Patrum quoque capucinorum monasterio hic locus indultus est.

Quia vero urbibus tantum recensendis immoror, praetexo celeberrimos duos ad Mosellae littus supra Berncastellum pagos, Trittenheimium, patriam doctissimi scriptoris et abbatis famosissimi Joannis Trittenheimensis, qui limes quidam negotiatorum est praestantissima Mosellae vina consectantium, tum deinde Noviomagum, Romanis Noviomagum et Nivimagum, etiam Constantini Magni castris illustratum, quae Treviros inter et Berncastellum, horis circiter ab urbe senis distant. Ubi et crucem eidem in coelo visam antiquissima ejus archivi Ms. testantur juxta in monte, cui nomen Corona. Et hic quidem locus ruderibus et castellis praetorianae cohortis castrorum etiamnum conspicuus, arcem interea comitis Witgensteinii complectitur, Trevericae mitrae vasalli. At, ut dixi, singulis non est immorandum. Quare insistendo terminis hujus archidiaconatus per Eiffliam a Mosella circumlegemus iter ad viginti et duodena facile millia passuum Prumiensem in agrum occidentem versus excurrendo.

Zeltinga quoque vicus nobilis et vicinum Rachtig, vino praestanti celebrata ad Mosellam loca eodem referuntur cum quibusdam appendicibus, quae ad S. Cunibertum, Coloniensem archiepiscopum, Treviris oriundum, spectantia, temporali ad ecclesiam metropolitanam Coloniensem jurisdictione translata, spirituali penes Treviros relicta sunt.

Prumia istic amoenissima, quantum Eiffliaci per Ardennam soli, coelique rigor patitur, in valle sita, moenibus, arce et aedificiis conspicua, Proneaque amne irrigata. Hic locus Bertradae Pipini, regis Francorum, conjugi dilectus, sub hoc rege potissimum excoli coeptus est: ubi Bertradae consiliis ac pietati obsecutus, rex nobilissimum excitavit religiosorum, sub disciplina D. Benedicti, monasterium, quod magna comitum, principumque sanctitate, ut infra latius videbimus, est illustratum.

Kilburgum, post quintum inde lapidem, Trevirim versus, ad Gelbim, modo Kilam, flumen (Gelbis Ausonio), deflectendo occurrit, diei itinere ab urbe situm, quondam saeculo Christi XIII. ab Arnoldo Isenburgico comite et Trevirorum archiepiscopo, aedificiis, murisque cultum, ab Henrico deinde successore,

canonicali ecclesia, collegioque ornatum est, cui Joannis Badensis, archiepiscopus, domum adjecit.

Bietburgum, haud procul inde ad alterum descendendo per affines Kilae agros lapidem (NB. singulos lapides singulis a me horis definiri), Lutzelburgensis agri finibus insidet, a Bedone quodam, ut augurantur magis, quam probant, inchoatum. In quo duae satis illustres divorum basilicae, altera Deiparae, altera apostolorum principi nuncupata, sub parochorum cura administrantur. Hospitale ibidem locuples, ab opulento quodam cive excitatum, ejusque a Boemundo archiepiscopo sacellum consecratum est, patribus modo dominicanis juxta incolentibus tributum. Locus hic superioris anni 1668 bello a Gallis vi, dolove occupatus, summa moenium, turriumque per muros amisit. Nunc contra feras magis, quam hostes munitus.

Vienna, Vianden, inde si ad occidentem per quinque circiter leucas, sive horas, excurras, ad Uram flumen se exhibet, comitum quondam Viennensium sedes, quod Luxenburgico in agro oppidum, Auriacis jam olim addictum, sed in defectione a fide et rege postea abjudicatum, sub rege Hispaniarum Philippo, at postliminio ab iisdem receptum, etiamnum tenetur. Caeterum ejusdem loci castrum incoluisse quondam etiam templarios, tum historiarum fide constat, tum picturarum in templo eorum monstrantium habitum, ac denique triclinio et aula, communi habitationi accomodata. Memorat vero castrum hoc Bertelius a Wandalis primo victoribus, ad firmandam hoc loco possessionem, excitatum, nomen etiam Wandalem tulisse: quod aetate deinde in hodiernum usum inflexum sit. Verum haec conjecturis et divinationibus historicorum adscribemus, quae possunt fallere. Illud certius, literisque ad posteritatem antiquis firmatum, quod Henricus et Margaretha, ejus loci comites, post filiam Jolandam Deo (quamvis invite, cunctanterque) oblatam, denique et ipsi ad Deum prorsus sint conversi, et hospitale ejus loci a se conditum, fratribus ordinis SS. Trinitatis de redemptione captivorum, cum duarum paroeciarum reditibus, tradiderint possidendum, eo quod Henricus aliquando a Turcis captivus,

per hos redemptus fuerit; de quo consule annales Trevirenses Broweri, anno 1248, et P. Alex. Wiltheimium in vita Jolandae, cap. 21.

Decanatus, seu archipresbyteratus in hoc archidiaconali districtu tres censentur.

1. Trevericus, qui ecclesias parochiales numerat 21 (22 anno 1794: 1. ad S. Antonium, 2. ad S. Gangolphum, 3. ad S. Gervasium, 4. ad S. Laurentium, 5. ad S. Paulum, Treviris, 6. Besselich et Pallien, 7. Boutzweiler, 8. Cordel, 9. Ehrang, 10. Euren, 11. Gusterath et Filsch, 12. Gutweiler, 13. Igel, 14. S. Joannis ad S. Martyres, 15. Irsch, 16. S. Medardi ad S. Matthiam, 17. S. Michaelis ad S. Maximinum, 18. Pfalzel, 19. Ruwer, 20. ad S. Germanum, vulgo ad Undas, 21. S. Walburgis ad S. Paulinum, 22. Zewen), in quibus Treviris eminent parochiae S. Laurentii et S. Gangolphi. Illa archiepiscopali vicina palatio, insignia plerorumque ultimis hisce saeculis praesidentium archiepiscoporum complectitur, et hac aetate a pastore et decano loci, Nicolao Weckber, egregio, ad pietatem et frequentiam, altarium fideliumque cultu exornata est. Hoc in ejusdem sacrario memoria et observatione dignum catholicae religionis adversus haereticorum incredulitatem monumentum, quod in linteo sacro (corporale vocant) effusae per sacrificantis incuriam aliquot e calice guttae anno 1390, martii mensis die septima, mutata repente specie sanguineum colorem induerint, nec licet complicato strophio, evanuerint, sed in proximas quasque partes se transfuderint, tam vivaci adhuc in plerisque cruoris imagine, ut si humanum sanguinem ante octiduum hausissent. Schediasma in pergamena charta adjunctum paucis factum tempusque designat.

Caeterum Treviris sola praeter has parochias tres alias complectitur, S. Pauli, S. Antonii, et S. Gervasii, duo in urbe canonicorum collegia, metropolitanum, S. Simeonis, et D. Virginis praebendatorum unum, quibus extra urbem D. Paulini tertium accedit. Abbatias sub disciplina D. Benedicti quatuor, in urbe unam S. Martini, extra urbem S. Maximini, S. Matthiae, et D. Virginis Mariae ad S. Martyres. Ordinis equestris mili-

tiae domos cum ecclesiis geminas, alteram Teutonicorum, cui modo urbis vicedominus et commendator praesidet, Lotharius Braun a Schmidburg, alteram Melitensium, quam hoc tempore obtinet dominus a Rokenbach. Societatis Jesu gemina domicilia, quorum unum collegio patrum, aliud novitiorum experimentis deputatum est. Monasteria religiosorum intra urbem quinque, praedicatorum videlicet, augustinianorum, carmelitarum et franciscanorum duo, minorum et capucinorum; extra urbem sextum carthusianorum. Mulierum quoque coenobia diversa, in quibus Horreum nobilium fere est virginum, caetera cujuslibet in hoc sexu ordinis, ut S. Agnetis, S. Catharinae, S. Clarae et franciscanarum tertiae regulae; quibus plures alias de congregatione puellarum rectae institutioni addictas accessisse non ita pridem vidimus. Tam frequens, urbs caeteroquin hac aetate non ampla, religiosorum hominum domicilium est!

2. Kilburgicus, seu Biedburgicus (alternant enim) decanatus 70 parochias complectitur, ecclesias canonicales in Kilburg et Prüm, Prumiensem abbatiam, parthenonem nobilium D. Thomae et in Nieder-Prüm, abbatiam Epternacensem, et crucigerorum monasterium, quod hospitale vocant S. Helenae, et trinitariorum in Vianden.

Posteriori tempore decanatus ille, propter amplitudinem, divisus est in Bidburgensem et Kilburgensem. Decanatus Bidburgensis ão 1794 numerabat parochias 51: 1. Alscheid, 2. Alsdorf, 3. Auw, 4. Baustert, 5. Bettenfeld, 6. Bettingen, 7. Bickendorf, 8. Birsdorf, 9. Bidburg, ad B. M. V., 10. Bidburg, ad S. Petrum, 11. Bollendorf, 12. Born, 13. Densborn, 14. Dockendorf, 15. Dudeldorf, 16. Echternach, 17. Edingen, 18. Eschfeld, 19. Fliessem, 20. Gindorf, 21. Granzdorf, 22. Kayl, 23. Langsur, 24. Lichtenborn, 25. Lörsberg, 26. Meckel, 27. Messenich, 28. Messerich, 29. Mettendorf, 30. Metterich, 31. Neidenbach, 32. Neuerburg, 33. Nusbaum, 34. Oberweis, 35. Olmscheid, 36. Ordorf, 37. Outscheid, 38. Pfeffingen, 39. Ralingen, 40. Ringhouscheid, 41. Rittersdorf, 42. Rospott, 43. Schankweiler, 44. Schleidweiler, 45. Seinsfeld, 46. Speicher, 47. Stockem, 48. Waxweiler, 49. Weidingen, 50. Wintersdorf,

51. Wismansdorf. Kilburgensis autem 27: 1. Büdesheim, 2. Dahlem, 3. Deudesfeld, 4. Ellenz, 5. Flöringen, 6. Ittel, 7. Kilburg, 8. Lauch, 9. Manderscheid, 10. Meisburg, 11. Mürlebach, 12. Nieder-Prüm, 13. Ober-Prüm, 14. Olzem, 15. Orsfeld, 16. Pronsfeld, 17. Rommersheim, 18. Salm, 19. Sefferen, 20. Stadtfeld, 21. Sülm, 22. Trierweiler, 23. Tuppach, 24. Udelfangen, 25. Weinsheim, 26. Welschbillig, 27. Wetteldorf.

3. Piespordiensis 44 parochiis (45 ão 1794), n. 1. Ahrenrath, 2. Berg, 3. Berncastel, 4. Bescheid, 5. Bischofsthron, 6. Büttlich, 7. Chus, 8. Clüsserath, 9. Detzem, 10. Dreys, 11. Dusemont, 12. Emmel, 13. Ensch, 14. Fell, 15. Föhr, 16. Graach, 17. Gross-Lüttig, 18. Heidweiler, 19. Hirschfeld, 20. Kesten, 21. Kewerich, 22. Kirchhof, 23. Leywen, 24. Longcamp, 25. Louquich, 26. Lyser, 27. Mehring, 28. Merscheid, 29. Minheim, 30. Monzelfeld, 31. Morscheid et Wahlholz, 32. Neumagen, 33. Nowigand, 34. Osan, 35. Piespord, 36. Rachtig, 37. Riol, 38. Rivenich, 39. Schweich, 40. Selem, 41. Thalfang, 42. Trittenheim, 43. Törnich, 44. Winterich, 45. Wittlich, curam impendit, monasteria vero, cum virorum, tum mulierum, in sua regione diversa continet, ut sanctimonialium nobilium in Macheren, et in Filtz franciscanarum, utrumque ad Mosellam, virorum coenobia aliud in Berncastel, capucinorum, aliud Witlichium, observantium, denique tertium Clausanum, canonicorum regularium D. Augustini.

Hisce terminis praecipuus S. Petri archidiaconatus stringitur, angustioribus illis quidem, sed tamen augustioribus, quod ut fere in oculis supremi pastoris sui, ita moribus plerumque castigatior, sanctiore disciplina excolatur. Neque hactenus insinuanti sese per seditiosa machinamenta haeresi invictus Romanae fidei propugnator locum cesserit, sed acceptam a discipulis apostolorum Euchario, Valerio, Maternoque fidem illibatam hucusque, traductamque ad posteros tot saeculorum periodis, constantissime tueatur, cum alia hujus archidioecesis membra ex vicini contagione mali hinc inde vitium traxerint: quaedam etiam, ceu putrescente jam malo suo a corpore et capite resecta, interciderint.

CAPUT III.

Archidiaconatus S. Lubentii.

Archidiaconatus S. Lubentii, dignitate secundus, et amplitudine quondam maximus, nunc acatholicorum defectione ac traductione magnopere accisus, plures ecclesias censet alienatas a legitimo pastore archiepiscopo, quam relictas ac proprias. Urbium plerasque trans Rhenum in Westerwaldicis sitas oris, paucis describam, priusquam ecclesiarum censum ineam.

1. Engersium, Cun-Engers, spectabili ad Rheni ripam alteram, inter Andernacum et Confluentiam situ oppidum, quod olim a Constantino Magno excitatum volunt incolae. Illud ut aetati propius, sic veritate certius, quod Cuno archiepiscopus Trevirensis post Wiedanum et Isenburgicum comites ob vim mercatoribus Francofurtum tendentibus, in solo Treverico admotam, armis cohibitos arcem loci a se quoque nuncupatam excitaverit, ut hujus praesidio licentiam ultra Rhenum grassantium adstringeret, sibi dominium istic Rheni vendicaret, quod hodiedum archiepiscopi possident, cum telonio eodem ex Capella anno 1402 translato. — Lintzium inferius ad Rhenum post 6 horas situm oppidum, solo spirituali jure Trevericae subjectum mitrae, parochialem ecclesiam praeter observantium monasterium complectitur. Caetera electori Coloniensi devotum.

2. Mons Thaboris (Montabaur) ultra Rhenum ad quinque leucas inter Engersium et Hadamariam, haud procul ab amne Seina, eleganti collocata urbs supra collem situ, arce in edito magis, praeruptoque loco eminente. De qua Tritthemius noster in breviario historiae Francorum nobis persuadere conatur, Bassanum, regem septimum Sicambrorum, justitiae rigore admirabilem, ut nec proprio in legis praevaricatione parcentem filio, ideoque Deos inter a suis habitum animadvertisse in Thaborinum hujus loci regulum, victumque bello occidisse, et

ne intercideret facti memoria, excitasse hoc cum arce castellum, idque anno ante Christum 151. At nos, certiora secuti, Theodoricum II. Trevirorum archiepiscopum, Nassoviorum juxta infringendam potentiam, cum Henricus sese illi ex hac comitum familia objecisset insolentius, hoc castrum anno 1217 excitasse, atque ad memoriam Thaborini in Palaestina montis, cujus similitudinem aliquam exprimebat, hoc illi nomen imposuisse. Unde hi etiamnum versus retinentur:

Montabour et Kilburg construxit Theodoricus,
Ast Thurum (1) Arnoldus coepit, dolet hinc inimicus.

Henricus vero ac Boemundus successores, aedificiis oppidum excoluere; sed diversis urbs exhausta incendiis. Anno enim salutis 1535, in festo S. Apollinaris, brevi duarum horarum spatio universae cum ecclesia ipsa aedes flammis comprehensae, una cum pecore hominibusque non paucis interiere. Anno vero 1666 tertia minimum pars incendio consumpta: et non multo post, anno 1667, sedecim rursus domus ignibus absorptae sunt, ut propterea quotannis decreta in montem processio ad sacellum arcis pro avertendis incendiis fuerit, qua se sperant imposterum res fortunasque suas securius habituros. Caeterum locus hic et salubri gaudet aëre, campisque ac sylvis juxta ad honestam voluptatem jucunde distinctus, quorundam istic commorantium archiepiscoporum sedes fuit.

3. Limburgum, sive Lintburgum, civitas hodiedum ampla, amoenoque sita colle, et canonicali etiam ecclesia ad Loganam illustris, itinere unius diei Confluentia distat, stratoque super Loganam ponte aditur. Florentissima haec quondam urbs sub Gerlaco, Limburgi domino, anno 1336 bis mille armatorum civium educere in campum poterat, et censebantur ad octo millia eucharisticae mensae accumbentium. Sed octennio post exundante per inferiorem urbem Logana secuta pestilentiae lues 1400 sustulit, et subinde anno 1351 infelici cum nobilibus ab Hatzfeld congressi praelio, Nassoviae comite, qui pro urbe stabat, cadente, altera civium parte mulctata est, et fortuna urbis in deterius prolapsa,

(1) Arx Thuronica, s. Alken.

postquam Balduino etiam archiepiscopo ante septennium magna dominii Limburgensis pars certo, at redimibili censu fuisset obligata. Profuit ad arcendam expugnationem, quod Gerlacus non multo ante ingenti urbem fossa, valloque cinctam, haud leviter muniisset. Affine huic dominio territorium Adolphus Nassovius ex Dietzio comes, feudali jure Wernero archiepiscopo Trevirensi anno 1388 bis mille florenorum pretio attribuit. Idemque comes haud procul Limburgo, Arle flumini, non levi proficiscentium commodo, pontem imposuit anno 1395, tantaque id temporis annonae facilitate gavisus est, ut sex modii frumenti unico ejus loci floreno venirent.

Caeterum idem Wernerus magnam partem specularum, quas per tractum Loganae, finesque terrarum suarum, comites, urbes, nobilitasque ad poscendum, ferendumque mutuo, belli aut conspirationis tempore auxilium, possidebant, diversis locis evertit; quod conspirationi non minus adversus supremos dominos, quam defensioni maturandae servirent. Erant autem hae per altissimas ita turres ac montes institutae, ut nocturnis in eis institutis ignibus et diurno fumo signum late darent, atque hinc Francofurtum ad Moenum, inde Coloniam Ubiorum usque sese conspicuas offerent, praecipue circa serotinae campanae pulsum consuetae proponi.

4. Hadamaria, templariorum olim non ignobilis sedes, praetereunda nobis non est, quae licet sine muris, principis tamen sui habitatione et aula, atque arce perquam magnifica, spectabilis ac memoranda, eo praesertim nomine, quod inter Nassovicos prima atque eminentissima nunc jure censenda sit, postquam abjuratis erroribus, catholicae se rursum ecclesiae aggregavit. Jurisdictioni haec olim addicta Trevericae, a Friderico Leiningensi comite anno 1212 per Joannem I. archiepiscopum empta, rursumque in feudum collocata. Societatis hic Jesu patres ad instructionem primum rudis in fide populi, deinde et juventutis eruditionem adsciti, humanioribus aperuere literis gymnadem. Franciscani etiam de observantia patres locum in monte, parochiali olim templo insignem, incolunt, orthodoxae utrique fidei praesidium.

5. Brechena inferior duabus in orientem horis ad rivum porrigitur, vicus olim, quamvis non ignobilis, a Cunone demum archiepiscopo Trevirorum, post dominium Molsbergense anno 1367 coemptum, muris cinctus, aedificiis ornatus, pro urbe coli coepit. Ipse archiepiscopus loci creatus pastor, vicarium suo nomine certis reditibus tributis constituit, reliquis archiepiscopali primum mensae, deinde collegio societatis Jesu Confluentiae vendicatis. Locus tamen labentibus cum tempore muris, nunc oppidi speciem vix sustinet.

6. Vilmaria, haud procul inde, reflexo ad Loganae ripas, septentrionem versus, ad duo vel tria passuum millia itinere dissidet, situ ac specie nobile oppidum, et imperiale olim, sed quod anno 1054 Henricus III. Romanorum imperator, post acceptas S. Valerii, secundi Trevirorum episcopi, translatasque Goslariam reliquias gratitudinis titulo abbatiae apud Treviros S. Matthiae, unde Valerium transportaverat, proprium esse jussit, quae hodiedum illud possidet, verum reditibus temporum et acatholicorum injuria haud leviter accisis. Nam ut ex diplomate donationis adjiciam, quae Browerus omisit, sic in caeteris habet: »Villam quandam, quae vocatur Vielmar in »pago (id est regione) Logenach et in comitatu Goldebaldi »comitis sitam cum omnibus suis pertinentiis, hoc est utriusque »sexus mancipiis tributariis, ecclesiis, areis, aedificiis, terris »cultis et incultis, agris, vineis, pratis, pascuis, campis, sylvis, »venationibus, aquis, aquarum decursibus, molis, molendinis, »piscationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, et decimis »tam de majori Vielmar, quam de minori et de Arenfurt, »Zultebach, Scheltebach, Humenone, superiori et inferiori Hu»nenberg, Degerenbach, Gladbach, Ryrdewerth, Treiswerth, »Valdeweiler, superiori Brechena, insuper quaesitis et acqui»rendis, et cum omni jure et utilitate, qua nos praedictam »curtem ante habuimus, et quidquid ullo modo inde poterit »provenire, in proprium dedimus, atque contradidimus, eo »scilicet tenore, ut abbas de praedicto monasterio liberam »deinceps potestatem habeat, de praenotata curte tenendi, »commutandi, advocatum legendi, et precariandi, vel quidquid

»sibi placuerit cum consilio fratrum in ecclesiae usum inde »faciendi.« Porro hujus advocatiae et juris supremi potestas nunc penes archiepiscopum Trevirensem relicta est.

7. Camberga municipium est, quod a novem facile passuum millibus ex Vilmaria a Logana ad Moenum Francofurtum tendentibus sese offert, atque in decanatu Trevirorum Kirchbergensi situm est. Hoc titulo nobis imprimis memorandum, quod in medio Romanae sedis hostium, ejus loci ecclesia fidem hactenus Deo, pastorique legitimo praestet. Illud hic apponam, quod a testibus spectatissimis ac fide dignissimis, DD. Henrico Wentzelio, cellario Limburgico, et Joanne Wilhelmo Langenbachio, praetore Cambergensi, accepi, anno 1647, in festo Circumcisionis dominicae, vespertino crepusculo, accidisse: gravis tempestas Cambergensi imminebat ecclesiae, ac denique fulmineo librata ictu, turrim feriit, sed innoxie, neque enim ullam alicubi cladem dedisse, compertum est, donec cista Adami Beckers aperta est diluculo insequenti, et in ea illaesis caeteris, liber calvinisticus in dogmata papistarum succensus, deprehenditur, a quo semiambusto aegre submoveri adhuc gliscens ignis potuit, qui ad pastorem loci delatus, rei gestae testimonium chartarum reliquiis ostendit. Neque ab hoc facto spectatorum quisquam divinae castigationis, sed omnino paternae, vim abfuisse sensit, qualem in libros, quam capita male de fide merentium intorsisse maluit.

8. Wetzflaria supra Limburgum diei itinere, ad influentem Loganae Dillam amnem, perinde ut Confluentia ad Mosellam Rheno illabentem, sistitur; imperiali olim libertate donata urbs, religione et hominibus quondam florens, cujus in collegiali ecclesia, quae hodiedum sola cum Altenbergensi parthenone istic locorum in fide perstat, monumentum. Archipresbyter late in Hassiam, Wederaviam, et finitimum Loganae tractum jurisdictionis sacrae limites propagarat, quae Trevericae demum metropoli magnam partem adjuncta est, donec oblaqueata vitis haec per Lutheri Calvinique asseclas, labruscas pro uvis attulit. Sed haec pluribus in capite de collegiatis ecclesiis exposita reperies.

9. Lahnsteinium superius et inferius, quibus adjungendi Runkelii, Cattimeliboci, Wiedae, Seinae comitatus, vicinaeque terrae in societatem discessionis abstractae, quanquam jus temporale, post occupatas ecclesias, quibusdam venditum.

Denique ordinum diversorum diversa hisce locis intercedere monasteria. Ordo S. Benedicti amisit Gronaw, in districtu Cattimelibocensi frequens olim monasterium, subinde in hospitale versum, quo 300 facile pauperes sustentari possent. Amisit et Diersteinium, coenobium quondam nobile virginum D. Benedicti, Limburgum inter et Dietzium, cujus proventuum pars bona scholae Herbornensi anno 1584 a Nassovicis erectae cessit; domus, nunc fere in stabulum transformata, pro hominibus alit pecora.

Ordo cistertiensium plurium quoque coenobiorum jacturam his regionibus sustinet. Et primo quidem Elsani, S. Walburgis, non procul Limburgo, pro quo modo parochia tantum reperitur. 2º Gnadenthalii, sive Vallis-gratiae, quod Nassoviorum ex Dietz comitum sub manibus, nunc in stabulum equorum, diversorumque pecorum transmigrasse fertur, possessionibus, quae amplissimae erant, per variorum manus distractis. 3º Freydietze, S. Margaritae quondam sacrum, habitatumque virginibus sub eorundem Nassoviorum imperio, nunc suis pene vestigiis abolitum, nisi quod istic parochia calvinianae religionis visatur.

Ordo praemonstratensium Altenbergensium istic virginum juxta Wetzflariam, et Arensteinium virorum monasterium adhuc juxta Loganam, paulum supra Emsanas thermas, possidet. In medio utrumque nationis heterodoxae, sed Besselichium nunc in scholarum Hadamariensium usum conversum, Thronam in Wederavia, Vallem B. Mariae Virginis in Norbach, Bethlerodium, Holderbachium, non amplius inter sua numerant, contenti habuisse, bonis per varios possessores dissipatis. Jam quid nicolaitae in Dernbach, wilhelmitae in Winsbach, franciscani, aliique ordines in Edigstein, Lahnberg, atque alibi possederint, atque religione catholica profligata, cum salutis popularis jactura amiserint, meminisse, parum multis jucundum est. Quare manum hic a tabula submoveo, illud solum moniturus, ut retro

per majorum vias iter solerti mente relegant, videantque quam istic primi religionis apostolicae doctores institutionem christianae disciplinae, quas ecclesias, quem cultum reliquerint, et quantum ab his, quantoque suo periculo cum sectariis novissimorum temporum deflexerint. Quibus aeterna animae salus hac ponderatione digna non est, istae digni non videntur.

Decanatus Dietkirchensis anno 1794 parochias 25 numerabat: 1. Arfurt, 2. Balduinstein, 3. Beroth, 4. Dietkirchen, 5. Esenbach, 6. Elss, 7. Gross-Holbach, 8. Hahn, 9. Haintgen, 10. Haselbach, 11. Hundsangen, 12. Kamberg, 13. Limburg, 14. Lindenholzhausen, 15. Meud, 16. Nentershausen, 17. Niederbrechen, 18. Niedererbach, 19. Niederselters, 20. Oberbrechen, 21. Salz, 22. Schönberg, 23. Vilmar, 24. Werschau, 25. Weidenhahn; decanatus vero Kunostein Engers 50, n. 1. Aremberg, 2. Arzbach, 3. Arzheim, 4. Bendorf, 5. Breidenau, 6. Dattenberg, 7. Ehrenbreitstein, 8. Fischbach, 9. Geberzhahn, 10. Grenzau, 11. Hammerstein, 12. Hartenfels, 13. Heiligenroth, 14. Heimbach, 15. Helferskirchen, 16. Herschbach, 17. Hilscheid, 18. Hönningen, 19. Hoer, 20. Horchheim, 21. Horhausen, 22. Irrlich, 23. Isenburg, 24. Kirchär, 25. Kirchen, 26. Kunostein-Engers, 27. Leudesdorf, 28. Linz, 29. Maria-Rachdorf, 30. Mayscheid, 31. Monthabaur, 32. Nauert, 33. Neustadt, 34. Neuwied, 35. Niederberg, 36. Niederlahnstein, 37. Nieveren, 38. Oberlahnstein, 39. Olenberg, 40. Peterslahr, 41. Pfaffendorf, 42. Ransbach, 43. Rheinbrohl, 44. Sayn, 45. Spies, 46. Vallendar, 47. Waldbreidbach, 48. Wehrheim, 49. Winden et Weinär, 50. Wirges. Parochia in Wezlar et in Giessen quodam modo decanatu Dietkirchensi adnumerandae erant.

Archidiaconatus Dietkirchensis celsitudinem praerogativasque in prioribus saeculis illustravit *Dictio secunda, de die 7. novembris 1775 habita in electione decanali P. R. et amplissimi D. Caspari Schmitt, parochi Cambergensis.* Doctissimi decani Limburgensis Ludovici Corden lucubrationes hic inserens, gratum me multis reddere censeo.

De primordiis archidiaconorum Trevirensium.

Si prima archidiaconorum incunabula investigare placet; eos saeculo IV. in utraque ecclesia Latina et Graeca modo celeberrimos fuisse plurima probant monumenta, quae eruditus canonista historicus Theodor Ruprecht in *notitia historiarum ad tit. de officio archidiac.* collegit; eorum autem amplissimam authoritatem S. Isidorus episc. Hispal. saeculo VII. recitat apud Gratianum cap. 1. dist. 25. §. archidiaconus.

Prima, quae in ecclesia Trevirensi occurrunt, vestigia, saeculo V. pandit Gregor. Turon. lib. de glor. confess. cap. 93. verba sic sonant: »Sicque archidiaconus urbis ipsius cum a »Nicettio (nostro archiepiscopo) pro adulterii crimine pulsa»retur, sacramento se ad hujus Sancti (Maximini) sepulchrum »purificari expetiit.« Saeculo VII. apud Surium ad diem 22. novemb. celebratur S. Cunibertus archidiaconus, postea archiepiscopus Colon. S. Cunibertum autem archidiaconum Trevirensem extitisse, manifestatur ulterius ex diplomate Bertolffi archiep. Trevir. de anno 874, relato in prodrom. hist. Trevir. pag. 81; cui haec verba inserta leguntur: »Quia S. Kunibertum »in ecclesia nostra nutritum et edoctum, atque archidiaconatus »officio sublimatum cognovimus.« Post eum sub S. Numeriano archiep. legitur Garibertus an. 664 subscriptus hujus privilegio in tom. I. hist. diplom. Trev. pag. 83.

Deducitur ex his monumentis eximii Domini! archidiaconi nomen fuisse primitivum et commune, quod in omnibus ecclesiis his praelatis tribueretur. Attendite nunc nominis archidiaconi in chorepiscopi et coepiscopi, mutationem: An. 811 in Flodoardi hist. Rem. lib. 2. cap. 18. Amalarius archiep. Trev. jussione Caroli Magni, cum suo coepiscopo Adalmaro Remis interfuit ordinationi cujusdam Frotharii ecclesiae Trevirensis presbyteri. Anno 830 in eadem hist. dipl. Trev. pag. 177 comparuit in Thegano titulus chorepiscopi (1). An. 964 ibidem

(1) An Theganus vir generis nobilitate, animi magnitudine, et literarum cultu in fastis notissimus, merus fuerit juxta temporis illius usum

pag. 301 occurrit denuo signum Thiodonis archidiaconi. Ibidem an. 975 pag. 323 Wichfridus, sanctae sedis Trevirensis archidiaconus appellatur. An. 981 pag. 323 S. Robertus archidiaconus, S. Hermannus chorepiscopus, S. Gerhardus chorepiscopus in lucem prodeunt ([1]).

Videtis hic unum archidiaconum, et duos chorepiscopos. Ibidem an. 996 pag. 335 comes Beringerus salutatur sanctae Trevericae sedis chorepiscopus. Similiter pag. 393 an. 1052 Ruricus chorepiscopus, Arnoldus chorepiscopus memorantur. Pag. 405 an. 1063 signavit Bruno chorepiscopus regionis Prumiensis, et praeter illum Roricus chorepiscopus videlicet alterius regionis. Verum quo tempore Trevirensis ecclesia in quinque archidiaconatus divisa fuit? quo tempore nomen chor- et coepiscoporum desiit? attendite eximii Domini! quaestiones paucis enodabo.

De divisione dioeceseos nostrae Trevir. in 5 archidiaconatus.

Audistis modo saec. V., VI., VII., VIII., IX., X. jam unum, jam duos, jam tres claruisse ecclesiae Trevirensis praelatos, qui tum archidiaconi, tum chor- et coepiscopi titulis insignirentur. Sed saec. XI. et XII. sensim quinque archidiaconatus illos, qui ad nostra usque tempora nostra in dioecesi persistunt, in relictis posteritati chartis manifestant. Sic. an. 1085 in tom. I. hist. diplom. Trev. pag. 437 signantur 4 chorepiscopi: Poppo choriepiscopus, Hongerus choriepiscopus, Bruno choriepiscopus, Winricus choriepiscopus. Iidem 4 testes recurrunt pag. 449 an. 1097.

---

diaconus, dici vix potest propter ipsa Thegani verba: Theganus peccator licet antistes. Quod verbum antistes, si non consecratum episcopum, ad minimum saltem presbyterum exigit.

(1) Archidiaconus videtur is fuisse, cui hodie tribuitur nomen majoris archidiaconi, sive des Ober-Chorbischoffes; ipse erat adjutor episcopi in ipsa hujus cathedra, et per totam dioecesin, chorepiscopi autem in suis singuli regiunculis.

Sed mirum? anno sequenti 1098 pag. 452 omnes reversi sunt ad primitivum nomen: ibi Bruno praepositus de Cardono. Bruno senex archidiaconus (i. e. S. Petri majoris), Rambertus archidiaconus dictus praepositus (S. Lubentii), Adelbero praepositus, Godefridus archidiaconus.

Econtra pag. 484 an. 1107 denuo variarunt, et quidem nonnulli sub nomine coepiscoporum (1) apparent. Ibi in generali synodo Brunonis archiep. obveniunt Godefridus coepiscopus et praepositus (creditur fuisse S. Lubentii), Bruno archidiaconus, item Godefridus coepiscopus et praepositus S. Castoris in Cardona, Theodoricus archidiaconus. Pag. vero 510 an. 1123 rursum Theodoricus archidiaconus, et Arnulphus archidiaconus subsignarunt.

Abinde non comparet amplius nostris in documentis, quae prodierunt in lucem, nomen chor- vel chori- vel coepiscoporum, archidiaconi nomine juxta primaevum ecclesiae nostrae morem restituto (2) sic pag. 598 an. 1162 comparent omnes quinque, Rudolphus decanus et archidiaconus, Alexander archidiaconus, Bruno archidiaconus, Joannes archidiaconus, Folmarus archidiaconus; ita quoque pag. 837 an. 1212 omnes quinque leguntur Curadus major praepositus et archidiaconus, Tirricus archidiaconus, Wilhelmus decanus et archidiaconus, Joannes archidiaconus, Ottwinus archidiaconus.

Omnes illi archidiaconi eandem, quam olim chorepiscopi, personam agunt, et idiomate vulgari chorepiscopi, sive Chorbischöff, ad nostra usque tempora salutantur. Et primus quidem archidiaconatus titulo S. Petri majoris. Secundus S. Lubentii in Dikirchen. Tertius S. Castoris in Cardona. Quartus S. Agathae in Longuiono, et quintus S. Mauritii in Tholeia superbit.

---

(1) Nomen coepiscopi vix non me inducit in cogitationem plurium inter archidiaconos episcoporum titularium.

(2) Quod usitatum a saec. IX. ad XII. usque nomen coepiscopi dimissum fuerit, in causa fuisse potuit can. 5. dist. 68 quem ab Anselmo Lucensi, vel ab Isidoro mercatore accepit Gratianus.

De officio archidiaconorum Trevirensium, eorumque praerogativis generalibus.

Praemissis his, ad officium archidiaconorum nostrorum et praerogativas pergamus. Officium nobilissimum in dictione a. p. sufficienter delineatum intellexistis viri eximii! illudque a canonistis ad tit. de officio archid. fusius dilucidatur. Sufficiat hic, archidiaconos nostros vices egisse vicariorum episcopi, ita ut ille S. Petri majoris esset episcopi vicarius generalis in metropolitana, totamque per dioecesin, reliqui vero vicarii foranei suis in regionibus, quae vicaria potestas sensim abiit in ordinariam.

Nec defuerunt archiepiscopi, qui amplissimam archidiaconorum jurisdictionem privilegiis iisque amplissimis exornarent: sic Bruno archiep. in hist. dipl. Trev. tom. I. pag. 506 an. 1122 indulsit, ut archidiaconi episcopo impedito, poenitentes, sacrilegos, raptores, excommunicatos ecclesiae reconciliarent. Sic Arnoldus archiep. solennibus litteris jurisdictionem in perpetuum archidiaconis eo modo exercendam confirmavit, quo modo sub praedecessoribus Joanne (qui obiit 1212) et Theodorico archiep. (qui obiit an. 1242) in visitandis parochiis, in synodis celebrandis, in corrigendis moribus, in controversiis recognoscendis eandem exercuerunt (1). Sic in omnibus litteris incorporationum, quae sub Theodorico et Balduino archiep. in ecclesia collegiata Limburgensi, et aliis occurrunt, jura archidiaconorum inconcussa solenniter reservantur.

Reliqua ut taceam, juvat hic juramentum Jacobi Badensis archiep. de 2da aprilis 1505 reverendissimo capitulo Trevirensi praestitum quo ad passum concernentem ex tom. II. hist. diplom. Trevir. pag. 571 adducere. Verba sic sonant: »Archi- »diaconos ecclesiae, et in ecclesia Trevirensi tam de jure, »quam hactenus approbata, et praescripta consuetudine in

(1) Litterae allegantur in deductione, quem reverendissimum capitulum metropol. ad serenissimum dedit puncto juris devoluti in parochiis investiturae archidiaconali subjectis.

»meis subditis respective jurisdictionem habentes in exercitio »hujusmodi jurisdictionis, per me, aut meos officiatos, et offi- »ciales seu commissarios non impediam, ac etiam institutiones, »quae per archidiaconos pro tempore fieri consueverunt, et »aliis eorum jurisdictionem concernentibus, quando jurisdictio »spectaret solum ad ipsos, et si per meos officiales eorum »aliquem contra praemissa aliqua attemptata fuerint, postquam »per eosdem archidiaconos, aut eorum officiales desuper fuero »requisitus, id statim reparari curabo. Quodsi aliqua differentia »inter me et officiales meos, atque memoratos archidiaconos »fuerit, aut imposterum talem oriri contingat; ex tunc or- »dinabo duos non suspectos una cum aliis duobus per prae- »fatos archidiaconos ordinandis, qui hujusmodi differentias, »prout juris, et rationis fuerit, decidere, et terminare curabunt, »prout aequitas suadebit justitia mediante. En capitulationem »perpetuam a Julio II. papa, Jacobo Badensi archiep. et suc- »cessoribus praescriptam.«

Et quamvis saeculis posterioribus multis in dioecesibus nomen archidiaconi invisum fuerit, et officium penitus extinctum, dioecesis tamen nostra quinque archidiaconos suos, receptamque ecclesiae Trevirensis disciplinam sacris canonibus conformem jugiter et custodivit, et ad saeculi ineuntis primordia transmisit; quando institutis primo, dein immutatis congregationibus Carolinis (prout in dictione I. fusius descripsi) tota visitationum annuarum provincia archipresbyteris commissa fuit.

Nec haec mutatio obstitit, quin complures praerogativae tam cuilibet seorsim archidiaconatui, quam omnibus in concreto competentes, penes archidiaconos remanerent. Sic ad modernam usque aetatem archidiaconi nostri praesentatos ad beneficia canonice instituunt, electionibus archipresbyterorum praesident, et, quod paucissimis in dioecesibus feret usus, ipsimet non consulto prius archiepiscopo, electos confirmant.

Desideratis nunc venerabiles domini! aliquod recens visitationum archidiaconalium vestigium intueri; avenam synodalem, quae singulis annis in tractu capituli vestri silvatico porrigitur, cogitate: avena haec, quae centum maldera trans-

cendit, a synodis nomen habet, et vulgari idiomate Send-Haaber nuncupatur. Revocate et in mentem modum, quo avena illa distribuitur: in 4 annorum periodo tres ante annos duo primi anni erant anni archidiaconi, 3tius archipresbyteri, 4tus parochorum; dum tandem an. 1773 pacta inter partes conventione, archidiacono singulis annis pars dimidia, tertia pars archipresbytero, et 4ta parochis, ad majorem partium utilitatem pro futuris temporibus solenniter stipulata fuit. Omnes siquidem participantes erant, et sunt illi, qui in synodis olim celebrandis laborabant, unde et avena illa synodalis laborantium merces erat.

De ordine archidiaconatus nostri Dikirchensis, et praerogativis in specie.

Sicut nunc archidiaconatus S. Petri majoris et dignitate et praerogativa reliquis superior est, utpote metropolitanae inhaerens ecclesiae; sic et archidiaconatus noster Dikirchensis Cardunensem, Longuionensem, Tholeyensem et ordine, et honore ad hunc usque diem antecedit. Et quid mirum? solebant archidiaconatus celeberrimis adscribi ecclesiis, ecclesiaeque adscriptae titulum adoptare.

Quaenam nunc, edicite viri zelosissimi! quaenam post Trevericam metropolitanam celebrior est Dikirchensi? loquuntur lapides canam, et venerandam structurae ejusdem prae reliquis aetatem, loquuntur asservata S. Lubentii primi Loganorum apostoli pignora majestatem, loquitur celeberrimum canonicorum ibidem sub invocatione S. Lubentii laudes divinas decantantium collegium, sedis sanctitatem.

Ipsa praeterea ecclesia Dikirchensis in montis vertice ad Lahnam aedificata limes erat dioeceseos nostrae antiquissimus, quando tota vicinia trans-Logana Limburgensis cum magno satrapiae nunc Monthaburanae districtu, initio saeculi XII., testantibus id monumentis quam pluribus suo tempore divulgandis, archiepiscopo Moguntino in spiritualibus subjecta fuerat.

Ita est: archidiaconatus noster primum post metropolim ordinem sibi vindicat, et jure vindicat. Archidiaconus insimul praefatae insignis ecclesiae collegiatae praepositum agit multis praerogativis clarescentem. Sic praeter reliquas, archidiaconus vasallos et hos inter, comites de Wieda et Westerburg, in loco capitulari infeudat, fidelitatis homagia ab ipsis excipit, canonicatus omnes in mense capituli, plebaniam in quocunque mense confert, et, quae maxima excellentia est, licet archiepiscopus electionis decanalis actui, suum per commissarium praesideat; electi tamen, a venerabili capitulo collegiatae Dikirchensis decani confirmatio ad archidiaconum spectat.

Sed quinam antiqui archidiaconatus nostri fines assignandi? quousque ejus jurisdictio ecclesiastica excurrebat? quaestio sane eo minus negligenda, quia haec ipsos archidioeceseos nostrae limites definit.

De finibus archidiaconatus Dikirchensis in sex capitula ruralia olim divisi.

Fines erant adeo ampliati, ut archidiaconatus noster sex in capitula ruralia, seu totidem sedes christianitatum divideretur. Prima sedes erat capitulum nostrum Dikirchense. 2de sedes Wetzlaria. 3tia sedes Kirberga. 4ta sedes Cunostein-Engers. 5ta sedes Marienfels. 6ta sedes Heyger, nobile oppidum non procul a Dillenburgo situm.

Fuerunt igitur celeberrimi viciniae totius cis-rhenanae pagi Enrichone, Longavia superior, Longavia inferior, pars major Engersgaviae, pars pagi Hassiae, qui jurisdictionem ecclesiasticam archidiaconi nostri, consequenter et ordinarii Trevirensis ab initio saeculi XII. ad critica reformationis sic dictae tempora recognoscerent.

Auscultemus nunc numerum parochiarum singuli seorsim capituli ruralis, et amplissimam insimul peripheriam mirabundi intuebimur. Capitulum Dikirchense nostrum 28 numerabat parochias, et praeter Limburgum, Diezium, et tractum syl-

vaticum vix non omnem principatus Nassovici districtum sibi incardinatum recensebat, capitulum Wezlariense in Hassiae medullis terminos inquirebat, et 64 numero erant parochiae matrices, quae Wezlariam christianitatis sedem suam venerabantur. Kirbergense in tractu aureo, totaque, quam fluvius Ahra lavat, vicinia 45 parochias complectebatur. Engariense ex parte superiori Niederlanstein, et ex inferiori parte Linzium terminabant, materque erat 47 parochiarum... A Niederlanstein ad Cubam Marienfelsense capitulum sese extendebat et per Hassiam Rheinfelsensem, totamque antiqui Enrichonis viciniam excurrendo, de 34 parochiis jurisdictioni suae subditis gaudebat. Heygerense demum omnes parochias in confinibus Dillenburgi longo ordine suis annumerabat. Fines profecto amplissimos, fines toti dioecesi comparandos.

Et quanquam critica, religionis per Germaniam valde mutatae, aetate quatuor capitula Wezlariense, Kirbergense, Marienfelsense, et Heygerense, excepta sede Wezlaria, paucisque aliis parochiis a religione orthodoxa deficerent, atque Calvini et Lutheri doctrinam profiterentur; non tamen extincta est his in capitulis archidiaconatus nostri jurisdictio, sed dormit duntaxat, et suspensa est, exorituro demum his in terris verae fidei sole, suis relaxanda vinculis jurisdictio.

De parochiis antiqui capituli Dikirchensis et Kirbergensis.

Sed quid juvat plura de archidiaconis discurrere; si vel ipsi capituli hujatis domestica negligamus? Capitulum Dikirchense nostrum, prout defacto subsistit, ex Dikirchensi antiquo, et Kirbergensi coaluit. Siquidem cum plures ab utroque parochiae una et ipsa Kirberga capituli Kirbergensis sedes ad Lutheri et Calvini vexilla abirent, bina capitula in unum concreta sedem antiquissimam christianitatis Dikirchensem, ad nostra usque tempora continuarunt.

Libet nunc ex antiquis archivi archidiaconalis documentis catalogum parochiarum praememorati utriusque capituli in medium proferre. Et quidem capituli Dikirchensis parochiae

erant sequentes: Dikirchen sedes, Hundsangen cum altari B. M. et vicario ibidem, Mude cum vicario ibidem, Laar cum vicario ibidem, Secken cum vicario ibidem, parochia in Limburg, Mons S. Petri in Diez, Gemünden, Hurzberg, Nentershausen, Erlebach, Else, Munffheim, Hademer, Zuitzheim, Salze, Blesseberg, i. e. Mons S. Blasii, Wolmerode, Ruhzehahne, Nünkirchen, Aldendorff, Oppendrode, Schuppach, Holzhausen, Diffenbach, Weyer, Steden et Derne, Hohlbach.

Capituli autem Kirbergensis sequens catalogus extat. Kettenbach cum vicario ibidem, Flaicht cum vicario ibidem, Bergen cum vicario ibidem, Brechen infer. cum vicario ibidem, Kaynburg i. e. Camberg cum vicario ibidem, Dorstorff cum vicario ibidem, Hesterich et Wirsdorff cum vicario ibidem, Bechtheim cum vicario ibidem, collegium in Diez, monasterium in Dirstein, ecclesia in Engenstein, i. e. Idstein, ecclesia in Hahne, Urft, Klingelbach, Dobberen, Streinze, Esche, Steinfisbach, Estershuisen, super. Schwalbach, Münster, Schonenborne, Freyendieze, ecclesia in majori Vilmar, Kirpurg, Walsdorff, Isenbach, Hoenstaeden, Mensfelden, Schwalbach infer. Hastingen, Brechen super., Winbach, Langenbach, Dreisbach, Bleissinbach, Uffinghin, Selibach, ecclesia in minori Vilmar, Eckershuisen, Nasen, Rode, Wilmünster, Panrode, Vachtingin, Rode auf der Weil.

Sequentes autem capituli Kirbergensis capellas, et altaria documenta ad notitiam nostram transcripserunt: capella in Klingelbach, in Kirpurg altare B. M. V. ibidem altare S. Leonardi, in Kamberg altare S. Catharinae, ibidem altare S. Leonardi, ibidem altare S. M. V., ibidem altare Ss. Trinitatis, in Keltenbach altare, in Heringen altare B. M. V. ibidem secundar. in Hoensteden altare, in Nasen altare, in Vilmar altare S. Crucis, ibidem primissaria, ibidem altare undecim millium Martyrum in Wülmünster altare, in Langenbach altare B. M. V., in Edigstein altare S. Crucis, ibidem altare S. Catharinae, ibidem altare B. M. V., ibidem altare S. Andreae, in Dieze altare S. Catharinae, ibidem altare S. Petronellae, ibidem S. Joannis Baptistae, ibidem altare B. M. V., ibidem altare

S. Nicolai, ibidem Ss. Trinitatis, ibidem altare S. Crucis, ibidem altare S. Andreae, ibidem altare S. Antonii, ibidem altare Mariae Magdalenae, ibidem altare S. Georgii, capella in Kramburg, capella in inferiori Selters.

Ex hac parochiarum serie quilibet vestrum pastores vigilantissimi! suam satiare orexin poterit, et relicta capituli sui primitivi vestigia videre et admirari.

De capituli ruralis Dikirchensis decanis.

Superest: ut et de ipsis capituli nostri Dikirchensis decanis, ceu totidem candelis ardentibus supra candelabrum positis, qui omnibus in domo Dei versantibus clarissimis virtutum, zelique apostolici radiis praeluxerunt, pauca delibemus. Plura hac in parte documenta, temporis invidia sustulit; ea, quae antecessorum nostrorum vigilantia notavit, fideliter promamus.

Primum antiquissimae sedis hujus archipresbyterum veneremur S. Lubentium capituli hujus patronum, is (si piae traditioni, si ipsis breviarii Trevirensis lectionibus fides sit adstruenda) primus erat, qui apostolico zelo exardescens non aliter, ac S. Franciscus Xaverius saeculo XVI. Indis, sic ipse saeculo IV. Germanis adhuc barbaris has oras incolentibus, maximo populorum confluxu fidei dogmata praedicaret. Quid quod rupis hujus praecelsae culmen, cui moles ecclesiae Dikirchensis innititur, cathedra fertur, e qua vir ille apostolicus fidei semina, largissima messe, spargeret. Unde et splendidum S. Lubentio Loganorum, sicut S. Xaverio Indorum, apostoli nomen obtigit. S. autem Lubentium, qui in Cuverino Mosellae inferioris loco, parochus extitit, insimul archipresbyteri dignitate claruisse, patet ex chronico S. Maximini relato in prod. hist. Trev. pag. 998 ubi haec verba leguntur: »Sub hoc (abbate) »sanctissimum corpus S. Maximini ex jussione S. Paulini per »Lubentium archipresbyterum, qui Lubentius spiritualis filius »S. Martini exstitit, et S. Maximino erudiendus traditus) et »populum Trevericum mirabiliter ab Aquitania defertur.«

Novissimis autem saeculis archipresbyteri, seu decani rurales sequentes leguntur: Annus 1477 exhibet nobis decanum Wernerum Hant, plebanum in Gemünda, 1500 Theodoricum a Walderdorff, plebanum in Limburg, cujus illustrissimae prosapiae dioecesis nostra debet incomparabilem Joannem Philippum archiep., alterum saeculi nostri Titum, 1540 Cunonem a Brambach, canonicum, postea decanum in Dieze, 1555 Hermannum Manhardum de Selbach, plebanum in Limburg, 1584 Joannem Rath, pastorem in Else, 1600 Wilhelmum Lindener, pastorem in Vilmar, 1611 Petrum Noll, plebanum, postea decanum in Limburg, 1636 Mathiam Caspari, pastorem in Vilmar, 1692 Henricum Hilgeri, plebanum in Limburg, 1707 Melchiorem Deuren, pastorem in Meude, 1719 Fridericum Dornuff, parochum in Niederselters, postea decanum et plebanum Limburgensem, 1752 Joannem Heuser, parochum in Hundsangen, 1761 Mathiam Hartman, parochum in Schoenenberg, 1766 Francisc. Ludovic. Janny, plebanum in Limburg. Et demum 1774 Christophorum Hermes, parochum in Nentershausen, qui tertia octobris 1775 obdormivit in Domino, suam laboris coronam in coelis recepturus, et capitulum decano viduatum reliquit.

Progrediamur igitur ad novam archipresbyteri electionem, et si omnes ita natura comparati simus, ut nulla re magis, quam parentum et majorum nostrorum gloria delectemur, si Ephoebum enarrata majorum nobilium prosapia, heroica parentum facinora mirum quantum afficiant, et ad aemulationem magnetica quadam virtute suavissime attrahant; profecto et vos venerabiles viri fratres! Sedis hujus antiquitas, majorum vestrorum excellentia, dignitatis archipresbyteralis ardua ratio excitare debet, et accendere, ut vota in eum conferatis, quem merita, et virtutis ratio prae omnibus digniorem comprobarunt. Sic erit, ut sedes haec antiquissima de novo splendoris accessu gaudeat. Amen.

Pro supplemento historico ex antiquis registris adduntur parochiae reliquorum capitulorum.

Parochiae capituli antiqui ruralis in Wezlar.

Parochia et sedes christianitatis Wezlaria (cujus decanus ruralis antiquitus speciali titulo archipresbyteri ornabatur), Weilburg, Langnuse, Poelgnuse, Lüzelinden, Trisdorff, Erde, Huchelucheim, Obersdorff juxta Cleberg, Wez super., Wez inferior, Lunzbach, Darler, Altenkirchen juxta Braunfels, Koenigsberg, Dillicheim, Dilhausen, Rodeheim, Bischoffskirchen, Rickelffkirchen, Nentroden, Mengerskirchen, Crafftsolms, Schwalbach, Geisen, Altendorff prope Linden, Leun, Rechtenbach super., Hirnsheim, Burgsolms, Cleben super., Cleben infer., Bele, Hulzhausen, Naberen, Habichenbey, Hussen, Rachdorff super., Gredelbach, super. Coenbach, inf. Coenbach, Rhaetgen, Kelhausen, Mülheim, Crufftilbach, Follenkirchen, Ulmen, Waldorff, Cubach, Delsberg, Garbenhey, Banenboden, Crumbach, Allar, Heyawe inferius, Rolshausen, Altenkirchen prope Koenigsberg, Alspach, Milte, Altenkirchen prope Hohensolms, Nilweren, Alpach, Altensteten, Volprechtshausen.

Parochiae capituli ruralis in Cunostein-Engers.

Engers sedes christianitatis: Vallendar cum vicario ibidem, Bedendorff cum vicario ibidem, Nedenberg cum vicario ibidem, Puderbach cum vicario ibidem, Beveren cum vicario ibidem, Regenstorff cum vicario ibidem, Hoestenbach cum vicario ibidem, Rockenrode cum vicario ibidem, Dierdorff cum vicario ibidem, Feldkirchen cum vicario ibidem, Heimbach cum vicario ibidem, Hunfeld cum vicario ibidem, Linz, Almersbach, Urbach, Winden, Ludesdorff, Ahrenberg, Marhausen, Laar, Dreis, Meyscheid, Rachdorff, Rospach, Helperskirchen, Waenbach, Noerthoeffen, Bruel, Breitbach, Ains-

hausen, Nüwenstatt, Breidenau, Hoeningen, Heindinstorff, Hammerstein, Rainsbach, Wied-Rheinbach, Rupach cum vicario ibidem, Embs, Nassau, Daussenau, Nievvenheim, Horcheim, Paffendorff, Niederlanstein (1).

Sequuntur altaria et beneficia capituli ruralis Cunostein-Engariensis.

In Valle Ehrenbreitstein altare S. Mathiae, ibidem altare S. Petri, in Hoeningen altare S. Catharinae, in Vallender altare S. Joan. Bapt., ibidem altare S. Catharinae, ibidem altare S. Antonii, ibidem altare B. M. V., in Cunostein-Engers altare B. M. V., in claustro ibidem altare S. Michaelis, altare S. Barbarae, S. Crucis, S. Nicolai, in Beselich altare S. Blasii, ibidem altare B. M. V., in Heimbach altare omnium Sanctorum, S. Catharinae, S. Jacobi, B. M. V., Capellania in Ehlenberg, altare B. M. V. ibidem, altare S. Bartholomaei ibidem, altare in Dadenberg, altare in Lupstorff, ecclesia in Arzheim, primissaria in Dausenau, altare S. Nicolai ibidem, in Linz altare S. Crucis, in Ludesdorff altare B. M. V., S. Catharinae, S. Hedwigis, in Bedendorff altare 1100 Martyrum, S. Antonii, B. M. V., in Nassaue primissaria, hospitale ibidem, altare S. Petri ibidem, in Feldkirchen altare B. M. V., S. Georgii, in Broel altare S. Nicolai, in Hoeningen vicaria S. Catharinae.

---

(1) Mirabar primo intuitu, tot parochias ad insigne capitulum S. Florini in tractu praesertim sylvatico spectantes, nostrae matriculae archidiaconali non esse adscriptas; sed diligentius investiganti mihi occurrit, jus visitandi aeque ac investiendi his in parochiis a ven. capitulo praescriptum. Parochiae, quae hac die ad capitulum Engariense et Dikirchense nostrum pertinent, in schematism. Trevir. legi poterunt; si quae occurrunt superius non notatae, signum est tum temporis vel nondum fuisse matrices, vel per vicarios amovibiles, uti Hönningen provisas.

Parochiae capituli ruralis in Marienfels.

Marienfels sedes, Didrot, Weiler, Nieweren, Larscheid, Lipporne et Waldrode, Braubach, Burnich et Cube, inferior Diffenbach, superior Diffenbach, Singhoben, Zurne, Lauffensel, Meilingen, Bachheim, Didrot in Valle, Holzhausen, Dornsholzhausen, Ascherbach, Rettrode, Osterspey, Oberwallmelach, Schweickhausen, Weissel, Robershouen, Oberlanstein, Hyniegoben, Frücht, Diedenthall, Obernhoff, Esten modo Holzappel, Habenscheid, Nasstaetten, Schoenau.

Altaria et beneficia capituli in Marienfels.

In Marienfels altare S. Spiritus, primissaria ibidem, capella S. Bartholomaei in Castro nunc Cestert, ibidem altare S. Nicolai, S. Catharinae, hospitale ibidem, capella in Laneck, in Braubach altare S. Nicolai, S. Barbarae, capella in Gerhardstein, capella in Dassenhausen, altare in Holzhausen auf der Heydt, capella in Mehlen, capella in Bechen, altare in Alffersbach (erat monasterium monialium), capella in Dülscheid, in Cuba altare S. Michaelis, S. Joannis Bapt., S. Crucis, S. Nicolai, S. Georgii, Ss. Trium Regum, Adauct. S. Georgii, altare Ss. Trinitatis, officium primae et secundae missae, altare in Nasstaeten, primissaria in Wesel.

De capitulo rurali in Heyger.

Pluribus in documentis sedes hujus christianitatis annotatur; sed canonem parochiarum temporum injuriae perdiderunt.

CAPUT IV.

Archidiaconatus Cardonensis.

Cardona, nobilis supra Confluentiam, ad octavum lapidem, vicus, Romanorum olim sede et antiquitatibus, nunc vero celebri canonicorum sede honoratus, titulum hujus archidiaconatus sustinet, qui se per Ripuariam in Eiffliam ad Montem Regalem usque, per definitionem vero Hunnicam (Dorsum Caninum, Hundsrück, per abusum, a commorantibus istic olim Hunnis dictum) ad Rhenum supra Vesaliam effundit, praecipuamque inferioris dioecesis partem suo stringit ambitu, ac praeter urbes, vicos non ignobiles possidet, quos cum expendere omnes longum sit, praecipuarum tantum urbium loca invisemus.

1. Confluentia in his facile principatum, alter Trevericae archidioecesis, Rheni inter Mosellaeque confluentes aquas (unde nomen traxit), oculus, inferioris dioecesis urbs facile princeps, et litium istic suprema sub archiepiscopo arbitra. Haec olim sub Poppone saeculo Christi XI. adhuc juris imperialis, et absque muris, gemino potissimum canonicorum collegio, S. Castoris et S. Florini spectanda, circa annum 1018 S. Henrici imperatoris munus fuit, quo Trevericam, ceu nova quadam gemma, mitram excoluit, omnique illam cum telonio, finitimisque agris jure, appositaque arce, Popponi archiepiscopo cessit. Unde egregia muniendi hujus electoratus septentrionem versus occasio his principibus oblata, atque usurpata etiam hactenus; nunc demum aetate nostra sub Carolo Casparo omni arte et ingenio ita perfinitur, ut inter praecipuas inferioris Germaniae munitiones, qui Rheni simul Mosellaeque, velut clavem possideat, jure debeat aestimari. Arnoldus hanc primum archiepiscopus saeculo Christi XII. vallis et partim sepe, partim muris clausit, antehac patentem, et cuivis perviam. Qua libertate freti cives, murorum producere ambitum coepere, fretique subinde audacia, et conjuratae nobilitatis favore, anno salutis 1280 Henrico

Vinstingo archiepiscopo jus suum severius exigenti arma opposuere; sed victis, praeter leges, arcem ipse imposuit, faciliusque dein habuit obsequentes, quanquam sub Diethero principe anno 1304 iterata expugnatione rebellionem expiarint. Balduino illi archiepiscopo magnificum, qui Mosellae imponitur, pontem debent, qua Ubii petuntur, cui jam alterum modernus archiepiscopus Carolus impositum navibus trans Rhenum pontem adjecit, hiberno frigore et bellica tempestate solubilem. Eidem Balduino Confluentini promptis armis adversus Reinardum Westerburgicum et Isenburgicos auxiliares gratificaturi, dum illustri nobilium comitatu, et civium numero instructi, trans Rhenum, ad arcem Grensawiam recuperandam properant, hostium insidiis circumventi, magna ducentorum capitum strage obsequium luunt, qui Valendriae nobili ad Rhenum pago sepulti, anniversaria sacrificiorum memoria in Confluentina D. Virginis aede paschalibus feriis honorantur. Tristioris Balduinus cladis nuntium accepisse nunquam creditur, quam quo fidelissimos nobilium, civiumque caedisse intellexit: diciturque, ad sena aureorum millia in afflictorum impendisse solatium. Aliam haud leviorem ab incendio vastitatem haec urbs anno 1397 sustinuit, quam ex equestris ordinis viro nobili ab Ehrenberg, quocum inimicitias exercebat, passa est. His, aliisque cladibus haud parum attenuata, Caroli V. tamen aetate, et Ferdinandi et Maximiliani Caesarum, quando vicina quaeque haeresis occupavit, defectionem ab apostolica et Treverica etiam sede moliebantur, Confluentini constanti erga Deum, archiepiscopumque suum fide stetere, quam superioribus quoque annis, Gallo-Suecis huic archidioecesi incumbentibus, Caesari imperioque praestandam censuere; ut, licet Gallis in Ehrenbreitsteinianam arcem admissis ingenti discrimine jactarentur, tamen cedere, nisi Suecis vim majorem inferentibus, noluerint. Sed adversus ejusmodi hostes nunc valla ingentia, profundae fossae, muri duplices, vasta ubique per circuitum propugnacula surgunt, ut ejusmodi adversariorum machinamenta fortius deinde elidantur.

Rus etiam vicinum ad meridiem, occiduumque solem late arboribus expurgatum, ut insidiae latebraeque hostium de-

tegantur, prospectusque excubantium quaqua versum explicetur. Nec minor adhibetur cura vicini collis a carthusianorum familia jam dudum habitati, in usum praesidiumque urbis convertendi, ne ad urbis expugnationem hosti deservire possit. Altera etiam, qua magis urbs ad Rhenum vacat platea domibus opportunis instructa adjicitur. Tum vero ne qua ad Mosellam pars murorum subsidio aquarum nudetur, ad veterem stationem, objectis vallis, flumen repellitur. Quae ut sedula nunc ad absolutionem cura elector Carolus urget, ita futuro tempore majorem patriae ab ingruentibus inimicis securitatem pollicentur. — Monasteria, cum virorum, tum mulierum urbis hujus diversa sunt, ut praedicatorum, observantium, carmelitarum, quae suis locis memorabimus.

Castrum Ehrenbreitsteinianum jam dudum ad Mosellae ostium in opposito ad Rheni litus monte, pro utriusque fluminis custodia a priscis loci dominis excitatum, Trevericoque electori ab Henrico II. imperatore traditum, Hillinus archiepiscopus anno 1166 egregio munivit opere, et Joannes Badensis ão 1481, ne aquae in excelsa rupe deficerent, triennali labore mediam secuit petram ac ducentorum octuaginta pedum altitudinis puteo locum fecit, quae latius in annalibus ad hoc tempus reperies exposita.

Caeterum ut plures superioribus annis principes, inter quos et Joannes de Petra, et Lotharius, huic munitioni magis, magisque firmandae admoverunt manus, ita hodiernus quoque post luculentam, sub Gallico praesidio illatam arci ab incendio cladem, quo praecipua domus conflagraverat, illustriori hoc damnum aedificio compensat, ac domum excitat principis habitationi (siquidem morari istuc lubeat) idoneam, alteramque huic e diametro prope objicit, aliis istic principibus excipiendis opportunam, ut inferiorem ad pedem ejusdem rupis arcem taceam, a Philippo decessore trium principum virorum hospitalitati accommodatum. Jam si illa, quae firmando castro, atque adversus hostes tuendo, molitus est, adjiciam, multa illa, atque diversa esse constabit. Deerat a Rheno, atque inferiori arce vehiculis, curribusque ad inferendum commeatum accessus.

Viam igitur quadrigarum etiam capacem ab illa ad supremam rupis planitiem usque per excisam ingenti labore atque opere petram obliquato tramite reperit, quam duabus turribus, portisque ac propugnaculis etiam pluribus septam munitamque, hostium violentiae vix penetrabilem reddidit: inclusa nunc arcis Helfensteinianae rupe et in praesidium firmandae munitionis versa. Quae olim D. Bernardi hospitio ac diversione celebris extitit, quando sterilitatem infoecundae loci dominae sustulit, prolis haud multo post beneficio gavisae. Religiose multo post tempore servatum illic nocturnum, quo vir sanctus usus fuerat, capitis tegmen, quod hodiedum in parthenonem inferioris, juxta in Rheno, insulae translatum, plurimis adversus capitis morbos remedium fuit. Inter rariora ejus castri opera et illud merito censemus, quod ex remoto ad spatium monte fons ductilibus per declive latus vallem profundam tubis rursum in hanc assurgat rupem, mediaque in propugnaculi area, larga aquarum profusione diversis canalibus prosiliat. His, aliisque praesidiis instructa arx, quam munitione firma, tam cultu ac habitatione denique amoena, laudem inter visenda Europae aedificiorum monumenta haud vulgarem denique promeretur.

2. Karlichium, Kärlich, vel ut aliqui Karley a Carolo de Ley, moderno principe dicunt, deinde secundum Rheni confinia descendentibus, altera infra Confluentes hora, oculis spectantium magnifica sese specie ingerit, nulla tamen majestate loci alia, quam quae ab electorali arce effulget (cum reliqua pagum referant). Hanc a suis fundamentis excitatam, aquisque circumfusam in media camporum planitie, ad jugi dorsum, jucundo late prospectu, constituit modernus archiepiscopus Carolus, aestivaeque commorationi, ad quam non raro divertit, idoneam reddidit. Quandoquidem et opportunam in silvis a tergo subjectis venationem foris, et domi exquisitas, horti recens instructi delicias praestat, sive fatigatum curis animum remittere, sive etiam sacris, politicisque commentationibus impendere allubescat. Nam et textiles hinc inde ex virgulis, frontibusque domus, et excurrentia sub iisdem umbris ambulacra et fontes

missilesque aquae, et cavernae artefactarum rupium, et spectacula heroum in priscis imaginibus proposita, et denique aestivae habitationis specula, per gradus, et alta viarum strata ascendentibus patens non unam ingerunt, laxandae per varia mentis, imaginem. Nec his immoror, sed ut cursim vidi, sic in commentarium refero.

3. Andernacum subinde descendentibus post alteram facile horam obvium est, Antenacum, quasi ante Nacum flumen ab aliis dictum. Antiquissima haec civitas jam in Antonini itinerario, et priscis Romanorum historiis nota, originem suam ultra horum annalium memoriam extollit. Juris haec demum facta Ubiorum, Trevirense in spiritualibus forum spectat. Jus patronatus in aedem parochialem jam olim ão 1212 cum annexis privilegiis, possessionibusque aere sibi vendicavit Joannes archiepiscopus, quod hodiedum obtinet. Superiori illud bello non leviter afflictum fuit, postquam a Baudisio, Suecorum duce, occupatum est.

4. Megina, seu Majonia, Mayen, ab Andernaco ad quintum lapidem in Eiffliam Trevericam iter flectentibus, juxta Nacum sese flumen ostendit, cujus arcem ão 1280 Henricus de Vinstinga, Trevirorum archiepiscopus, dioecesi quaqua versum muniendae intentus, excitasse legitur. Balduinus, eidem deditus curae, vallis, moenibusque inclusit, canonicorum huc etiam ducta colonia. Freherus celebrem Ripuariorum ducem, cujus sub Conrado Salico, imperatore, haud vulgaris potestas erat, istic olim commoratum sensit, et in sua Moguntiacorum historia, Serrarius Magniacum hunc locum a priscis dictum autumat; quae si vera, Henricum instauratorem magis collapsae arcis, quam auctorem fuisse oportuit.

5. Mons Regalis Francica voce dicitur contractius Montroyal, unde cum prima hujus loci origo antiquitatis immersa latebris haereat, non inepte quidam a Francis haec olim loca invadentibus, atque illorum istic commorante in hoc monte rege sic dictum interpretantur, quemadmodum et alia quaedam loca ab his appellationem hausisse videntur, ut Boppardia a *bon port*, et Hatzepordia ab *haste au port*, quod illic facilis

8 *

subeuntibus ex Rheno portus, hic difficilis ex Mosella, nisi festinetur per obstreperas aquas, intrantibus sit. Quae tamen afferre hic magis, quam affirmare visum est. Caeterum et hic locus, ut alibi videbimus, ecclesia nobili ornatur irriguoque Eltziae amne, per diversa haud procul fontium capita emergente, perfunditur.

6. Caesaris Eschium tertio a Monte Regali lapide, totidem prope a Mosella, qua Cochemium alluit, horis submotum. Nomen illud caesarii favoris sub Balduino traxisse archiepiscopo videtur, cujus potissimum impensis cinctum inclusumque muris ad pagi Eschii, quod inter Naci fluminis capita situm est, et a quibusdam Ecclesiae-Eschium dicitur, agnoscendum discrimen. Alia praeter haec Eschia ut ad rivum Salmae, haud procul a Mosella, ex opposito Veldentiae, pagus, et municipium in terra Luxenburgensi ad Alizontium amnem, quod olim incoluere ejus loci comites, ex quibus Godefridus comes de Esch, literis publicis subscripsisse a Bertelio traditur.

7. Monasterium Meinfeldiae inter rivum Eltziam et Mosellae flumen situm, eximii splendoris collegiali ecclesia ornatum est, de qua alibi nobis sermo erit; ab ea monastica quondam disciplina et titulo gaudente, nomen simul, decusque traxit. Arnoldus Trevirorum archiepiscopus hunc locum primo aedificiis excolere saeculo Christi XIII. coepit, quem deinde Henricus successor moenibus jam inchoatis a suo decessore inclusit. In amoena fertilique camporum planitie haec urbs panditur et frugum uberi proventu sustentatur.

8. Cochemium, quod decem facile horarum itinere Confluentia per Mosellam adversum distat, florens est mercimoniis ad hoc flumen oppidum, et praeruptae munitaeque in vicino monte arcis praesidio firmatur, quam Adolphus Caesar, cum imperii principum consensione, Trevirorum archiepiscopo Christi saeculo XIII. una cum urbe, aliisque locis subjectis, ut Clotena et Kempelio indulsit, non exiguo totius dioecesis emolumento.

Duarum hinc circiter horarum spatio, adversus flumen comeando, nobilissima sese offert arx Beilsteiniana. Haec amplitudine sua illustris prae se fert castelli, ut pars inferior

municipii speciem, quae dominio Winnenburg adjuncta, suique et absoluti juris Westphalico circulo inseritur, quam Metternichii sibi caesarea donatione vendicatam possident, quam nuper obtinuit Emmericus metropolitanae aedis Trevericae scholasticus, et caesareae quondam militiae adversus Suecos, Gallumque praefectus. Nunc ex eadem Lotharii principis Trevirensis familia diversi nepotes utrumque divisim dominium occuparunt.

9. Cellae: quatuor horarum itinere supra Cochemium, ad Mosellam hoc oppidum eminet, quod licet vulgaribus septum moenibus, Weimarienses tamen aetate proxima nequicquam aggressi sunt, generoso civium ardore defensum. Nomen suum jam olim a Romanis ob cellarum illic frequentiam, quae vina ejus loci praestantia recondunt, accepisse creditur.

Porro hinc diei facile itinere per fines Hunnicos ad Rhenum usque, superioremque Wesaliam, archidioecesis Trevericae ad hoc flumen jura terminantem in eodem archidiaconatu, transitur.

10. Wesalia ergo ad Rheni littus unius supra Confluentiam diei itinere visitur, Ficelia olim dicta, et juxta quosdam etiam Vesania; fuit libera quondam imperii civitas, sub Friderico II. a Schönenbergiis, quorum in vicinia arx est, translata, sed ab Henrico VII. Trevirensi archiepiscopo certo aere vendita, cum pecuniarum egens, Italicae se expeditioni accingeret. Perjucundo ad Rhenum situ urbs in littore, amplo satis spatio, extenditur, ecclesiasque illustres simul, diversasque suo ambitu complectitur. In his superiori urbis parte basilica spectabilis eminet, quae anno Christi 1307 aedificari coepta, quarto et vigesimo post a Balduino archiepiscopo Deiparae Virgini, ejusque matri Annae post Deum consecrata, in canonicorum sedem, parochiae sociatam, conversa est. Praeter hanc alia in colle editiore, pari olim dignitate, elegantiaque certans ecclesia D. Martini parochialis, alteram oppidi partem occupat, sed injuria temporum et incendio deformata, nunc honore impar; nec procul inde monasterium PP. minorum S. Francisci, praeterea S. Bernardi parthenonem ibidem, jam illius

olim S. viri aetate instructum referunt, cujus etiamnum perstat religio. At nihil hospitali illa ecclesia magis ob raritatem facinoris memorandum occurrit, in qua lignea ista columna visitur, ad quam Wernerus Wammeradensis adolescens, quem judaei ad Christi patientis imitationem tridui cruciatu confecerunt, ligatus haesit, de quo annales consule. Cum hac urbe, imperium Trevericum detrectante, gravis Wernero archiepiscopo lis, bellumque anno 1389 fuit, quod clade non vulgari terminatum est.

11. S. Goaris oppidum, S. Gewer, ad secundum infra Wesaliam lapidem, per Rheni littus descendentibus ad laevam, juxta excelsum montem offertur, aedificiis, cultuque non ignobile, magis laudandum, nisi a prisca D. Goaris, unde nominis originem ducit, religione decessisset. Nam ut annales nostri referunt, saeculo Christi VI. magna hic vitae sanctitate et hospitalitatis vivens laude S. Goar, natione Aquitanus, cum aõ 575 vitam hoc loco, non sine miraculorum gloria, clausisset, Rex Francorum Pipinus demum Assuero, Prumiensium abbati, locum excolendum commisit, qui vice sacelli, hospitalisque aediculi, illustriorem ecclesiam, collegio istic canonicorum adducto, excitavit, postquam reliquiae S. Goaris aõ 766 repertae, crebris supra naturam effectibus inclaruissent, magnamque affluentis quaqua populi traxissent frequentiam; unde et repente ab aliis excitari domus et denique in urbis speciem coepit efformari, pietateque ac religione omnium late gentium exornari sub abbatis Prumiae, tam sacra, quam profana jurisdictione constitutum, donec superiori aetate per Germaniam invalescens adversus Romanam sedem, catholicamque religionem seditio, huc sese etiam transfunderet, et qua vi, qua aere oblato, hanc una cum ecclesia urbem abstraheret, de quo alibi disertius. Illud hoc loco non praetereundum, nobilemque, firmamque a natura et opere, hoc tempore ab Ernesto principe arcem, egregiis propugnaculis, murisque mirifice roboratam, urbis subjectae praecipuum esse praesidium, Rheinfeltzia, tanquam rupes Rheni sita, alterius Catziae arcis oppositione Rhenum claudit.

12. Welmenachium, mille infra S. Goarem ad Rhenum passibus, moenibus clausum municipium est, una parochia instructum, cui vicina arx in monte imminet, ad dexteram Rheni ripam descendentibus collocata, et Poppardiensi satrapiae adjuncta. Capucinos ex familia D. Francisci haud ita pridem admisit.

13. Poppardia, olim Bodobriga seu Boudobriga, ad septimum a Confluentibus lapidem urbs dissita, quae perquam opportuno ad navalia commercia portu fruitur, adeoque voce Gallica a nonnullis bon port quondam creditur appellata. Caeterum auctor primus Drusus ille Romanae militiae imperator et Germanorum ad Rhenum praecipue terror, jam olim aliquot ante Christum natum annis imposuisse Rheno fertur, muniisse certe, ut per hoc flumen loca diversa, ita et hunc existimandus est. Imperialium haec quondam in urbium tabulis per Henricum Lutzelburgicum, imperatorem, Balduino fratri, cui multis tenebatur beneficiis obnoxius, repensa Trevericae dioecesi accessit. Verum libertatis pristinae propugnandae avidos cives Balduinus armis ad obsequium coegit, arce ad praesidium excitata, et telonio juxta ad alendum militem instituto. Sed dum remissius urbs custodita sub Joanne Badensi, ad degustatam quondam aspiraret libertatem, iteratis armis fracta, rebellandi audaciam amisit. An regum hic quisquam aut principum sedem fixerit, magis conjecturare licet, quam affirmare. Vetustae arcis reliquias, quas regiae domus appellant, juxta regalem, ut hodiedum nuncupant, rivum, superesse videmus, munitione, ac muris, ne hosti prodessent, tempestate bellica haud leviter convulsis. Habitasse illic Bavaros de Boppardia, stirpis Palatinae ferunt, quorum superest in urbe domus, sed penes Crichingenses comites arx manet. Ecclesiae urbis et monasteria aliquot, seu coenobia, locum hunc religioni priscae sacrum, addictumque demonstrant. Primaria urbis ecclesia parochialis S. Severo patrono addicta est. Carmelitarum quoque monasterium ibidem est antiquissimum, in quo praecipuae nobilitates viri sepulturae mandati sunt. Cui alterum accedit ex D. Francisci disciplina, patrum

de observantia. Extra urbem adversus montem enitentibus nobile benedictinae familiae coenobium sese offert, alibi quoque memorandum. Nec procul inde franciscanarum tertiae regulae, quod ad S. Martinum nuncupant, cui aliud ex opposita Rheni ripa, ejusdem ordinis D. Francisci monasterium, Camp dictum, respondet. Haec in oculis acatholicorum, per hanc fluminis regionem late invalescentium, prisca Romanae fidei monumenta etiamnum supersunt, quae cum minoribus quibusdam ecclesiis, ut est S. Walburgis, a sanctimonialibus quondam excultae, et sacello hospitalis D. Jacobi, ac benedictinorum in Erbach hunc in catalogum referre visum est.

14. Reensium, ad tertium supra Confluentiam, ad Rhenum, qua Mosellam spectat, lapidem, temporali tamen jure Coloniensi archiepiscopo debitum; quamvis hypothecae nomine acatholici, tum lutherani, tum reformati irrepserint, ecclesiam tamen praecipuam catholici sub Treverico pastore possident. Hic celebrata illa juxta Rhenum sedes, Königsstuhl, parvi speciem theatri prae se ferens, in qua electores collecti Wenceslaum imperatorem suis nudatum insignibus, titulisque, potestate caesarea spoliarunt; quae hactenus certorum impensis sub dio inter pomiferas arbores, ad memoriam posteritatis et exemplum castigatae in summo capite ignaviae, conservatur.

Et haec praecipua sunt, quae se offerunt per Cardonensem archidiaconatum loca, quae per illius ambitum expendisse sufficiat, aliis quibusdam non magni nominis atque ad oppidi speciem accedentibus, brevitatis gratia, praeteritis.

Decanatus sub eodem tres censentur. I. Cellensis, cujus archipresbyter sive decanus parochias sibi deditas numerat 57 (68 ão 1794: 1. Alff, 2. Alflen, 3. Bausendorf, 4. Beilstein, 5. Beltheim, 6. Bertrich, 7. Beulich, 8. Beuren, 9. Blankenrath, 10. Bombogen, 11. Brem, 12. Briedel, 13. Bruttig, 14. Buch, 15. Bulley, 16. Carden, 17. Castellaun, 18. Clotten, 19. Cochem, 20. Cond, 21. Cröff, 22. Dommershausen, 23. Driesch, 24. Ediger, 25. Ellenz, 26. Eller, 27. Enkirch, 28. Ernst, 29. Forst, 30. Gillenbeuren, 31. Gillenfeld, 32. Gipperath, 33. Greimerath, 34. Hontheim, 35. Kinderbeuren, 36. Landkern, 37. Lau-

feld, 38. Lütz, 39. Luzerath, 40. Macken, 41. Mannebach et Waldeck, 42. Merl, 43. Marienburg, 44. Mastershausen, 45. Mörsdorf, 46. Müden, 47. Neef, 48. Nieder-Scheidweiler, 49. Nieder-Üfflingen, 50. Nöhren, 51. Ober-Gondershausen, 52. Peterswald, 53. Pomern, 54. Pünderich, 55. Reulkirchen, 56. Sabershausen, 57. Senheim, 58. Sevenich, 59. Strimmich, 60. Strohn, 61. Strotzbusch, 62. Traben, 63. Trarbach, 64. Treys, 65. Uerzig, 66. Urschmitt, 67. Valwig, 68. Weiler, 69. Zell).

Alter Ochtendunkius, qui ampliori circuitu parochias facile colligit 80 (73 aõ 1794: 1. Alken, 2. Allenz, 3. Andernach, 4. Bassenheim, 5. Buchholz, 6. Burgbrohl, 7. Burgen, 8. Cärlich, 9. Cobern, 10. Cottenheim, 11. Cruft, 12. Diebelich, 13. Dünchenheim, 14. Eich, 15. Ettringen, 16. Gappenach, 17. Gönnersdorf, 18. Gondorf, 19. Güls, 20. Hambuch, 21. Hatzenport, 22. Hausen, 23. Kaifenheim, 24. Kaisersesch, 25. Kempenich, 26. Kerig, 27. Kesselheim, 28. Kell, 29. Kettig, 30. Kirchesch, 31. Langenfeld, 32. Lay, 33. Löff, 34. Lonnig, 35. Masburg, 36. Mayen, 37. Mertloch, 38. Metternich, 39. Miesenheim, 40. Monreal, 41. Moselkern, 42. Münster-Mayfeld, 43. Nachtsheim, 44. Nauenheim, 45. Nickenich, 46. Nieder-Lehmen, 47. Nieder-Lützingen, 48. Nieder-Mendig, 49. Ober-Fell, 50. Ober-Lehmen, 51. Ober-Lützingen, 52. Ober-Mendig, 53. Ochtendung, 54. Pillig, 55. Plaidt, 56. Polch, 57. Retterath, 58. Rieden, 59. Rübenach, 60. Saftig, 61. S. Johann, 62. S. Sebastian-Engers, 63. Thür, 64. Trims, 65. Urmütz, 66. Ursfeld, 67. Wanderath, 68. Wehr, 69. Weiler, 70. Weiss, 71. Welcherath, 72. Welling, 73. Zissen), quibus si ecclesias filiales, capellas, oratoria, ac monasteriorum templa accenseas, ad numerum 127 pertinges.

Denique III. Poppardiensis accedit, qui inter 30 fere parochiales vix mediam pro orthodoxis partem etiamnum tuetur, reliquis in praedam, usumque acatholicorum, vel aversis, vel profligatis. (Anno 1794 decanatus Boppardiensis numerabat 26, seu potius 24 parochias: 1. Bacharach, 2. Bickenbach, 3. Boppard, 4. Caub, 5. Damscheid, 6. Filsen, 7. Halsenbach, 8. Herschwiesen, 9. Hirzenach, 10. Kestert, 11. Nastetten, 12.

Niederberg, 13. Norath, 14. Ober-Wesel, 15. Ober- et Nieder-Spay, 16. Oster-Spay, 17. Perscheid, 18. Rheinbellen, 19. Rhens, 20. Salzig, 21. S. Goar, 22. Sauerthal, 23. Schönau, 24. Wellmich; 25. & 26. parochiae ad D. Virginem et ad S. Castorem Confluentiae, exemptae sunt a jurisdictione decani, seu potius nullius capituli.)

CAPUT V.

Archidiaconatus Longuionensis, S. Agathae.

Longuionensis archidiaconatus sat amplis sese per Luxemburgensem ditionem ad Leodiensium, Rhemensium, ac Lotharingorum terras effundit spatiis, Arduennaeque urbes ac possessiones Trevirorum pervetustas, nunc solo spirituali jure complectitur, latiusque religione, quam politia dominatur, quocirca praecipua hujus archidiaconatus loca commemorando magis decurremus, quam immorando pervestigabimus, hunc Bertelio, aliisque laborem relicturi.

Luxemburgum, olim Lutzelburgum, aut Lutzilinburgum (cujus alibi originem dedimus) hujus ducatus metropolis est, a Treviris unius diei itinere meridiem inter, occidentemque submota, Mosellam altero distantem lapide respicit; montem ita occupat, ut per ejusdem qua Treviros intuetur, latus etiam in declive sensim vergat, praecipua tamen sui parte altissimae insideat rupi, natura loci, nisi qua occidentem respicit, perque suum aditur montem, firmissima.

Incolarum Germanica indoles est, sed lingua simul Francica ob vicinorum Gallorum commercium, licet Hispanum imprimis ament dominium, illi in paucis hactenus fidelissimi. Sed hac multo laudatiores fide, quam in prisca orthodoxorum patrum religione praestant, ut nuper non alio se magis praesidio, quam Deiparae ante portas in sacello cultae (postquam claves

illi, custodiamque urbis solenni supplicatione populi detulissent) adversus Gallorum vim, cum miles in urbe deficeret, stetisse sint arbitrati. Verum antiquiora hic religionis sancte excultae monumenta visuntur in ecclesiis, monasteriisque, licet in non magna urbe frequentibus. Siquidem ecclesiae parochiales in superiore urbe geminae, altera D. Nicolao, altera Michaeli archangelo nuncupata, illustri specie surgunt. Illa opulentum urbis civem, Hecelonem dictum, ão 1120 authorem habuisse fertur. Altissima haec munita turri, ambulacro in tecti fastigio rari operis coronata, conspicitur, quo speculatores ad diurnas, nocturnasque excepti vigilias, vicinam regionem, totamque urbem oculis subjectam lustrant, nec urbi vel hostis, vel incendia minus observata ingruant, ad quae signo dato provocati cives, suis vel armis, vel instrumentis, adversus inimicos, aut ignes pugnaturi, erumpunt. Altera S. Michaelis ecclesia priorem antiquitate vincere creditur, ac fuisse olim sacellum Deiparae a comitibus Lutzelburgicis consecratum, quod in parochialem denique aedem transformatum sit. Praeter haec inferior urbs bipartita suis quoque templis instructa est. Nam Bassevillana, seu humile Luxemburgum dicta, quae Theonisvillam spectat, basilicam parochialem D. Udalrici episcopi, cum sacello apostolico D. Jacobi complectitur.

Paffenthalense vero suburbium, civitatis jure donatum, templum S. Matthaeo apostolo et evangelistae dicatum paroeciae loco continet. Quae vero trans Alizontem amnem pars restat, paroeciam cum aede D. Joanni Baptistae sacra, et annexo xenodochio possidet, jam hujus loco abbatiam D. Benedicti (ex monte vicino in hanc vallem, ut alibi meminimus translatam) accepit. His porro accedit collegium societatis Jesu patrum, qui ão 1594 Treviris a catholico rege huc evocati, studiorum gymnadem, ecclesiamque cum domicilio ad meridionalem urbis plagam auspicati sunt. Ante hos jam olim vicinum insedere locum minores ex franciscana familia patres, ampla juxta, amoenaque civitatis potiti in monte planitie, superstite etiamnum, ut ex epitaphiis vetustis conjicere est, autore ordinis D. Francisco, quibus tamen voluntate regia ão 1569

patres de observantia, ut vocant, successere. Aliud vero ejusdem ordinis virginum franciscanarum monasterium eadem urbe jungitur, uti et ex S. Dominici religione praedicatores, qui vicinum quondam Münsteriensis abbatiae montem incoluere, nunc ad urbem, sacellumque SS. Trinitatis magnifico quondam opere a Petro Ernesto Mansfeldiae comite, provinciae ejusdem gubernatore instructum, translati, communia bellorum incommoda sustinuerunt, quanquam Joannis Baronis Meisenburgici liberalitate haud mediocriter in urbe levati sint. Postremo religiosa ibidem domus Teutonicorum ordinis Borussici sub patrocinio S. Elisabethae recepta est, quae ab illius instituti sacerdote habitatur. — Politicum regimen sub totius provinciae gubernatore, aut comite, aut principe, et provinciali concilio, quod praeses jurisperitus cum senatu ex patriae nobilitate et jurisconsultis constituit, communi regionis bono administratur. Praeter hoc urbi suum tribunal judex, scabinique ac senatus consultum institutum est. Illi totius patriae, hi urbis solius causas cognoscunt, quanquam et tertium huic accedat subalternum tribunal rusticorum sub praeposito Lutzelburgicae nobilitatis viro, jus suum agricolis decernente. Porro quae juris ecclesiastici sunt, suprema post Romanam sedem authoritate a Trevirorum archiepiscopo definiuntur.

Arlunum, quod ab ara lunae sub gentilibus jam olim dictum Bertelius sentit, septem horarum intervallo a Luxemburgo in occidentem submotum est, monti quoque impositum, cujus excelsior apex, perinde ut Luxemburgicae rupis munitissimum olim castrum capiebat, quod utrobique locorum intercidit. Multa hic Romanae antiquitatis vestigia, cujus monumenta pleraque hortus infra Lutzemburgum Mansfeldicus, nunc ipsa pene confusa ruderum congeries, brevi interituro honore sustulit. Aventini Jucundi, Modesti, ac denique Secundi, alibi in Eigeliana a nobis pyramide memorati, hic priscis lapidum fragmentis incisi, proxima adhuc aetate legebantur.

Ecclesia hujus loci parochialis digna urbe, nisi extra hanc, majorum incuria collocata fuisset, minus frequentari coepit, postquam alia intra muros virginum Deo ad aegrorum servitium

devotarum ecclesia in paroeciae usum versa, aditur, quam sub divorum Marci et Martini patrocinio parocho addixerunt. Caeterum non ignobile carmelitae monasterium in capite montis possident, ubi castrum quondam et D. Blasio sacrata aedes constitit, quam primitus inter gentes lunae deae sacram fuisse Bertelius ariolatur. Georgius ab Eischen, ex Arlunensi cive nobilis serenissimi ducis Francisci Lotharingiae, decani Coloniensis et Virdunensis episcopi, favorem aulamque secutus, ac per illum metropolitanae apud Ubios aedis presbyter, patriae ad pietatem excolendae, et Deiparae honorandae gratia, sacellum hic quoddam annis superioribus ipsi et sodalitati rosarii dicatum excitavit, cui praefectus sacerdos est, ut quotidianis illic sacris operetur. Prodiit et natali hoc solo Bartholomaeus Latomus, cujus apud Treviros perspecta, et multis nominibus explorata eruditio ac virtus, nostris in annalibus non praeteritur. Quae de Clarifontano sanctimonialium monasterio, haud procul urbe sito, suppetunt, illic ubi de cistertiensium parthenonibus sermo erit, suppeditabimus.

Ivodium deinde, si versus Mosam ad occidentem diei facile unius te efferas itinere, sese offeret, oppidum, quod superioris anni bello haud leviter a Gallis afflictum; unde si austrum inter orientem reflectas ad Mosellam iter, Montismedium, egregia munimenti specie, Gallicis tamen armis expugnatum occurret ad quintum circiter lapidem, parique fere ab hoc spatio Martisvilla, Marvillam indigenae nuncupant, ac demum, si Mosam te versus inflectas, Dampvillerium vix impari intervallo deprehendes, Theodonisvilla, firmissimo munimento, nunc a Gallis insesso, ad dextram juxta Mosellam relicta. Oppida, unius fere parochialis ecclesiae cura ac religione contenta. Nec procul inde Longivicus, a quo archidiaconatus hic Longuionensis nomen ducit. Ex quo si Luxemburgum, ac subinde Trevirim recurras, Comitis Macram, quatuor ab illa horis, Sirae amnis inter et Mosellae confluentes reperies, atque hoc ambitu pleraque hujus archidiaconiae loca comprehendes. Decanatus in hac sede numerantur septem:

I. Lutzelburgicus, qui parochias facile censet 50 (43 ão 1794, n.: a) in ducatu Luxemburgico: 1. Bartringen, 2. Beles, 3. Bettenburg, 4. Bettingen & Reckingen, 5. Dutlingen, 6. Ellringen, 7. Esch, 8. Fenningen, 9. Hollerich, 10. Itzig, 11. Kayl, 12. Leudlingen, 13. Limpach, apud Recking, 14. Luxemburgum, ad SS. Nicolaum & Theresiam, 15. Luxemburgum, ad S. Michaelem, 16. Luxemburgum, ad S. Joannem supra Lapidem, in suburbio, 17. Luxemburgum, ad S. Udalricum, in suburbio, 18. Mammern, 19. Monderich, 20. Nörzingen, 21. Oberkorn, 22. Roeser, 23. Schiflingen, 24. Wentingen, 25. Weimerskirchen, 26. Zolver; b) in definitione Lotharingica ducatus Luxemburgici: 27. Aumetz, 28. Audun-le-Roman, 29. Beuvillé, 30. Boulange, 31. Crune, 32. Errouville, 33. Havange, 34. Hussigny, 35. Ortange, 36. Redange, 37. Russange, 38. Sancy, 39. Seronville, 40. Thiercelet, 41. Thil, 42. Tressange, 43. Villerue).

II. Longuionensis, qui complectitur 46 parochias (42 ão 1794: 1. Allondrelle, 2. Arrancy, 3. Bleid, 4. Chesnais, 5. Epiez, 6. Etalle, 7. Ethe, 8. Flabeville, 9. Fresnois-la-Montagne, 10. Grand-Failly, 11. la Grandville, 12. Han-devant-Marville, 13. Han-devant-Pierrepont, 14. Longuion, 15. Marville, 16. Meix-devant-Virton, 17. Montigny, 18. Mont-Quintin, 19. Mussi, 20. Petit-Failly, 21. Robelmont, 22. Rouvroy-sur-Othin, 23. Rouvroy-sur-Ton, 24. Ruette, 25. S. Laurent, 26. S. Léger, 27. S. Marie, 28. S. Mard, 29. S. Pancré, 30. S. Pierre-Villers, 31. Signeul, 32. Sorbey, 33. la Tour, 34. Vezin, sive Charancy, 35. Ville-Haudlemond, 36. Villers-la-Loup, 37. Villers-le-rond, 38. Villers-sur-Semois, 39. Villette, 40. Virton, 41. Vieux-Virton, 42. Vivier).

III. Ivodiensis, qui numerat 40 parochias (37 ão 1794: 1. Auflance, 2. Beaufort, 3. Bertry, 4. Blagny, 5. Chassepierre, 6. Charbeau, 7. Chiny, 8. Cugnon, 9. Deux-Villes, 10. Eblie, 11. Feuilli, 12. Florentville, 13. Jamogne, 14. Ivoy-Carignan, 15. Izelle, 16. Limes, 17. Linay, 18. Longlier & Neuchâteau, 19. Leglise, 20. Matton, 21. Mogue, 22. Mouzey, 23. Muno, 24. Nepuant, 25. Olisy, 26. Orgeo, 27. Puilly, 28. Pure,

29. S. Cécile, 30. Stenay, 31. Straymont, 32. Teteigne, 33. Tintigny, 34. Vaux, 35. Wée, 36. Willers, 37. Willy).

IV. Baseillensis 30 (30 ão 1794: 1. Anderny, 2. Anoux, 3. Baslieux, 4. Ban-de-Bazaille, 5. Beuville, 6. Bonvilles, 7. Chéniers, 8. Circourt, 9. Cosne, 10. Cutry, 11. Doncourt, 12. Fermont, 13. Filliers, 14. Haucourt, 15. Higny, 16. Joppecourt, 17. Landres & Mont, 18. Leix, 19. Lexie, 20. Mairy, 21. Malavillers, 22. Merci-le-bas, 23. Merci-le-haut, 24. Morfontaine, 25. Pierrepont, 26. Preuthin, 27. Rehon, 28. Ugny, 29. Villers-la-chèvre, 30. Ivry-le-franc).

V. Juvigniensis 36 (30 ão 1794: 1. Aviot, 2. Bazeille, 3. Bievre, 4. Breux, 5. Brouenne, 6. Chauvancy-le-château, 7. Chauvancy-S. Hubert, 8. Flassigny, 9. Grand-Verneuil, 10. Herbeuval, 11. Jametz, 12. Jerouville, 13. Juvigny, 14. Laferté, 15. Lauppy, 16. Margut, 17. Mergny, 18. Montmédy, 19. Othe, 20. Petit-Verneuil, 21. Quincy, 22. Remoiville, 23. Signy-Montlibert, 24. Sommethonne, 25. Thonne-la-long, 26. Thonne-le-til, 27. Thonne-le-prez, 28. Thonnelle, 29. Torgni, 30. Willerscloye. Paroecia Sapogne anita erat paroeciae in Herbeuval).

VI. Arlunensis 40 (31 ão 1794: 1. Aix-sur-Cloye [ad Gratim], 2. Arlon, 3. Aubange, 4. Aulier, 5. Châtillon, 6. Dahlem, 7. Diedenburg, 8. Freilingen, 9. Garnich, 10. Gerling, 11. Halancy, 12. Heinstert, 13. Herserange, 14. Herwerding, 15. Herzig, 16. Hondlingen, 17. Helcherot, 18. Koerig, 19. Kunzig, 20. Longwy, 21. Messancy, 22. Meix-le-tige, 23. Mussou, 24. Nieder-Kerschen, 25. Ober-Kerschen, 26. Rachecour, 27. Seling, 28. Sterpigni, 29. Vance, 30. Villers-la-montagne, 31. Wolkringen).

VII. ac postremus Merschensis, vel Mericenus 75 (69 ão 1794: 1. Aresdorf, 2. Attert, 3. Beckerich, 4. Beidweiler, 5. Beizdorf, 6. Beford, 7. Berburg, 8. Bettendorf, 9. Bens, 10. Biver, 11. Bliessen, 12. Bondorf, 13. Brandenburg, 14. Burscheid, 15. Colbach, 16. Consdorf, 17. Constumb, 18. Cruchten, Aliguntiae, 19. Cruchten, Viandae, 20. Diekrich, 21. Eissenbach, 22. Ell, 23. Elwingen, 24. Eppeldorf, 25. Eschdorf, 26. Ettelbrück, 27. Falkenstein, 28. Feulen, 29. Flaxweiler, 30.

Fouren, 31. Geichlingen, 32. Greisch, 33. Helfingen, 34. Helberg, 35. Heiderscheid, 36. Hemsdahl, 37. Holz, 38. Körperich, 39. Linster, 40. Lorenzweiler, 41. Manternach, 42. Medernach, 43. Mersch, 44. Mompach, 45. Nomern, 46. Oberpallen, 47. Osperen, 48. Rambruch, 49. Reding, 50. Reisdorf, 51. Rinsbleiden, 52. Rodenhorn, 53. Roth, Syrae, 54. Roth, Viandae, 55. Saul, 56. Schörberg, 57. Siebenborn, 58. Stegen, 59. Stemsel, 60. Tintingen, 61. Useldingen, 62. Vianden, 63. Viechten, 64. Wahl, 65. Waldbillig, 66. Wallendorf, 67. Wasserbillig, 68. Wolfflingen, 69. Wolschete).

CAPUT VI.

Archidiaconatus S^{ti} Mauritii.

Archidiaconatus S. Mauritii de Tholeia, inter Mosellam et Saravam amnem, ultraque hunc versus orientem extenditur, ac effunditur, Lotharingiae ac Palatinatus versus austrum, Lutzelburgorum versus meridiem fines tangit, tenuiori urbium atque ecclesiarum, quam plerique caeterorum, possessione.

Contzium hic se imprimis, aut, ut alii dicunt, Contziacum, altero ab urbe lapide offert, pagus quidem et murorum praesidio destitutum, sed nobili, quo Saravus, Sara, haud procul a Mosella influente sternitur, ponte visendum, et dignum olim viris principibus palatium, adhuc in vetustis quibusdam parietibus, ruderibusque ostentans, de quibus alibi expensis, hic volens supersedeo. Parochialis ibidem ecclesia fronte templi, quam ad occidentem explicat, vetustae etiamnum porticus vestigia suis in muris complectitur, Romanae non minus constanter fidei, quam structurae tenax.

Saraeburgum, Latia voce Sarae Castrum nuncupatum. Urbs haec a Treviri quinque horarum ad Saram, vel Saravum flumen divulsa versus austrum itinere, partim in monte, partim

ad amnem sita, magnifica specie panditur, Trevirensium quorundam episcoporum sedes. Castrum illic in monte amplum, atque illustre, a naturaque loci munitissimum quondam eminebat. Hunc postquam Brandeburgicus vastator superiori saeculo flammas intulit, reliquiis quibusdam murorum, ruderibusque tantum adustis spectandum. Hoc Curbelim ante dictum, sub Poppone archiepiscopo, praepositus S. Paulini, Adelbero, D. Cunegundis imperatricis frater, suis innovatum sumptibus, Popponi denique saeculo XI. rebellionis pertaesus, submisit. Henricus de Vinstinga archiepiscopus saeculo XIII. collapsum instauravit, ac postremo Boemundus, proximus ejusdem successor, privilegiis immunitatum regalium, a Rudolpho imperatore obtentis, exornavit, atque extulit.

Parochialis ante urbem ecclesia, S. Lamberti, majorum pietate excitata fuit, cui altera, S. Laurentii, filialis in urbe subrogata, frequentiori ob commoditatem populo aditur. Religiosae observantium D. Francisci familiae trans flumen in Beurig locus est, cum aede D. Virginis miraculorum gloria ibidem celebratae, de qua inferius narratio nobis est repetenda. Memorabilis hoc loco amnis Leucae in Mosellae confinibus supra exorti, perque alta montium decurrentis ex vicina rupe lapsus, late collisarum aquarum strepitu insonat, transversoque per urbem meatu Sarae infunditur. Ab hoc loco horae unius intervallo Romanorum olim castra in praecipiti quaqua versum monte ad Saram fuere collocata, unde proximo pago Castel a castris nomen haeret.

Freudenberga duabus facile supra Saraeburgum horis, non procul Leuca amne, eminet, comitatus illius caput, qui D. Maximini apud Treviros coenobitis proprio jure addictus est; muris cinctum oppidum, et parochiali ecclesia donatum. A qua Tabena, ad Sarae fluenta, ubi in monte templum, cujus olim prospectum, Saraburgo venientibus, medius adimebat clivus, quem patente nunc aede sacra subsidisse incolae sentiunt; insigni pietate et observantia S. Quiriaci corpus et asservatur, et non absque sanitatum gratia pluribus impertita, colitur. Praecipue vero capitis doloribus conflictato, ferrea, post votum

supplicationis conceptum, verticem corona induunt, quam morbo profligato in testimonium gratitudinis ad sepulchrum Divo suspendunt, unde annulorum seu coronarum ejusmodi frequens istic numerus sanitatis receptae argumentum est.

Sirckium inde, sive Siricium, aut Sircium, si ad Leucae fontes usque, per tres horas ad Mosellam enitaris, huic flumini imponitur. Quondam Trevericae ditionis fuit, cui olim anno Christi 951 cum Orsivelsio a Ludovico, Lotharingorum rege, attributum est, sed rursus avulsum Lotharingiae duci, ac postrema hac aetate Gallis cessit. Nec sua illud arce in excelso jugo, cui oppidum vicinum subjacet, destituitur, more priscis saeculis usitato; cum altissimae quaeque rupes in arcium et defensionis praesidium delectae sunt. Urbs ipsa parochiali ad religionis cultum templo instructa est. Familia D. Francisci, quae ab observantia nomen usurpat, in monte, haud procul ab arce, sedem delegit.

Walderfinga hinc ad Sarae amnem, supra Brimsii influentis ostia, sex horarum itinere aditur, Lotharingici et illa in temporalibus juris, orthodoxa religione sub Trevirorum archiepiscopo excolitur. Suo in urbe paroecia templo gaudet, alteroque augustiniani instituti patres cum monasterio. Ac demum tertio capucini ante urbem sub D. Francisci regula collecti, Deo serviunt.

Plura in hoc districtu celebratae olim famae, frequentiaeque sunt monasteria, nunc vel bellorum, vel acatholicorum injuria haud leviter afflicta, ut Wadagoziae, virorum praemonstratensium, nec procul ad Saram inde nobilium in Fraulauteren virginum SS. Trinitatis cultum, nomenque professae, ac si deinde in septentrionem te ad Toley amnis fontem, per sex facile horarum iter inflectas, ejusdem sese nominis abbatia D. Benedicti disciplina secuta, occurret. De quibus alibi uberior nobis sermo est futurus.

Porro Berrisio non magnae existimationis oppido supra Walderfingam sub arcis et parochiae unius praesidio relicto, alio ad Bliessiae amnis fontes, duabus, tribusve a Tholeia horis, me transferam.

Sant-Wandalinum oppidum, quod a celebri ejus nominis regio Scotorum juvene, sanctitatis istic laude florentissimo titulum mutuatur, ad Bliessiae amnis fontes, non procul Tholeia situm, magnis olim ad tumulum viri sancti miraculis inclarescere, augmentarique cum amplissima et ex quadro lapide ad illustrem plane speciem exsurgente ecclesia coepit; utque suum non minus loco robur ad defensionem, quam ad formam decus esset, castrum non perfunctorii operis, munitionisque impositum est. Fuitque haec urbs quondam Saraepontanis addicta comitibus, donec ex iis Joannes, pecuniarum egens, Balduino Trevirorum archiepiscopo, anno salutis 1327 certo aere transcripsit, unde hactenus temporali non minus jurisdictione, quam spirituali, iisdem subjicitur. Verum lapsu temporis inclinatis rebus a Francisco Sickingen lutheranae religionis facibus inflammato, cum Richardo archiepiscopo inferret arma, urbs oppugnata, atque in ejus potestatem redacta, haud leve damnum anno salutis 1521 accepit; instaurata tamen, superiorum annorum vim bello Gallo-Suecico fortiter sustinuit, Weimariensibus ab oppugnatione rejectis. Caeterum religionis illic cultissimae egregium in templo multis ad sacrificium divinum altaribus instructo decus olim effulsit, quod seu vetustate, seu vicinorum heterodoxorum cacoëthe obscuratum, spe vel certe desiderio multorum propediem est revocandum.

Observandum, quod in S. Wandalini confessoris veteri legenda (ut vocant) habetur: confluentes ad ipsius coemiterium tanquam in asylo tutos esse, etiam caedis auctores, aliorumque reos scelerum, et persecutores eorum mitigari. Si vero contra reverentiam irrumpant, vi occulta reprimi, aut membrorum officio destitui; feras in propinquo fruges non violare. An etiamnum violatus haeresi locus haec beneficia praestet, a praesentibus cognoscendum est.

Decanatus sub hac archidiaconia colligimus, non tamen magno ecclesiarum censu, quatuor. Ex his Perlensis numerat parochias 46 (48 ão 1794: 1. Bedesdorf, 2. Besch, 3. Büdingen, 4. Fremmersberg, 5. Freudenberg et Weiden, 6. Gerolfangen, 7. Gross-Himmersdorf, 8. Hachenberg, 9. Halstrof, 10. Hil-

bringen, 11. Inna, 12. Itzbach, 13. Kärlingen, 14. Kerperich et Himmersdorf, 15. Kirchhoven, 16. Kirchnaumen, 17. Kirf, 18. Kirsch, 19. Laumersfeld, 20. Launsdorf, 21. Lisdorf, 22. Mallingen, 23. Mandern, 24. Mondern, 25. Mondorf, 26. Nennig, 27. Neunkirchen, 28. Nied-Alsdorf, 29. Oberkirch, 30. Oberkonz, 31. Oberleuken, 32. Oudern, 33. Perl, 34. Porz, 35. Reimlingen, 36. Rettel, 37. Röhling-Littorf, 38. Saarburg, 39. Saarlouis, 40. Schwerdorf, 41. Sirk, 42. Synz, 43. Taben, 44. Tavern, 45. Tettingen, 46. Tünsdorf, 47. Weiler, 48. Winchringen), alter, Remigensis, 28 (25 ão 1794: 1. Alfingen, 2. Beuren, 3. Conteren, 4. Dahlem, 5. Donven, 6. Frisingen, 7. Ganderen, 8. Grevenmacheren, 9. Lenningen, 10. Machtum, 11. Mondorf, 12. Mutfort, 13. Nittel, 14. Oettringen, 15. Püttlingen, 16. Remig, 17. Remischen, 18. Sandweiler, 19. Schittringen, 20. Simmingen, 21. Temmels, 22. Waldbredimus, 23. Weiler zum Thurn, 24. Wormelding, 25. Wasserlirsch), tertius, Marcetanus, 55 (ão 1794 autem 45: 1. Beckingen, 2. Bettingen, 3. Britten, 4. Brottdorf, 5. Bützen, 6. Cerf, 7. Cöllerthal, 8. Contz, 9. Dillingen, 10. Düppenweiler, 11. Eppelborn, 12. Eyweiler, 13. Franzenheim, 14. S. Gangolph, 15. Hamm, 16. Hausstadt, 17. Hentern, 18. Hiddersdorf, 19. Hilzweiler, 20. S. Joannis in Mettloch, 21. Komlingen, 22. Krettenach, 23. Lampaden, 24. Lebach, 25. Limbach, 26. Lossheim, 27. Merzig, 28. Nalbach, cum valle adjacente, 29. Nunkirchen, 30. Oberemmel, 31. Pachten, 32. Pellingen, 33. Püttlingen, 34. Reinsbach, 35. Reisweiler, 36. Rode, 37. Saarbous', 38. Schwalbach, 39. Schwarzenholz, 40. Serrig, 41. Völklingen, 42. Wahlen, 43. Wellingen, 44. Wiltingen, 45. Wisbach), demum Vadrielensis 18 (36 ão 1794: 1. Beuren, 2. Birkenfeld, 3. Bliessen, 4. Bleuderding et Hobstätten, 5. Cästel, 6. Confeld, 7. Exweiler, 8. Farsweiler, 9. Freisen, 10. Genersfeld, 11. Hassborn, 12. Hermeskeil, 13. Hinzert, 14. Lockweiler, 15. Marpingen, 16. Metternich, 17. Morscheid, 18. Neunkirchen, 19. Nonweiler, 20. Oberstein, 21. Osburg, 22. Raschet, 23. Rheinsfeld, 24. Scheuren, 25. Schillingen, 26. Schondorf, 27. Thelay, 28. Tholey, 29. Thom,

30. Wadern, 31. Wadrill, 32. Waldrach, 33. Weisskirchen, 34. S. Wendel, 35. Wolfersweiler, 36. Züsch).

Sed pleraeque illorum paroeciae, ut in Lotharingorum, Gallorumque finitimis regionibus, ita bellis frequentibus exhaustae, vel certe attenuatae, multum ex pristinae religionis splendore, templorum ornatu, supplicationum frequentia, et quae his pene annexa sunt, miraculorum hisce olim locis celebratorum honore, amiserunt.

CAPUT VII.

CONCLUSIO.

De fine, fructuque hujus divisionis.

Neque finis, consiliumque hujus nobis partitionis omittendus videtur, ut posteri hac in re majorum nostrorum curam, observantiamque non minus imitentur, quam intelligant. Neque enim dignitatis hoc purum archidiaconale nomen, sed etiam officii est, qua severa admodum lege tenentur, quotquot hoc munus administrant, cum multarum spiritualis ex illa salus animarum suspensa libretur. Quarum curam profiteri hoc nomine, et non prosequi, ingentis profecto discriminis, et districti judicii res est, quando suo has sanguine redemptas animas de manibus supremorum curatorum Christus judex exacturus est. Quod proinde horum archidiaconorum simul et diaconorum munus sit, ex pervetusto rescripto, et confessione eorundem propria, haud dubia fide promemus. Anno salutis 1320 archidiaconus ecclesiae Trevirensis, Henricus de Paffindorff sui, ut par erat, rationem officii habiturus, celebrem id aetatis, doctrina ac religione Poppardiensem clerum consultum ibat, quaesitumque, ad quid archidiaconus suo ex munere teneretur. A quo hoc, quod subjicio, responsum tulit, non extem-

poraneum, sed matura deliberatione, et communi ex consultatione depromptum.

»Nos christianus christianitatis, caeterique fratres capi»tuli Poppardiensis requisiti, rogatique ex parte honorabilis »viri Domini Henrici de Paffindorff, archidiaconi in ecclesia »Trevirensi, quid juris seu consuetudinis in synodis singularum »parochiarum, et nominatim in synodo capituli per ipsum »archidiaconum celebrari solita, sit hactenus servatum, sano »diligenti deliberatione adhibita, uno omnes consensu jurati, eo »de jure ita respondemus, ut id accepimus a majoribus, ut»que id grandes natu synodales ab omni retro memoria ser»vatum attestantur: archidiaconi munus esse et ejus ante»cessorum fuisse anno quoque bissextili, sive quarto synodum »sanctam in singulis ecclesiis parochialibus celebrare, excessus »in ea cognita, delatosque corrigere, et procurationes recipere, »nullamque ecclesiam ipsius decanatus Poppardiensis ab hoc »jure vel consuetudine eximi. Idque proprium hic, quod archi»diaconus pro tempore existens ipsemet in ecclesia Poppar»diensi et non per interpositam personam dicto anno bissextili »synodum frequentare soleat et procurationes recipere, et ex»cessus corrigere, nisi peculiari indulto a scabinis synodalibus »seu oppidanis Poppardiensibus ejus rei gratiam impetrasset, »quod et nos contigisse quandoque vidimus, ut et synodum per »archidiaconi procuratores habitam. Huic etiam sententiae ad»jectum est, omnes et singulas hujus decanatus ecclesias eodem »jure teneri, nisi se aliquo privilegio exemptas esse queant »ostendere, vel docere. In quorum testimonium et evidentiam »pleniorem nos decanus supradictus Joannes decanus S. Mariae »Wesaliensis, et Henricus decanus S. Martini ibidem atque »magister Henricus rector ecclesiae Baccharacensis tam nostro »quam dicti capituli fratrum nomine sigilla nostra prae»sentibus duximus apponenda. Actum in generali capitulo »Poppardiensi anno Domini MCCCXX. feria V. proxima ante »festum B. Matthaei Apostoli.«

Ex hac sententia reliquorum quoque archidiaconatuum consuetudinem, usumque, cum constituendarum synodorum,

tum audiendorum, corrigendorumque defectuum haud difficulter metieris, tempusque cujuslibet bissextilis anni huic visitationi definitum intelliges. Quod coronidis loco commentariis hisce nostris inserendum existimavi, ne hujus ignorantia legis posteritati oblivione multis exitiali obreperet. Cui si saluberrimam praeceptorum decadem ante saeculum a Jacobo archiepiscopo decanis, pastoribusque, et clero inferioris ordinis datam, adjecero, fidelis historici, suggestorisque munere hoc loco functus mihi videbor.

Status archidioecesis Trevirensis, a. C. 1794.

ARCHIDIACONATUS.	DECANATUS.	PAROECLÆ	
S. Lubentii	Dietkirchen	27	
	Cunostein-Engers .	50	77
S. Castoris	Zell	68	
	Ochtendung	73	
	Boppard	26	167
S. Agathae	Longuion	42	
	Luxemburgum . . .	43	
	Ivoy-Carignan . . .	37	
	Bazeille	30	
	Juvigny	30	
	Arlon.	31	
	Mersch	69	282
S. Petri	S. Petri	22	
	Bidburg	51	
	Kilburg	27	
	Piesport	45	145
S. Mauritii	Perl	48	
	Remig	25	
	Merzig	45	
	Wadril	36	154
		825	

CAPUT VIII.

Statuta archiepiscopalia pro decanis, pastoribusque, et caeteris ecclesiarum administris.

»Jacobus Dei gratia S. Trevirensis ecclesiae archiepisco»pus, S. Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense »archicancellarius ac princeps elector, decano, pastoribus, rec»toribus, vicariis, sacellanis capituli christianitatis in civitate »nostra Trevirensi.

»Etsi de vestra fide et diligentia non dubitamus, quin ea, »quae a commissariis nostris in visitatione generali anno su»periori vobis nostro nomine mandata sunt, libenter, atque »integre observetis, et quantum in vobis est, observari curetis; »tamen ut intelligant omnes, quam nobis curae sit et cordi »plena executio earum rerum, sine quibus pastores suum mu»nus recte administrare nequeunt, utque constet hierarchia »illa membrorum inter se, et cum capite ordinata et mystica »conjunctio, quae spiritu Dei coagmentatur et vivificatur, neve »ecclesiae unius capituli divulsae suo potius arbitrio vagae »ferantur, quam communi totius corporis sensu atque consilio »regantur, et defendantur, haec infra scripta capita observari »posthac serio a vobis volumus.

1. »Primo ecclesias omnes parochiales, quae decanatus »vestri finibus continentur (quocunque nomine sive jure censean»tur, quomodocunque annexae, sive incorporatae, et per quem»cunque gubernentur, sive per proprium pastorem, sive vica»rium, et hunc sive perpetuum, sive amovibilem) cum recto»ribus suis, decano ac capitulo volumus esse subjectas, nec »ulla hic exceptio, aut exemptio valeat. Ut autem certius »ecclesiarum hujusmodi atque rectorum vocatio, missioque »cognoscatur (quomodo enim, ut ait apostolus, praedicabunt, »nisi mittantur), volumus atque decernimus tenore praesentium, »neminem ad gubernationem ullius in decanatu vestro eccle-

»siae aut ad docendum, aut ecclesiasticum quodcunque sacra»mentum administrandum admitti, nec pro pastore, vicario, »rectore, aut sacramentorum dispensatore a synodalibus, custo»dibus, ac populo, ad quem mittitur, agnosci ac recipi debere, »qui non primum pro tempore decano ostenderit, atque ex»hibuerit praeter literas institutionis, sive commissionis ad »quemcunque ea pertinent, nostrum quoque diploma, sive »literas commissionis, approbationisque nostrae, in quibus inter »caetera commendationis nostrae documenta, professionis quo»que fidei mentio expressa fiat; atque simul pro tempore »decano praestito primum consueto fidelitatis et obedientiae »juramento jus decanale atque capitulare persolverit, quod »posthac declaramus duorum florenorum aureorum, ex quibus »dimidiatus florenus aureus capitulo, reliquum decano cedere »tenore praesentium decernimus, non obstantibus privilegiis, »exemptionibus, et consuetudinibus quibuscunque.

2. »Idem quoque servari volumus in iis, si quos ab una »ecclesia ad aliam contigerit forte transferri, nec non in reli»giosis, aliisque quibuscunque ecclesias, quomodocunque incor»poratas, regentibus, quos nisi praeter literas commissionis »ordinarias et consuetas, nostrae approbationis testimonium »exhibuerint, et reliqua, quae supra memorata sunt, praesti»terint, nolumus a decano, capitulo, synodalibus, custodibus, »populoque, pro legitimis rectoribus recipi atque admitti.

3. »Hos omnes ita, ut dictum est, missos, institutos et »approbatos, volumus per decanum bis singulis annis, tem»poribus idoneis, et ad hoc praefinitis, vel a vobis praefinien»dis, convocari ad congregationem capitularen, a qua nemo »omnium abesse debebit, sub poena quatuor florenorum aureo»rum, quorum unus nobis, secundus archidiacono, tertius pro »tempore decano, quartus capitulo cedat, nisi absentiae ejus»modi allegentur causae, quae definitoribus et quatuor aliis »concapitularibus, per decanum et definitores nominandis, ratio»nabiles probentur.

4. »In congregatione autem capitulari praedicta, post »sacrum de Spiritu sancto, decano vel alio ejus nomine

»et praescripto celebrante, et duobus ex pastoribus diaconi et »subdiaconi vice fungentibus, decantatum primum, exhortatione, »tempori, loco et personis accomodata, per decanum, sive alium »a decano nominandum ex dignioribus pastoribus habita, mox »inquisitionem diligentem fieri volumus, tum de moribus et »vita pastorum, ac rectorum, tum de officio cujusque pastorali »in administratione ecclesiarum, et sacramentorum, et breviter »nunc quidem juxta capita ejus instructionis, quae decanis et »pastoribus a visitatoribus est relicta (quam instructionem »volumus singulos ad omnes congregationes adferre et pro »tempore decanis exhiberi atque diligentissime per singulos »articulos examinari), deinde vero juxta statuta capitularia, ubi »illa a nobis fuerint perfecta, ac confirmata.

5. »Si quis pastor, sive rector, etiam in ecclesia sua »residens, sive propter populi multitudinem, sive propter quam»cunque aliam causam, assumere velit vicarium, sive sacellanum »adminicularium, eum non prius aut concionari, aut alia pastoralia »munera volumus exercere, quam habeat a nobis approbationis »ac sufficientiae testimonium, quod et pro tempore decanis, ac »deinde in prima capitulari congregatione exhibere teneatur.

6. »In hac quoque congregatione id volumus diligenter »ac severe servari, ut pastores atque rectores omnes fideliter »exponant, ac referant, num inter suos habeant criminosos, »scandalosos, et praecipue haereticos. Nam sicubi tales sint, »eos decanus primo quoque tempore ad nos inter alia congre»gationis acta referendos curet. Interim vero, si quid eis »humanitus acciderit, ut, si mori eos forte contigerit, praeci»pimus tibi decano, atque omnibus pastoribus tui capituli, sub »gravi indignatione nostra, ne quem eorum, quos constiterit »in haeresi ex hac vita decessisse, ad ecclesiasticam sepul»turam aut ecclesiastica suffragia, exequias, vel oblationes »admittere praesumatis. Non enim, qui vivus contempsit »fidelium communionem, mortuus cum eis communem sepul»turam meretur.

7. »Ut autem etiam venienti morbo occurramus, et fu»turum antidotum contra haeresim, qua nulla est pestis per-

»niciosior, comparemus, cum non minus lectio librorum, quam »auscultatio verborum sanitatem fidei inficiat, et corrumpat, »nolumus ullum librum vendi, aut venalem exponi, nisi per»missu pastoris ejus loci, ad quem libri venales deferuntur, »curent igitur pastores, ut habeant indicem librorum prohi»bitorum authoritate concilii Tridentini (quem observari in»tegre volumus) et juxta regulam decimam examinent catalogum »librorum, qui vendendi sint, eique, si approbandus videtur, »subscribant sua manu, alioquin librarius aut venditor, qui sine »licentia et approbatione pastoris libros vendiderit, aut legen»dos alteri tradiderit, amissione librorum mulctetur. Quodsi »pastor in re ambigua dubius haereat, ad decanum referat, »qui, si nec ipse difficultatem explicare queat, consilium decani »facultatis theologicae, qui in nostra universitate Trevirensi »est, sequatur.

8. »Postremo, ne quis negligentiae, aut impunitati locus »relinquatur, volumus, ut singulis annis decanus, quando maxime »commodum ei videbitur, semel decanatum suum circumeat, »nobisque factae visitationis per literas rationem reddat, prae»sertim si quid contra praescripta generalis visitationis, aut »statuta tradenda commissum invenerit, omnesque pastores, »ecclesias, atque coemiteria coram visitet, et juxta instructio»nem sibi, ac illis a visitatoribus relictam, aut statuta tradenda »decanatui, inquisitionem faciat, synodalium jura, et authorita»tem conservet, eosque ad strenue, ac fortiter munere suo »fungendum, hortetur, ac denique computationi fabricarum »hospitalium, non quidem, ut intersit (quod intelligimus decano »futurum nimis difficile et molestum), sed jam rite factae, a »quibus fieri debet, et per pastorem loci, aut rectorem, appro»batae, nostro nomine subscribat, omnemque iniquitatem in ea »prohibeat.

9. »Ut autem decanus tres aureos florenos, qui pro tem»pore decanis a decedentibus pastoribus debentur, facilius ac»cipiat, nemo haereditatem, aut quaecunque bona defuncti adeat, »nisi prius constiterit satisfactum decano.

10. »Caeterum ne tantae rei executionem, quae ad cul-»tum Dei, et ad communem salutem imprimis pertinet, ulla »difficultas impediat, aut etiam retardet, mandamus praesen-»tium tenore officialibus, et fiscalibus nostris, ac quibuscunque »officionatis, ut cum a decano, vel capitulo, in supra dictis »omnibus et singulis requisiti fuerint, decanis assistant, opem, »et auxilium ferant, neve quidquam, quod observationi, vel »executioni quocunque modo adversari possit, obsistere patian-»tur; rebelles vero suspensione ab officio, et beneficio, etiam »carceris, si opus fuerit, poena in ordinem et obedientiam »redigant. Reliquo vero capitaneos, balivos, et officionatos, »quocunque nomine appellentur, qui spirituali nostrae juris-»dictioni parent, hortamur, et paterne in Domino requirimus, »ut ipsi quoque fide et diligentia sua haec decreta nostra, ob »communem utilitatem edita, tueri, et decanis, atque animarum »suarum pastoribus, authoritate, et favore suo adesse non »graventur. Datae in civitate nostra Trevirensi, die 8va men-»sis aprilis 1570.«

Legite, expendite, utimini, et bene valete.

CAPUT IX.

Ecclesiae collegiales dioecesis Trevirensis.

Post provincialium episcoporum exhibitos indices, cleri partem nobiliorem huic elencho includere, et metropoli accensere placuit, sed per transennam modo, ut in ferculorum pompis facta inspiciendi copia. Nam cum multifariam haec locorum et hominum ornamenta, et canonicorum sive veterum instituta, sive recentiorum gymnasia literis mandata sint, et sparsim in annalium textu sub adspectum posita, majora jam theatra a me spero non flagitanda, cum praesertim vereri debeam, nec lectoris parum respondeam exspectationi, si res

easdem, eodemque vultu, nec mutata persona iterum in scenam producam. Quocirca, si quae repetam, ordinis id, lucisque majoris gratia est futurum. Cum ita praesertim res feret, ut alia sine aliorum societate satis nequeant penetrari.

Ecclesia cathedralis.

Haec apice metropolitani sui, et archiepiscopali throno, praeposito, decano, et archidiaconorum praecipue quinque titulis insignium caeterisque dignitatum gradibus supereminet, principis apostolorum, B. Petri patrocinio felix.

Stemmata avorum memoria et retro numeravit generosa, et illustria ducum, comitumque; sed jam plerisque illorum familiis per archidioecesin vel extinctis, vel ecclesiasticam vitam fastidientibus, equestri fere nobilitate contenta est.

Observes in unius archidiaconatus trans Rhenum Loganae tractu, eo olim fastigio sublimes Wiedanos, Seinenses, Dietzios, Nassovios, Solmenses, Isenburgios, Eppensteinios, Willenauvios, Limburgios, comites et dynastas iis etiam imaginibus, et virtutum radiis, unde vicinae, Moguntina et Coloniensis, duae metropoles splendorem acciperent, et interdum quoque pontifices adoptarent. Jam vero qua Mosella caput attollit, et rivorum tum auxilia longe cogit, tum finitimos populos per varios prisci juris, ususque titulos contrahit, quid memorem, quam universa propagine, ex Lotharingiae ducum, Lutzelburgiorum et Limburgensium, ex Palatinorum Rheni, ducumve Bavariae et marchionum Badensium illustri ac regali satu, ex comitum Spanheimensium, Geminipontis, Veldentiae, Saraepontis, Liningensium, Silvestrium, Castellensium, Rhenensium, vetusta prosapia, tanquam sidera exorta sint? Quin in Eiffliae scatebra quadam priscae nobilitatis, quot ex Virneburgiorum, Salmensium, Reifferscheidtiorum, Manderscheidtiorum, Blankenheimiorum, stirpe prodierint, quot ex sparsis ultro, citroque locis gentilitates, Sirckiorum, Vinstingiorum, Moncleriorum, Bergensium, Hunolsteiniorum, Broichiorum, Winneburgi, Daunensium, Rineci, Hohenfeltziorum, Crichingiorum, natae collec-

taeque! Quae cum aliis, quas enumerare nimis spissum sit, aut infinitum, cathedrale collegium hoc generis sui et virtutis splendore collustrarunt. Et immensus hic campus est tam late patens, atque diffusus, quam circumvicinae provinciae, ipsaque Treverica ditio, nobilium stirpium ramis, priscisque domiciliis suis distinctae, gentem quoque suam extollunt, et enixius forte clypeos et colores, quam eorum origines et majorum fortia facta suspiciunt et vindicant. Nam licet haec bono publico nata stemmata vere suspicienda et laudanda sunt, magis tamen virtus et casta religio, quae genus et proavos dederunt, eaque symbola meruerunt, quibus ab inertia, luxuque separati, majores bonis et fortibus sanguinem suum miscuisse probantur.

Porro ut cuique ordini suum institutum, et ejus rite obita functio, ita clero laudem disciplina, et morum integritas conciliant. Quo igitur a corporis obsequio, indulgentiaque se longius removerit, hoc humanae vitae illecebris, tanquam labe decoris, facilius oppressis, ad verae nobilitatis fontem, societatemque beatorum accedet propius. Atque hanc religionis probitatem, cultumque sacrorum majores amplexi, ut eum vitae quadam innocentioris professione et legibus ad vitam hanc quietam et beatam degendam inventis idoneis, ac denique rerum omnium consociatione tuebantur, ac defendebant; ita horum imitatione Treviris in ecclesia principe plurimum huic vivendi instituto datum, quod canonici veteres profitebantur, primaevam et innoxiam illam christianorum in commune viventium disciplinam referebat. Hoc ex legibus, quas prisci reliquere, ex domiciliis, quae hunc in usum exstruxere, ex aliis multis literarum monumentis adeo compertum possidemus, ut, qui hoc negaverit, soli citius lucem ademturus, quam hanc e mundo veritatem sublaturus videatur.

Quae vero hujus communionis dissolvendae rationes fuerint, haud difficulter assequetur, qui eorum nobilium coenobia, quos hodiedum par tenet communis vitae observantia, suis commodis, incommodisque expensum inerit, quae, ut ego cogitando, quam scribendo malim prosequi, ita aliis quoque consideranda relinquam.

Caeterum cum metropolitanae hujus ecclesiae antiquissimam, qua originem, qua dignitatem, suis locis, sat disserte annales prosequantur, hic repetere otiosum juxta, fastidiosumque futurum est. Nomina vero illorum percensere, qui in hac ecclesia aliquo honoris aut praefecturae gradu eminere in caeteris visi, ut operosum scriptori investiganti futurum est, ita reprehensioni quoque apud lectorem manebit obnoxium, si quos forte ex propinquorum illic numero requirat majorum gloriae avidos, qui vel subterfugerint vestigantis historici diligentiam, vel in cerebro tantum legentis nati, lucem nunquam vitalem aspexerunt.

Veruntamen haec nos ambitiosorum cupiditas deterrere non debet, quominus eorum, quorum sese obtulerunt nomina adversus injuriam temporis et oblivionem vendicemus. Consulturi perinde volentes, habentesque reliquorum memoriae, si ex veterum monumentis tempestive suppeditentur, cum procul ab odio, ac favore partium veritatis unius vestigandae studio, et nobilitatis Trevericae decus pro viribus tuendae desiderio teneamur. Qua in re si quandoque ad veteres equestrium certaminum ludos recurramus, nolumus propterea eorum collectorem tanquam indubiae veritatis adhiberi testem, cum satis constet, non levibus illum hinc atque inde erroribus obnoxium, falsa subinde veris, ut pronum erat in tanta familiarum et nominum copia, admiscuisse, sed hoc solum egimus, ut cum certa deessent, probabilibus saltem argumentis nitemur.

Praepositi ecclesiae metropolitanae.

Sigebertus sub Ruotberto archiepiscopo Trevirensi anno Christi 952.

Tanckmar Azzo, presbyter et praepositus, frater magni Ottonis, sub Henrico I. anno Christi 959.

Folckmarus, presbyter et praepositus, III. kalendas maji defunctus.

Heidenricus, presbyter et praepositus, IV. idus martii.

Redis, praepositus, non. augusti.

Sigebertus praepositus, non. junii.

Haec in pervetustis membranis bibliothecae aedis primariae: plurium sparsim nomina reperies in corpore annalium.

Rambertus praepositus anno 1052 et 1058 sub Eberhardo archiepiscopo vixit.

Burchardus, 1075, qui a Henrico IV. ad regem Ruthenorum mittitur. Vid. Lambert. Hersveld, ad h. a. (Pertz 5, 230). Num Annonis Coloniens. ex sorore filiuset poste a episcopus Halberstadensis?

Arnoldus, occurrit ão 1075, 1085, 1097.

Bruno, comes de Lauffen, occ. 1083, 1098, 1101, archiepiscopus ão 1102.

Godefridus, 1103.

Rambertus, 1107, 1110, 1115.

Godefridus, Alberonis archiepiscopi coaetaneus, occ. 1122—1162; in Cardonae monumentis, ad annum 1137, qua praepositus major et archidiaconus.

Joannes, 1182, archiepiscopus 1190.

Rudolfus, Radulfus, qui anno 1183 cum Folmaro de archiepiscopatu decertavit, occ. 1167—1197. Fuit Rudolfus ex comitibus de Weda, vid. Calmet II. 168.

Conradus de Spiegelberg, 1198, 1216, 1219.

Radulfus, 1223. R. 1227.

Arnoldus ab Isenburg, 1228, 1238, 1242. Ex praeposito archiepiscopus ão 1242.

Radulfus de Vilario, 1242.

W., Wernerus 1247.

Richardus de Welr.

Simon de Franchirmont, praepositus et archidiaconus magnae authoritatis sub Arnoldo archiepiscopo, floruit ão 1252—1267.

Theodericus de Blankenheim, occ. ab ão 1267, dominica Quasimodo, ad annum 1282.

Boemundus de Warsberg, archiepiscopus ão 1286.

Theodericus de Assetze, 1289. Obiit ante 9. dec. 1298.

Henricus de Geminoponte, 1300, 1301.

Godefridus de Rodemachern, sub Balduino, 1309—1329.

Robertus von der Saarbrücken, de Saraeponte, 1329. Gens illa militum, seu nobilium de Saraeponte, ex quibus etiam Boemundus II. archiepiscopus Trevirensis, minime confundenda erit cum illustriori gente comitum de Saraeponte.

Joannes de Kerpen, 3. maji 1330.

Nicolaus de Hunolstein, 1335.

Joannes de Celobrio, vulgo de Zolveren, de Soleuvre, electus 10. julii 1335, occ. ão 1359. Obiit ante 1. maji 1364, ão siquidem 1363.

Conradus de Spiegelberg, 1364, 1367, obiit 7. aprilis 1370.

Robertus de Saraeponte, clarus anniversario suo apud S. Maximinum instituto, aliisque meritis alibi collatis, occ. ão 1372—1380. Testamentum condit 19. februarii 1380, diem obiit ão 1385, ut habetur ex monumentis S. Maximini.

Aegidius de Milberg, electus 28. maji 1380, occ. 1382, obiit ante 21. junii 1384.

Godefridus de Bruneck, praepositus Monasteriensis, occ. 1385 et 1386.

Arnoldus de Berward, 1391—1405. Aõ 1398 approbavit testamentariam constitutionem Wernerianam.

Otto, ex comitibus a Ziegenhayn, quae familia inexploratae etiam nobis antiquitatis est, juramentum praestitit 11. martii 1409. Ex praeposito archiepiscopus 13. octobris 1418.

Fridericus de Crovia, 1421—1432.

Philippus de Sirk, Jacobi I. archiepiscopi frater, ad annum 1445, longaevus in ea dignitate vixit. Nam ão 1458 Monclerii feudum, prole mascula deficiente, clericus adiit, et ão 1477 pensionis Joannis Beyer a Boppardia, canonici defuncti, dividundae, particeps fuit. Occ. etiam ão 1490 et 1491. Obiit 1492. Sepultus ipse in media basilica Deiparae matris, non longe a fratre. Auctor sacrificii perpetui, quod in S. Annae altari celebrari consuevit, cum obligatione cereorum super sepulchris Jacobi fratris et Hildegardis sororis, certis anni feriis statuendorum, testamenti quoque, sive contractus de sacrificio, quod

signo majoris capituli ão 1496 in cathedra Petri, stylo Trev. roboratum, executores nominati Eberhardus ab Hohenfels, decanus, et Arnoldus de Sirk, dominus Monclerii et Maintzeburgi.

Emundus de Malberg, praepositus major, occ. 1462.

Bernardus comes de Solms, elect. 9. septembris 1492, occ. 1502, obiit 4. aprilis 1503.

Eberhardus ab Hohenfels, dominus in Reipoltskirchen, occ. 26. augusti 1503, 1505, 1506. Inspeximus ipsius manu pie scriptum, factumque testamentum, quod ão 1510, 27. julii, coram testibus, tabellioni in basilica primaria tradidit. In eo, magna significatione religionis, se in peristylio sine ambitu et pompa funeris, juxta Edmundum de Mailberg sepeliri jubet, et sacrificii perennis abs se fundati in altari S. Martini, quotidie celebrandi in honorem S. Sebastiani, tunc distributionis in clerum horas canonicas frequentantem, factitandae, et anniversarii abs se instituti meminit. Exequendis legatis praeposuit dominum Georgium a Petra, archidiaconum, Joannem ab Hohenfels, fratrem, dominum in Reipoltskirchen, et Georgium ab Hohenfels, ordinis Teutonici equitem. Epitaphio, quod aere fusum et rudi poemate elaboratum, mortalitatem explevisse traditur anno 1515, 10. februarii. Zelo ecclesiasticae disciplinae, justitiae, et laude multarum virtutum eum praecelluisse ferunt.

Pervetus quoque haec Hohenfelsiorum familia in sexto equestri ludo, Augustae Trevirorum ão 1039 a Conrado II. imperatore instituto, adfuit.

Philippus de Criechingen et Dorstweiler, dominus in Pittingen, elect. 26. febr. 1515, qui brevi dignitatis hujus curriculo perfunctus, ob raras animi ingeniique dotes anno 1518 idibus martii, more Trev. huic ecclesiae nimis mature fuisse putatur ereptus. Perenne illi ex aere in templo D. Virginis positum monumentum versibus conscriptum, in quo unius modo tempore olympiadis praepositus fuisse et cuncta quae inter ea, seu ex sacerdotio, seu patrimonio collegerat, in pauperes ante obitum erogasse scribitur. — Horum antiquitatem perspectam omnibus non prosequor.

Joannes a Metzenhausen, elect. 28. mart. 1519, ex praeposito archiepiscopus 27. martii 1531, praeposituram adhuc gerebat 3. novembris 1531. Hujus familiae majores jam olim inter equestres lego recensitos, quando Norimbergae ão 1198 cum Henrico VI. imperatore in ludis comparuere. Suae tamen ipse gentis haud vile ornamentum. Resignavit praeposituram.

Philippus a Rollingen, elect. 23. mart. 1532, XII. kalendas novembris 1532 e vita migravit. Horum vetustissima familia jam olim ludis primis ão 938 sub Henrico I. athletas suos inter primae nobilitatis barones submisit.

Joannes Ludovicus ab Hagen, elect. 27. nov. 1532, confirmatus a sede apostolica 2. aprilis 1533, creatus archiepiscopus 3. augusti 1540, resignat praeposituram 2. oct. 1540. Et hic perantiquae stirpis, quae et ludis equestribus sub Henrico I. et ludis IV. ad Salam flumen ão 999 celebratis interfuit.

Franciscus a Criechingen, electus 19. octob. 1540, abiit ex humanis anno 1569 (more Trev.?) kalend. januarii.

Joannes a Schonenberg ex custode fit praepositus XIV. kalend. februarii 1570, ex praeposito archiepiscopus 31. julii 1581. Et haec antiquissima baronum familia primis ludis suos pancratiastas submisit.

Arnoldus succedit (1581) ex comitibus a Manderscheidt in Blankenheim, Joannis Argentinensis episcopi frater, qui Hermanno majore natu fratre sine prole decedente, in spem stirpis propagandae, se sacerdotiis, hic (instrumentum constitutionis procuratorum ad resignandum praeposituram Trevirensem est de 16. die julii 1604), Coloniae et Argentinae, ad nuptias transiturus, abdicavit. Caeterum de antiquitate horum comitum, jam olim ante ludos primos, et in iisdem celeberrima, operae pretium non est, verbis multum disserere.

Philippus Christophorus a Soeteren, electus 1604, occ. 1606 — 26. augusti 1623, episcopus Spirensis 1610, archiepiscopus Trevirensis 25. septembris 1623. Hujus quoque jam

olim stirpis in ludis Augustae Trevirorum sub Conrado II. imperatore ão 1029 celebratis, viget memoria.

Hugo Cratz a Scharfenstein, antea decanus, nec non praepositus ad S. Paulinum, elect. 27. sept. 1623, obiit 15. junii 1625, aetatis suae 84.

Joannes Wilhelmus Husmann a Namedy, electus 28. julii 1625, occ. 1631—1651, atque post varias jactationes et adversitates obiit Treviris, ão 1651, 1. decembris.

Emmericus, baro de Metternich-Winneburg et Beilstein, humanitate ac liberalitate omnibus gratus, electus in praepositi coadjutorem Andernaci, 1648, mortuus Treviris, 4. aprilis 1653. — Amplissima hujus nominis familia per totius Rheni tractum sparsa, antiquitus aliis celebrata nominibus, longiorem, quam pro his angustiis dissertationem requirit.

Hugo Everhardus, comes Cratz a Scharfenstein, episcopus Wormatiensis ão 1654, vir insigni prudentiae, moderationis ac pietatis laude conspicuus, obiit in comitiis imperialibus Ratisbonnae, anno 1663, mense martio. — Hujus jam olim inter equestris ordinis viros circa annum 999 ludis IV. celebrata nobilitas est.

Damianus Hartardus, baro de Petra, electus in coadjutorem decessoris ão 1658, quo defuncto anno 1663, 30. martii successit. Frater ejus, Carolus Casparus, tum archiepiscopatum Trevirensem tenebat, ipse electus fuit archiepiscopus Moguntinus, nec non episcopus Wormatiensis, anno 1675. Obiit ão 1678. — Cujus genealogiam familiae, ut in dedicatoria ad annales epistola ab antiquissimis retro temporibus duxi, ita et diversis olim equestrium certaminibus sub vernaculo illorum nomine a Leyen ão 999, tum 1080 et 1165, ac 1179 interfuisse reperio.

Damianus Emmericus ab Orsbeck, Joannis Hugonis, electoris frater, obiit 15. augusti 1682, uti testatur monumentum sepulchrale, quod hodie Confluentiae, in aedibus D. Virginis visitur. Fuit etiam praepositus Spirensis, nec non ad S. Paulinum.

Joannes Fridericus ab Eltz, ex archidiacono tit. S. Petri praepositus ão 1682, scholasticus Moguntinus, canonicus ad S. Albanum, obiit 30. augusti 1686.

Carolus Casparus a Kesselstatt, electus 16. octobris 1686, obiit 3. maji 1723.

Franciscus Georgius, comes de Schönborn, elect. 1723, mense majo, occ. 1725, 1728, archiepiscopus et elector Trevirensis 2. maji 1729.

Philippus Carolus ab Eltz, ex archidiacono, tit. S. Petri, praepositus, elector Moguntinus 9. julii 1732, obiit 21. martii 1743.

Josephus Franciscus a Kesselstatt, electus 7. maji 1743, obiit 25. septembris 1750.

Joannes Fridericus Arnoldus Adolphus, marchio ab Hoensbroech, electus 22. dec. 1753 (1750 al.), obiit 5. maji 1758.

Carolus Ernestus a Breidbach in Büresheim, electus 19. junii 1758, obiit 1771, 19. augusti.

Emmericus Josephus a Breidbach in Büresheim, Caroli Ernesti frater, archiepiscopus et elector Moguntinus ão 1763, episcopus Wormatiensis ão 1768, praepositus Trevirensis 24. septembris 1771, supremum diem clausit 11. junii 1774.

Franciscus Ludovicus, baro, expost comes a Kesselstatt, electus 25. julii 1774, obiit 6. januar. 1777.

Franciscus Carolus Antonius Everardus a Dalberg, electus 10. martii 1777, obiit 15. martii 1781.

Philippus Franciscus Wildericus Nepomucenus, comes de Walderdorf, electus 24. aprilis 1781, praepositus ad S. Paulinum et ad S. Simeonem Treviris, episcopus Spirensis 22. aprilis 1797, animam efflavit 21. aprilis 1810.

Decani primariae ecclesiae.

Hatto decanus, tert. kalend. februarii defunctus, annus ignoratur.

Heimo decanus III. non. januarii.

Thiepelo decanus VII. kalend. aprilis. Hi in ephemeride cathedralis ecclesiae Ms.

Farabertus, aõ 952, sub Ruotberto archiepiscopo.

S. Wolfgangus, aõ 960.

Aderoldus, aõ 967.

Herkenbertus, aõ 973.

Arnoldus, aõ 1083.

Dudechinus, major decanus, 1088.

Godefridus, occ. 1101—1123; aõ 1124 ex decano archiepiscopus.

Folmarus decanus sub Adalberone, aõ 1131, 1135, 1143.

Gerardus, aõ 1134, 1135.

Hillinus de Fallemannia, aõ 1150, 1152; archiepiscopus aõ 1152.

Rudolfus, occ. 1153—1164.

Joannes, occ. 1167—1192.

Wilhelmus, qui Bartholomaeo, abbate S. Maximini annuente, collegio sub annum Domini 1220 jus fraternitatis impertiit, mortuis non solum communibus oblatis suffragiis, sed antistiti quoque mensa triclinii, quoties cum canonicis accumbere libuisset. Occ. 1193—1223.

Wilhelmus ab Helfenstein, decanus major, occ. aõ 1234.

Wernerus, occ. 1239—1253.

Joannes, aõ 1259.

Wiricus de Neumagen, occ. aõ 1262 et 1265.

Robertus de Warnesberg, 1265, 1269, 1275.

Arnoldus de Bowilre, 1282, 1286.

Wilhelmus de Sleida, 1301, 1303 et 1309.

Arnoldus de Ulmena, 1307.

Joannes de Franchirmont, 1309, 1310.

Herbrandus de Franchirmont, 1316.

Jofriedus de Rodemacra, decan. major, occ. 1324.

Ludovicus ab Homburg, 1320, testamentum condit 14. aug. 1326, obiitque e. a. 1326.

Joannes de Duna, occ. aõ 1328. Aõ 1332 retinendae in clero religionis, continentiae, et morum honestatis auctor fuit, praecipue inferioris ordinis sacerdotibus, in quibus et Bantini extitere, instituendi sub titulo S. Joannis Evangelistae, certis

legibus sodalitii, cui hodieque candidati primarii cleri nomina dare solent. — Videtur hic ex veteri baronum de Duna prosapia, quam duodecimis memorari ludis comperio.

Nicolaus advocatus de Hunolstein.

Mathaeus ab Eich, 1335—1347.

Nicolaus de Pittingen, electus 1. februarii 1348, obiit 1373. Is ex vetustissima nobilitate oriundus, in primis ludis equestribus suae gentis homines censet; eosdem sextis celebratos habet.

Fridericus de Blankenheim, possessionem capit 26. nov. 1373. Obiit 1377.

Gerlacus Koet de Limburg: erroneum est, eum Limburgi dominorum ultimum fuisse, qui, cum Joannes frater sine prole obiisset ão 1402, sub Wernero oppidi Limburgensis gubernacula tenuisset, quae tandem moriens, ecclesiae Trevirensi reliquisset. Familia Koet de Limburg et de Wanscheit militaris conditionis erat, et nullatenus dynastis in Limburg assimilanda. Gerlacus possessionem capit 5. septembris 1377, occurrit usque ad annum 1412. In testamento quinque millium aureorum Rhenensium legato cleri quotidianas distributiones auxit, subscripsitque constitutioni Wernerianae ão 1398. Ordinatio de habenda memoria Gerlaci est de 22. decembris 1397.

Aegidius de Sirk, alias de Rodemacra, occ. 1416, 1418.

Thilmannus ab Indagine, Hain, Hagen, occ. 1421—1438. Sub Rabano subscripsit oppignorationi aliquot locorum, quae ão 1436 Ludovico, Hassiae landgravio, facta.

Philippus de Sirk, occ. 6. aprilis 1439.

Aegidius de Kerpena, occ. 1445.

Edmundus de Malberg, electus 1450, occ. 1456—1477, sepultus in peristylio ad templi vestibulum. Credibile est, hanc inflexa non nihil voce, in primis ludis equestribus nobilitatem censeri. Gerardus, Rheni comes, sub eo scholasticus, cujus genus sua satis vetustate est exploratum.

Philippus, ex advocatis de Hunolstein, paucis praefuit annis, nam anno 1479 pensioni dividundae Edmundi decessoris interfuisse lego, et lapis sepulchralis supremum clausisse diem

indicat die assumptionis Mariae anno Domini 1480. Hujus familiae nobilitas, jam olim in ludis VI., VII. et IX. cognita, illustris fuit.

Eberhardus de Hohenfels, electus ão 1480, ão 1503 praepositus factus est. Aõ 1481 vita excessit illustris princeps D. Wilhelmus, comes Palatinus Rheni et Bavariae dux, canonicus Trevirensis. Ita epigraphe aeneis laminis incisa in basilica S. Deigenitricis.

Philippus de Criechingen, ão 1502—1512. Penultimo februarii 1512 severam legem tulit et promulgavit de vitanda clericis suspectarum mulierum consuetudine et contubernio. Sub eo Ulricus ex comitibus de Manderscheidt, et Arnoldus, stirpe Salmensium comitum, fuere canonici.

Jacobus ab Eltz, juravit 12. martii 1515; occ. 30. martii 1516; ão eodem factus est archidiaconus tit. S. Lubentii.

Joannes de Metzenhausen, juravit 4. februarii 1517, praepositus ão 1519.

Jacobus ab Eltz, secunda vice, juravit 28. septembris 1519, magni animi ornamentis praeditus, immature raptus teste titulo sepulchrali in aede B. Virginis, qui ait, eum ão 1528 stylo Trev. vita migrasse. Occ. 1520, 1521, 1524. Hujus stirpis originem, et antiquissimae et late diffusae, variis documentis compertum tenemus. Primis illa, alterisque ludis equestribus ab Henrico I. imperatore ão 938 et 942 laudata asseritur. Nunc in varios prima a stirpe ramos diffusa.

Jacobus de Fleckenstein, occ. 1529, vid. Schoepflin.

Georgius a Petra. Juramentum praestitit archiepiscopo 5. martii 1529: occ. etiam ão 1531 et 1533. Is in epitaphio, senex tranquilitati consulens, decanatum reliquisse traditur: resignavit 18. maji 1533.

Christophorus, prius archidiaconus major, electus 9. junii 1533, ex liberis nobilibusque baronibus et burggraviis de Rheineck, stemmate dominorum in Tomberg, Miel et Bruch, miles heros, cum quo, aut potius cum ejus nepote, Jacobo (1539), hujus gentis insignia et clypei interciderunt. Monumentum suae in Deum pietatis ad dextram templi B. Virginis,

parte australi, reliquit Christophorus egregium, quippe sepulturae dominicae et gloriosae resurrectionis opere magnifico tum signorum naturali statura eminentium, et pulcherrime factorum, tum columnarum serie et ornatu argumentum exprimi voluit; atque in hoc ipso mausoleo aram faciendam locavit, fundavitque cum perenni et quotidiano sacrificio, cujus procurandi munus sacerdotes sodalitii B. Joannis Evangelistae aõ 1539, 11. januarii, susceperunt. Porro tabula aenea ad vicinam templi columnam affixa, duplici elogio, versu prosaque Christophori memoriae parentatum. Vixisse scribunt annis 63, devixisse aõ 1535, 12. novembris. Divisio ejus pensionum locum habuit 27. septembris 1536. — Vetustissimae hic familiae insertus nascendo est, qua in ludis equestribus a primis usque ad certamen undecimum vix reperi frequentiorem, neque in iisdem semel, ad saepius decertasse, notatum est.

Franciscus a Criechingen, electus 29. novembris 1535, qui aõ 1540, 19. octobris, praepositus est factus.

Meinardus a Metzenhausen successit, ex custode pridie nonas novembris (4. novembris 1540) creatus decanus, qui aõ 1547, ante 22. novembris, Ostigliae in Italia, prope Mirandulam, alieno sub caelo spiritum et corpus deposuit, laudatae supra stirpis propago.

Jacobus ab Eltz, ejus nominis secundus, aut tertius, ex cantore eodem anno (1547, 13. octobris) fit decanus. Is postea, 7. aprilis 1567, archiepiscopus creatus est, ejusque familiae, quod supra meminimus, decus egregie cumulavit.

Bartholomaeus a Petra, Joannis archiepiscopi frater, aõ 1567, 14. aprilis, decanatus honorem iniit, quem aõ 1587, 15. kalend. januarii (18. decembris) morte sua destituit.

Hugo Cratz a Scharfenstein, custos, Bartholomaeum excepit, electus 4. februarii 1588, praepositus ecclesiae cathedralis Spirensis et S. Paulini Treviris. Is aõ 1623 praepositus est factus.

Joannes Wilhelmus Husmann a Namedy, elect. 13. dec. 1624.

Joannes Wilhelmus a Metzenhausen, elect. 3. febr. 1626. Obiit aõ 1635, 25. sept., vir plurium linguarum et scientiarum apprime peritus, cum staret in procinctu, ad comitia electoralia

Ferdinandi III. Ratisbonnam versus abire, a Deo ad comitia vitae ultima improviso avocatus est, contagione correptus.

Damianus Henricus a Metternich in Burscheidt, occ. 1642, 1647, 1650, obiit festo Innocentium 1655, carus innocenti vitae conversatione omnibus.

Hugo Fridericus ab Eltz, electus 11. martii 1656, obiit in comitiis electoralibus Francofurti, 19. julii 1658; vir egregia morum probitate spectatus.

Joannes Ludovicus Wilhelmus ab Eltz, et dominus in Eltz, electus 16. septembris 1658, obiit 16. septembris 1676.

Joannes Philippus a Walderdorf, praepositus major Spirensis, jur. 20. martii 1679, occ. 1682.

Damianus Ernestus a Warsberg, jur. 3. novembris 1689.

Joannes Wilhelmus ab Eltz, occ. 1703 et 1710.

Carolus Josephus Lotharius Schenk a Schmidtburg, praepositus Limburgensis, jur. 25. aprilis 1715, obiit 1725, 22. februarii.

Carolus Casparus Emmericus de Quadt in Buschfeld, electus 22. martii 1725, occ. etiam 1729, nec non 1738. Obiit 24. febr. 1742.

Joannes Philippus a Walderdorf, juravit mense aprili 1742, coadjutor Francisci Georgii, archiepiscopi 11. julii 1754, archiepiscopus et elector 18. januarii 1756.

Franciscus Carolus Ludovicus baro de Boos, electus 3. februarii 1756, obiit 24. martii 1776.

Philippus Franciscus Wildericus Nepomucenus, comes de Walderdorf, praepositus ad S. Simeonem et S. Paulinum, elect. 30. maji 1776. Anno 1781, 24. aprilis, praepositus factus est.

Anselmus Franciscus Theodorus Joannes Nepomucenus a Kerpen, electus 28. maji 1781, obiit 15. april. 1795, sepult. in oppido Montabaur.

Joannes Philippus Franciscus Hyacinthus, comes a Kesselstatt, ex archidiacono decanus, electus 6. julii 1795, diem clausit 20. jun. 1828.

Archidiaconi majores S. Petri, vel chorepiscopi.

Majorum aetate iidem videntur persaepe praepositi et archidiaconi majores sustinuisse dignitatem, id quod praepositorum elenchus satis ostendit. In literis vetustioribus, etsi non raro plures nominentur archidiaconi, difficilis tamen titulis plerumque tacitis, vel omissis, eorum dijudicatio est, vel distinctio.

Ex his censetur S. Cunibertus sub Dagoberto rege, postea Coloniensium archiepiscopus. Occ. ão 640.

Garibertus, ão 664.

Adalmarus, ão 811.

Theganus, Hetti archiepiscopo.

Thiedo, sub Ruotberto et Henrico I. archiepiscopis, ão 952—964. Fuit ille oratorii S. Banti conditor, cujus in domicilio jam visitur aedis primariae seminarium.

Wichfridus, ão 967.

Robertus, ão 973 et 981.

Reinbaldus is canonicus fuit, qui et levitae nomine insignis, ão 1024 ab Henrico, Virdunensium episcopo, oratorium S. Banti dedicari voluit, ejusque rei monumentum inscriptam saxo dedicationis memoriam reliquit, sed et alterum et tertium saxum ibidem erexit, quorum priore descripsit, quae, quibus ex fundis, in anniversario suo fratribus in domo S. Petri, et ex residuo, quae pauperibus erogari voluerit; posteriore sacerdoti, cui munus sacrificandi commendatum, censum constituit, vinearum fundis expressis in Vastroul, Wintrich et Cubesa (Cusa).

Ruricus et Arnoldus, chorepiscopi, ão 1052, sub Eberhardo archiepiscopo.

Bruno, ão 1063.

Poppo, ão 1085.

Bruno, ão 1098.

Godefridus de Vianden, praepositus et archidiaconus, postea, ão 1124, archiepiscopus Trevirensis.

Theodoricus, 1125.

Arnulfus, 1132.

Bolso, 1134.

Joannes, 1160 et 1164.

Bruno de Ramerstein, 1170.

Rudolfus comes de Weda, 1173.

Theodoricus comes de Weda, qui anno Domini 1212 factus archiepiscopus.

Meffridus, praepositus S. Paulini, 1220.

Ingebrandus de Warnesberg, 1228.

Arnoldus de Sleida, occ. āō 1238—1263.

Boemundus de Warnesberg, occ. 1267—1284. Is āō 1286 archiepiscopus factus est.

V. āō 1287. Warinus de Warnisperg, occ. āō 1287.

Fridericus de Ulmena, āō 1299—1318.

Boemundus a Saraeponte occ. āō 1318—1353. Aō 1341 praefuit synodo Treviris pro Balduino, post quem āō 1354 creatus archiepiscopus.

Arnoldus a Saraeponte. Testamentum condit āō 1364, occ. adhuc āō 1377. Ejus anniversaria memoria apud D. Maximinum peragitur 14. martii, cui centum librarum censum reliquit. Obiit āō 1379.

Robertus ab Hoheneck, sub Wernero āō 1391—1411. Obiit āō 1415.

Aegidius Wabe de Lehmen, āō 1421—1433.

Jacobus de Sirk, occ. āō 1439.

Henricus Greiffenclau, occ. 19. novembris 1439.

Waltherus de Brück, 1442—1445.

Joannes Beyer de Boppardia, nominatus 9. decembris 1445, occ. etiam 1449.

Gulielmus de Haraucourt, occ. 1456.

Joannes a Lapide, presbyter, juravit 9. sept. 1457. Obiit 7. julii 1475, uti brevis in peristylio titulus fidem facit. Hujus non obscura inter antiquiores majorum nobilitas, tertiis, octavis, decimisque ludorum feriis non semel spectata est. Oratorium suum B. M. V. in curia dicta *Eiche* a Huberto episc. Azotensi consecrari fecit 1471 fer. 2. Pasch. (15. apr.)

Arnoldus de Rollingen, juravit 30. julii 1475, testamentum condit 30. augusti 1493, vixit adhuc 15. aprilis 1494, obiit 1495.

Fridericus, marchio Badensis, juravit 11. martii 1495, episcopus Trajectensis ão 1496.

Joannes a Mudersbach, juravit 17. septembris 1496, occ. 1504.

Georgius a Petra, occ. 1512, 1516, expost decanus.

Christophorus, burggravius de Rheineck, juravit 28. junii 1532, decanus 9. junii 1533.

Henricus de Barbanson, juravit 21. decembris 1533, occ. etiam ão 1547. Dictus alias de Villemont.

Joannes a Petra, juravit 14. martii 1548, archiepiscopus electus 1556. Cujus familiae decus, jam supra memoratum, eximio hoc ecclesiae Trevericae sidere, magnopere est illustratum, praesertim, cum alterum hac aetate nostra Carolus Casparus, tanquam ad Bosphorum Hesperus, accessit.

Reinerus a Pallant, occ. 1565—69, obiit ão 1572.

Hugo a Schonenberg, Joannis archiepiscopi frater, nominatus 29. decembris 1572, occ. ão 1573. Is in templo B. Virginis, ad meridiem, aram illi erexit, insigni opere statuario repraesentata ascensionis Domini historia, cujus epigrapha: *Venerabilis et nobilis Hugo a Schonenburg anno 1581, 16. septembris infra octavam et nonam ante meridiem* obiisse scribitur. Et hujus olim gens prosapiae equestribus in ludis sub Henrico ão 939 celebrata memoratur.

Hugo Cratz a Scharfenstein, juravit 28. decembris 1582; expost decanus.

Wilhelmus Quadt a Landskron, praepositus Limburgensis, raris animi ingeniique dotibus, qui legationibus obitis, prudentibusque consultis jam inde ab avunculi, Joannis a Petra, pontificatu, usque ad Lotharii, fratris uterini, summos honores, hoc est saeculi hujus initium, praeclare de ecclesia Trevirensi meritus est.

Philippus Christophorus a Soetern, occ. jam 1600, fuit etiam praepositus Limburgensis. Anno 1605, ante diem 29. aprilis, factus est praepositus major.

Jacobus ex generosa Eltziorum familia, surrogatus est Philippo Christophoro mense aprili 1605; fuit etiam decanus Moguntinus. Proavi archiepiscopi nomen propius, quam fortunam, assecutus est, obiit 23. decembris 1621.

Joannes Wilhelmus Husmann de Namedy, praepositus Limburgensis, nominatus 1621, praepositus 1625. Ingenio quam felicitate major.

Theodorus ab Horst, metropolitanae ecclesiae canonicus capitularis senior, nom. 1625—1630, obiit 29. decembris 1630, aet. 77.

Hugo Fridericus ab Eltz, sub Philippo Christophoro, nominatus 1631, ão 1633—1655, rara laude virtutis praefectus; decanus ão 1656.

Hermannus Otto, princeps de Nassau in Hadamar, nominatus 16. junii 1656, magnae exspectationis, et literis egregie excultus adolescens, in juventute mortalibus ereptus (Francofurti ad Moenum, 26. julii 1660).

Lotharius Fridericus, baro a Metternich, episcopus Spirensis, nominatus ad archidiaconatum S. Petri 1. novembris 1660, archiepiscopus Moguntinensis et episcopus Wormatensis ão 1673, obiit 3. junii 1675.

Joannes Fridericus ab Eltz, juravit 31. augusti 1675, occ. etiam 1682.

Fridericus Wilhelmus baro a Lohe in Wissen, occ. 1684, obiit 23. sept. 1689.

Hugo Emmericus ab Eltz, occ. 12. jan. 1690, obiit 11. martii 1698.

Joannes Wilhelmus Antonius ab Eltz, occ. 10. jul. 1698 et 1700.

Wilhelmus Reinhardus a Walderdorf, jur. 1. augusti 1703, obiitque 1708.

Philippus Wilhelmus, comes a Boineburg. Nom. 8. aug. 1708, obiit 13. februarii 1717.

Philippus Carolus ab Eltz, expost praepositus, occ. 1729.

Antonius Theodoricus Carolus, comes ab Ingelheim, occ. 1734, obiit 2. augusti 1750.

Joannes Sigismundus Otto Quadt in Büschfeld, occ. 1754, obiit 1756.

Lotharius Carolus Franciscus Josephus Schenk de Schmidtburg, nominatus 13. aprilis 1757. Fuit ille ultimus archidiaconorum S. Petri, qui praerogativa majoris inclaruerat, nam post ejus decessum Clemens Wenceslaus archiepiscopus, archidiaconatum S. Lubentii in majorem erigere dignatus est (9. maji 1783), et archidiaconus S. Petri, huc usque ordine primus, nunc fuit penultimus. Obiit 25. februarii 1783.

Alexander Hermannus Josephus, baro de Merode in Hoffalize, nominatus 15. julii 1783.

Franciscus Christophorus Carolus Philippus Hugo de Frankenstein, nominatus 1. novembris 1793.

Archidiaconi tit. S. Lubentii in Dietkirchen.

Bernold, 924.

Arnolf, 1052.

Folcmar.

Rambertus, 1083, 1098.

Godefridus, ão 1107.

Alexander, occ. sub Hillino, in vita B. Ludovici, comitis Arenstenii, circa annum 1160, nec non ão 1163.

Godinus de Fallemannia, nepos Hillini archiepiscopi, 1182, insimul praepositus Monasteriensis.

Joannes, ão 1212 et 1216.

Arnoldus ab Isenburg, ão 1217 et 1219.

Gerardus ab Eppenstein, insimul decanus in Heyger, occ. 1273—1287. Anno Domini 1288 factus est archiepiscopus Moguntinus; priscae nobilitatis progenies.

Godefridus ab Eppenstein, occ. 1293—1328.

Robinus I. ab Isenburg, infeudatur a Balduino archiepiscopo 3. novembris 1329, obiit ão 1351. Cujus familia, ut nuper in ultima stirpis propagine exaruit, partim electore Treverico, partim Walderdorfianis in haereditatem succedentibus, ita antiquissimis progenitoribus inter principia ludorum equestrium,

comitum titulo versantibus, gavisa est; sed cum et marmora atterantur atque intercidant, quis aeternitatem generi suo promittat?

Boemundus de Saraeponte, ex archidiacono majore circa annum 1353 ad hoc officium translatus, postea archiepiscopus.

Robinus II. ab Isenburg, juravit 29. octobris 1359; occ. etiam 1360.

Joannes a Bubenheim 1363.

Theodoricus a Gülsa, 1370, 1377, 1384. Resignat Theodoricus et cartusiam S. Beati monachus ingreditur 1385.

Wernerus a Petra, 1390.

Cuno, comes Hirsutus de Neuen-Beimburg, occ. 1398—1423.

Wernerus a Petra, occ. 26 aprilis 1426, nec non ão 1430; ei a posteris titulus erectus, quo IV. kalend. maji ão 1435 diem extremum clausisse dicitur.

Adamus Foyl de Irmentraud, occ. 1438 et 1445, obiit 1455.

Joannes Beyer a Boppardia, nominatus 29 junii 1455, occ. etiam 1473. Et hujus inter equestris nobilitatis viros majores olim spectati sunt, atque in VI. apud Treviros equestrium ludorum apparatu ad annum 1129 reperiuntur.

Theodoricus a Lapide, canonicus *capparius* ão 1471 dicitur; juravit feria secunda post Bartholomaeum 1476, occ. etiam ão 1498. Ejus in aedis summae porticu monumentum hoc extat. *Theod. de Lap. archidiaconus S. Lubentii in hac inclyta ecclesia Trevirensi, hanc capellam construxit, et in honorem ejusdem S. Lubentii confessoris Trevirensis consecrari fecit anno Domini MCCCCLXXXIII. ipso die S. Jacobi Apostoli.*

Damianus ab Helmstatt, juravit 6. julii 1499, occ. etiam ão 1506.

Joannes de Mudersbach, nominatus 27. sept. 1507, occ. etiam 1516. Ejus in vicinitate supradicti monumenti sepulchrum cum inscriptione canonici et archidiaconi ecclesiae Trevirensis tit. S. Lubentii in Dietkirchen, et anni obitus 1515 (1516?), 18. novembris. Sitne ex illis hic Morsbach, qui ludis VI. equestribus celebrantur, sub judicibus aequis relinquo.

Jacobus ab Eltz, prius decanus, juravit 31. decembris 1516, ão 1519 iterum factus est decanus.

Otto de Breidbach, obiit 6. octobris 1523. Vid. in tit. S. Mauritii.

Philippus de Rollingen, juravit 29. octobris 1523.

Georgius de Criechingen, occ. 1532 et 1533.

Theodoricus I. de Rollingen, juravit 18. julii 1534, occ. etiam 1538 et 1547, obiit 1548.

Everhardus, Manderscheidti et Blankenheimii comes et S. Paulini praepositus, floruit ão 1548, nec non jubilaeo suo, celebrato ão 1550, resignavit ão 1551. Nom. 14. martii 1548.

Georgius junior, comes de Seyna et Wittgenstein, nominatus 15. maji 1551, resignavit 6. decembris 1572.

Henricus de Nassau, nominatus 29. decembris 1572, praepositus Limburgensis, obiit 22. februarii 1601, ultimus suae stirpis, Moguntiae, in aede metropolitana sepultus, pro monumento erecto, cujus in fastigio clypeus cernitur cum leone gentilicio, et galea, inversus.

Theodoricus II. de Rollingen, jur. 20. julii 1601, obiit 15. martii 1602, aetatis 33.

Adolphus Quadt a Büschfeld, occ. 1604 et 1605, obiit 6. aprilis 1610; quorum stirps jam olim nota, sensim in diversas propagines hac aetate transfusa posteritate abundat.

Joannes Wilhelmus Husmann de Namedy, ão 1610.

Theodoricus ab Horst, occ. 1614 et 1623, obiit 10. febr. 1624; cujus stirps priscis etiam temporibus inserta ludis septimis, undecimisque censetur. Fuit etiam collegiatarum ecclesiarum Embricensis et Clivensis praepositus.

Georgius Wolfgangus a Kesselstatt, 1623 m. T., obiit 1637.

Hugo Everhardus, comes Cratz a Scharfenstein, sub Philippo Christophoro sua abunde virtute, ut genus praeteream, commendatus. Occ. 1627—1650. Expost praepositus.

Carolus Henricus, baro a Metternich-Winneburg et Beilstein, occ. 1654—1663.

Joannes Philippus a Walderdorf, juravit 12. decembris 1663, expost, ão 1679, decanus.

Franciscus ab Horst. 1679.

Joannes Wilhelmus a Gymnich in Vischel, occ. 1680, obiit 28. octobris 1682.

Adolphus Wilhelmus Quadt a Büschfeld. 1683, obiit 1698, 16. maji.

Lotharius Adolphus Edmundus a Kesselstatt, nominatus 18. augusti 1699, obiit 16. januarii 1712.

Carolus Josephus Lotharius Schenk a Schmidtburg. 1712.

Franciscus Damianus ab Eltz, nominatus 1714, occ. etiam 1716.

Anselmus Franciscus Ernestus a Warsberg, nominatus 13. julii 1718, occ. etiam 1754.

Joannes Philippus a Greiffenclau in Vollraths, nominatus 28. martii 1760, obiit 8. decembris 1773.

Carolus Emmericus ab Hagen, nominatus 26. decembris 1773, juravit 15. januarii 1774, obiit 26. decembris 1779.

Joannes Hugo Ferdinandus, baro, expost comes de Boos, nominatus 10. januarii 1780. Sub illo archidiaconatus S. Lubentii erectus est in majorem; obiit 16. martii 1792.

Christianus Franciscus ab Hacke, nominatus 8. aprilis 1792.

Archidiaconi tit. S. Castoris in Cardona.

Hupert, 924.

Ruricus, 1052, 1061, 1071.

Bruno, occ. ão 1075 et 1083.

Hungerus, chorepiscopus S. Castoris, occ. 1088.

Godefridus, Brunonis archiepiscopi frater, 1121.

Fulmarus de Castro, archidiaconus Metensis, occ. 1163—1183.

Radulphus, 1192.

Conradus de Petra, ão 1193, 1196 et 1197.

Ottwinus, nepos Joannis archiepiscopi, ão 1200—1212.

Eggebrandus, Ingebrandus de Duna, occ. 1219—1231, praepositus Monasteriensis Meinfeldiae. Anno 1229 subscripsit donationi Lotharii, comitis de Weda, qua possessiones suas

in Treyss Cardonensi ecclesiae, sub Friderico imperatore et Theodorico archiepiscopo, legavit.

Hugo de Lapide, occ. aõ 1241.

Henricus de Bolanden, praepositus ad S. Martinum Wormatiae, celebri antiquaque fama nominis, quem Henricus II. archiepiscopus competitorem habuit. Nominatus 3. maji 1249, occ. 1256—1281; obiit diem summum 12. novembris 1286, tumulatus ipse in Cardonensi ecclesia, de qua, ut et de multis aliis ecclesiis, bene meritus. Aõ 1273 castrum Bischofstein a se emptum amplificatumque Treverensi ecclesiae ea lege donavit, ut archidiaconi S. Castoris post se idem possiderent.

Hermannus, comes de Weilnau (occ. 1293—1303), sub quo lis agitata memorabilis super parochia Leyen inter duas abbatias Kauffungen, virginum, in Hassia, et Siegburgum, in Coloniensi diocesi, virorum, aõ 1293. Eo tempore pro domicilio coluere hi archidiaconi S. Nicetii castrum, vulgo Bischofstein, quod castrum lego Henricum de Bolanden, archidiaconum et praepositum Cardonensem, ab Henrico archiepiscopo impetrasse titulo feudi aõ 1273, feria secunda post Nativitatis S. Mariae, et hunc Hermannum a Diethero Nassovio, archiepiscopo, suo propinquo, aõ 1303.

Henricus de Paffendorf. Ut S. Lubentii archidiaconiae a gente sua ob memoriae seu rerum gestarum celebritatem nomen reliquit Eppensteinius, ita S. Castoris titulo Pfaffendorfium a posteris adscriptum video, et dubium non est, sub eo multa constituta fundataque magno religionis bono. Floruit ipse 1305—1334: aõ 1320 Boppardiensem archipresbyterum super synodali negotio consuluit.

Godefridus de Brandenburg, qui moderatus est primordia collegii B. Virginis in Wesalia oppido surgentis, aõ 1338. Juravit 1. decembris 1338. Sub eo mota lis de juribus archidiaconalibus ecclesiae Crufftensis ab abbate Lacensi est, qui jus sibi collationis ad primum illius ecclesiae beneficium vendicabat, quae per constitutos utrinque arbitros 1343 ita decisa est, ut praesentandi plebanum seu rectorem jus, abbati, investiendi archidiacono, eorumque successoribus tributum perpetuis temporibus fuerit.

Godefridus occurrit adhuc aõ 1350, 24. aug. Caeterum antiquitate generis haec inter primas familia eminet.

Robertus de Saraeponte, occ. jam 1357, juravit 21. januarii 1357 m. T., obiit aõ 1380.

Wilhelmus, comes de Weda, juravit 9. novembris 1392, occ. etiam 1395 et 1401.

Waltherus I. de Brucke, occ. 1409, expost archidiaconus major.

Waltherus II. *de Brucke,* cujus gens tunc titulum gerebat dominorum in Hinsingen et Dagstul, occ. aõ 1446. Aõ 1462 in suo archidiaconatu D. Theodorico de Permont judicis officium literis publicis indulsit, anno vero 1468 jus dixit Bernardo de Pallant, domino in Filzberg, super praesentatione in Urceto. Huc usque igitur ab annis 1446, et 1449, quando investituram personatus in Cleinich diplomate oblato contulit, praefuisse intelligitur. Haec stirps etiam in ludis VIII. et X. agnoscitur.

Walterus de Obeneck, occ. 18. mart. 1457.

Joannes de Vinstingen, nominatus 24. aprilis 1469. Is antiquissimae familiae spectatus haeres, in Palaestinae sancta loca, Christi Domini vestigiis impressa, profectus, gloriosum Salvatoris sepulchrum, quod Hierosolymae primas religionis tenet, eo venerationis studio complexus est, ut domum sospes reversus, propagandae ad posteros pietatis, sacrosancti monumenti, quod Hierosolymorum urbe visitur, in porticu majoris basilicae exemplar construi, ac in eo aram, ad eam parietum et vestigiorum mensuram, quae cum prototypo congrueret, in oratorii morem condi voluerit, inscriptis his quibuscunque ad rem noscitandam penetralis fronti versibus:

Vita mori voluit, et in hoc tumulo requiescit.
Mors, quae vita fuit, nostra vitia abolevit,
Numina confregit inferna, sibique subegit,
Educensque suos, nitidae dux ipse cohortis
Atque triumphator, hinc surrexit leo fortis.
Tartarus ingemuit, tristis mors victa recedit,
Mille quatercentis quinque nonaginta decursis
Annis post ortum Christi, Joannes e Vinsting
Trevir Canonicus, Castoris et archilevita
Me locat et dotat, sacra tellure reversus.

Joannes, occ. adhuc aõ 1500.

Fridericus, comes palatinus Rheni, dux Bavariae, juravit 21. augusti 1501. Obiit 1518, die 22. novembris. Ejus anniversarius in aede primaria agitur ad XVI. kalend. martii. Fuit ille insimul praepositus Argentinensis, decanus Coloniensis, canonicus et cantor majoris ac praepositus S. Mariae ad gradus Moguntinensis ecclesiarum.

Joannes Ludovicus ab Hagen, occ. 1519—1532, ão 1532 factus praepositus, et ão 1540 archiepiscopus.

Georgius a Petra, ex decano successit, et transiit ad S. Castoris archidiaconatum. Qui sequenti anno 1533 diligenti cura sui archidiaconatus suscepta, multos parum idoneos ad curam animarum, sine canonica institutione admissos, excommunicationis sententia perstrictos, officio pastorali vel submovit, vel interdixit. Obiit 27. decembris 1533.

Cuno a Metzenhausen, praepositus Limburgensis, Joannis archiepiscopi nepos, juravit 29. maji 1534, obiit ão 1563, die 26. junii seu 1. julii. Fuit etiam praepositus Limburgensis.

Wolffgangus ab Eltz, praepositus S. Paulini, Jacobi III. archiepiscopi nepos, nominatus 17. junii 1570, resignavit ão 1579.

Wilhelmus Quadt a Landskron, alterius ab Adolpho supra memorato stirpis, praepositus Limburgensis, nominatus 12. februarii 1580, occ. etiam ão 1597 et 1598. Expost hunc cum D. Petri archidiaconatu commutavit. Obiit ante 22. novembris 1603.

Philippus Jacobus Husmann a Namedy, occ. 1609—1617.

Joannes Wilhelmus Husmann a Namedy, praepositus Limburgensis, occ. ão 1619.

Carolus a Metternich, Lotharii in paucis spectatus nepos, sed sub Philippo Christophoro iniquitate temporum aemulorumque non parum jactatus, occ. 1623—1635, obiit 1636, 2. nov. Fuit Carolus simul canonicus Leodiensis.

Hermannus Otto, princeps de Nassau in Hadamar, supra a nobis memoratus, hoc officio decessit, ut honoratiore frueretur. Resignavit autem 27. aprilis 1654.

Damianus Hartardus, baro a Petra, jam supra memoratus, nominatus 18. maji 1654, occ. etiam 1657, sed expost hoc munere abiit.

Carolus Henricus, baro a Metternich, Winneburg et Beilstein, resignata aõ 1663 in manus aliorum archidiaconia Lubentiana, ad hanc S. Castoris nominatus, aõ vero 1679 electus est in archiepiscopum Moguntinum (9. januarii) et in episcopum Wormatiensem. Obiit 26. septembris ejusdem anni 1679.

Damianus Henricus Ferdinandus a Petra in Nickenich, jur. 31. januarii 1679, occ. 1682—1708, obiit 1714, 8. martii.

Casimirus Ferdinandus Adolphus Walbott in Bassenheim, occ. 1720 et 1729, obiit 6. novembris 1729.

Joannes Ferdinandus Fridericus de Rollingen, nominatus mense dec. 1729, defunctus aõ 1735.

Damianus Henricus, comes ab Eltz, nominatus 25. novembris 1735, obiit 20. febr. 1737.

Josephus Franciscus a Kesselstatt, nominatus 12. aprilis 1737, praepositus aõ 1743.

Joannes Fridericus Arnoldus Adolphus, marchio ab Hoensbroech, occ. aõ 1743, expost praepositus major.

Joannes Philippus Greiffenclau in Vollraths, nominatus 29. augusti 1750.

Franciscus Carolus Antonius Everardus a Dalberg, nominatus 21. maji 1760.

Christianus Franciscus ab Hacke, nominatus 12. aprilis 1777.

Joannes Philippus Franciscus Hyacinthus, comes a Kesselstatt, nominatus 24. octobris 1793. Aõ 1795 electus est in decanum majorem.

Franciscus Christophorus Carolus Philippus Hugo a Frankenstein.

Archidiaconi tit. S. Agathae Longuioni.

Hademold, 924.
Hungerus, 1052.
Bruno, 1068, 1075.

Theodoricus de Winesperch, ão 1256.

Godefridus, comes de Sponheim, Joannis, comitis in Starkenburg frater, juravit 26. januarii 1354, occ. 1378 et 1390.

Joannes, comes ab Isenburg, occ. 1402.

Bruno de Hammerstein, occ. 1409—1425, obiit ante 29. junii 1429.

Joannes Greiffenclau in Vollraths, occ. 22. decembris 1429—1462. Gens illa priscis majorum temporibus in nonis decimisque ludis equestribus non obscure cognita.

Philippus de Savigny, occ. 1443.

Philippus, comes ab Isenburg in Büdingen, praepositus S. Paulini, juravit 26. aprilis 1464, occ. 1467, sepultus in coemiterio primariaę aedis, ubi epitaphium ejus hoc, parieti Andreani sacelli infixum, legitur: *Hic jacet generosus ac nobilis dominus Philippus comes de Isenburg archidiaconus et canonicus ecclesiae Trevirensis, qui obiit anno Domini 1470, 7. die mensis februarii C. A. R. I. P.*

Everhardus de Hohenfels, dominus in Reipoltzkirchen, juravit 14. martii 1470, occ. etiam 1478 et 1479, decanus ão 1480.

Philippus de Savigny, juravit 11. decembris 1480, occ. ão 1500, obiit 2. decembris 1501.

Theodoricus de Rollingen, juravit 25. februarii 1502, obiit ão 1534.

Joannes ab Isenburg, juravit 14. novembris 1534; ão 1547, 20. aprilis, creatus archiepiscopus, gladio pedum, nec sine laude, sociavit.

Georgius de Sayn, comes de Wittgenstein, occ. 1548 et 1551, juravit 7. augusti 1548.

Godefridus a Walderdorf, juravit 13. julii 1551, occ. 1557—1570, decessit senior canonicus et archidiaconus ão 1570, 10. januarii (more Trev. sicut proloquitur ejus epitaph.) conditus ante oratorium S. Pauli, quod instaurandum curavit; pervetustae stirpis et jam olim inter equestres spectatae progenies, cui ante saecula jam aliquot, gravis cum vicinis de Nassau comitibus intercessit aemulatio, quae cum usque ad

concertationem mutuam exarsisset, Ottone Nassovico succumbente, Adelheida ejus conjux, cum Henrico et Ottone filiis, conciliatione admissa, Godefrido et Wilderico equitibus Walderdorfianis, publico diplomate, quidquid culpae intervenerit, satisfactione jam abunde praestita, se remittere professi sunt, stabilemque deinde cum Walderdorfianis pacem, amicitiamque fore, sunt contestati ãõ 1352. Nec promissis hactenus defuisse fidem satis est compertum.

Wilhelmus Quadt a Landskron. Nominatus 23. novembris 1571, occ. 1573 et 1579.

Philippus Jacobus Husmann a Namedy, juravit 1. februarii 1585, occ. adh. 1598, expost archid. tit. S. Castoris. Commissarius archidiaconalis idem Husmann 1584, et 1583 scholasticus major.

Theodoricus ab Horst, 1602—1617, 1624.

Joannes Wilhelmus Husmann a Namedy, occ. 1617.

Joannes Greiffenclau in Vollraths, ejusdem cum superiore nominis generisque, sed aetatis proximae, occ. 1628—1646.

Wolfgangus Fridericus a Coppenstein, notus XVII. saeculo (floruit ãõ 1650) senex, cujus familiae in ludis equestrium decimis, anno salutis 1165, nomen auditum est.

Joannes Hugo ab Orsbeck (juravit 23. nov. 1658) modestia ac humanitate carus praesul, materna, quae est ex Leyanorum stirpe, linea vetustissimae genti asserendus, neposque Caroli Caspari, electoris Trevirensis, nec paterna hinc longe serie submovendus, quandoquidem priscus heros, Stephanus, illius gentis dynasta, cum Isenburgico comite memorabili, at parum felici certamine ãõ 1341 commissus legitur. Nundinis enim solennibus in festo B. Remigii Coloniae ex more institutis, ludisque celebratis equestribus, ille cum comite hastis congressus, laxata inter thoracem et galeam via, tam validum excepit in collo ictum, ut eliso gutture exanimaretur, equo tamen adhuc armatus, et tanquam illaesus consideret, donec nutans denique et famulorum ope depositum cadaver est deprehensum. — Joannes Hugo occ. adhuc ãõ 1675 in archidiaconatus munere; ãõ 1672, 7. januarii, factus est coadjutor

Trevirensis, aõ 1675, episcopus Spirensis, aõ 1676, 23. julii archiepiscopus Trevirensis. Obiit 6. januarii 1711.

Henricus Hartardus a Rollingen in Ansembourg, occ. 1677 et 1686; episcopus Spirensis 6. februarii 1711, obiit aõ 1719, 30. nov., 86 annorum.

Casimirus Ferdinandus Adolphus Walbott in Bassenheim, aõ 1716, expost archidiaconus tit. S. Castoris.

Carolus Casparus Wilhelmus a Gymnich in Vischel, aõ 1724, 1725, 1729, obiit aõ 1739, die 13. maji.

Joannes Fridericus Arnoldus Adolphus, marchio ab Hoensbroech, nominatus 16. maji 1739, occ. etiam 1742, expost archidiaconus tit. S. Castoris.

Lotharius Ferdinandus a Metternich in Mülenark, juravit 11. junii 1743, occ. 1745 et 1752.

Franciscus Carolus Antonius Everhardus a Dalberg, nominatus 13. junii 1753, archidiaconus S. Castoris aõ 1760.

Carolus Emmericus ab Hagen, nominatus 20. junii 1760, expost archidiaconus tit. S. Lubentii.

Ludovicus Wolfgangus Schenk a Schmidtburg, nominatus 26. decembris 1773, jur. 17. jan. 1774, obiit 13. junii 1780.

Christianus Franciscus ab Hacke, nominatus 12. julii 1775, archidiaconus tit. S. Castoris aõ 1777.

Joannes Hugo Ferdinandus, baro de Boos, nominatus 12. aprilis 1777, archidiaconus tit. S. Lubentii aõ 1780.

Christophorus Adolphus Carolus, comes ab Ingelheim, dictus Echter a Mespelbrunn, nominatus 10. januarii 1780, obiit 3. septembris 1784.

Franciscus Philippus, comes a Walderdorf, praepositus Limburgensis, nominatus 15. septembris 1784, resignavit aõ 1792.

Carolus Wilhelmus Josephus, marchio ab Hoensbroech, nominatus 8. aprilis 1792.

Archidiaconi tit. S. Mauritii in Tholeya.

Wernerus de Falkenstein, aõ 1287.

Robertus de Ulmena, aõ 1298.

Henricus, comes de Virnenburg, occ. ão 1306.

Joannes, occ. 1319—1350.

Georgius, ex comitibus de Veldentia, floruit ão 1378—1399, celeberrima jam olim in primis caeterisque ludis equestribus comitum familia proseminatus.

Adolfus ab Epstein, occ. ão 1419.

Ulricus de Manderscheidt, Jacobi a Sirk et Rabani in dignitate archiepiscopali infelix aemulus, occ. 1430, 1437, 1438.

Joannes de Lewenstein, alias de Randeck, occ. ão 1440 et 1442.

Roricus de Reichenstein, ão 1455 hoc in ordine succenturiatus, occ. etiam ão 1462.

Joannes de Vinstingen, ão 1467.

Wigandus a Nassau, nominatus 25. aprilis 1469, cujus tumulus in porticu primariae basilicae, ad orientalem partem templi B. Virginis, ubi mortis annus signatus 1471, dies 20. mensis octobris.

Philippus, ex advocatis de Hunolstein, juravit in crastino S. Elisabethae 1471, occ. etiam ão 1473 et 1477, antequam decani honorem adiret.

Fridericus de Brandenburg in Clerff, juravit 6. decembris 1480. Ut ex actis anni 1492 colligimus, judicis et officialis munus sustinuit; parentibus ortus Friderico a Brandenburg, domino in Clerff, et Francisca ab Erckenthyl (Argenteau), frater ei Godefridus a Brandenburg, dominus in Clerff et Meysenburg, cujus uxor Catharina a Schynen: quorum omnium ipse saluti, ut et aliorum propinquorum consulens, sacris faciundis annuam pensionem primarii templi sacerdotibus legavit. Fridericus occ. adhuc ão 1498, obiit ante 17. octobris 1501.

Otto a Breidbach, cui amplissimis verbis amici parentarunt, non solum ut archidiacono, sed D. Martini apud Vangiones praeposito, ecclesiarum Bassenheim et inferioris Lemenae pastori, civilis et pontificii juris candidato, admirandae pietatis ardore flagranti, pauperum, aerumnis et tyrannide oppressis, liberaliter et mature consulenti; post multos exantlatos labores obiit septuagenarius, anno post Christum 1523, die 6. octobris.

Otto occ. in scriptis ão 1502—1516: praeposituram S. Martini resignavit ão 1519, in favorem Richardi archiepiscopi Trevirensis. Expost, archidiaconus tit. S. Lubentii, uti in epitaphio majoris aedis.

Georgius a Criechingen, occ. 1523—1531.

Eberhardus, comes de Manderscheidt, occ. 1536, nec non 27. aprilis 1547, expost archidiaconus tit. S. Lubentii, juravit 12. febr. 1533, resignavit ante 22. decembris 1547.

Godefridus a Walderdorf, 17. januarii 1549, resignavit ão 1551, 13. julii, expost archidiaconus tit. S. Agathae.

Reinerus a Pallant, juravit 14. julii 1551, occ. etiam ão 1553.

Philippus, comes de Manderscheidt, juravit 11. octobris 1557, occ. 1560—1579, obiit ão 1580.

Philippus Christophorus a Sötern, archiepiscopi hujus nominis patruus, et patrinus, genere etiam perantiquo, ludis VI. anno 1029 celebrato, nominatus fuit ão 1580, 19. octobris, obiitque 14. junii 1592. Decanus nobilis capituli in Sinsheim elect. 7. febr. 1572 insimul canonicus Spirensis.

Antonius Walbott in Bassenheim, antiquissimae nobilissimaeque familiae, a qua Teutonicus ordo olim inchoatus est circa annum 1191. Antonius occ. ão 1600, 1623, 1625, obiit 1629, 22. sept., insimul praepositus Moguntinus.

Erasmus ab Horst, obiit ão 1650 in thermis Embsanis; vir sapientia ac virtute spectatissimus.

Joannes Ludovicus Wilhelmus ab Eltz, 1655, decanus 16. septembris 1658.

Joannes Emmericus Wilhelmus, baro a Metternich-Winneburg et Beilstein, nominatus 25. sept. 1658, obiit 9. martii 1667.

Wilhelmus, baro a Fürstenberg, ex antiquissima Westphaliae nobilitate, Ferdinandi, celsissimi principis Paderbornensis frater, duorum pontificum, Alexandri VII. et Clementis IX. sibi in sede Romana succedentium, camerarius intimus, juravit 25. augusti 1667.

Hugo Emmericus ab Eltz, 1682, obiit 11. martii 1698.

Casimirus Ferdinandus Adolphus Walbott in Bassenheim, obiit 6. novembris 1729.

Anselmus Franciscus Ernestus a Warsberg. Aõ 1718 factus est archidiaconus tit. S. Lubentii.

Damianus Henricus ab Eltz, 1729. Aõ 1735 factus est archidiaconus tit. S. Castoris.

Joannes Balduinus ab Holtrop, nominatus 3. decembris 1735, obiit aõ 1744.

Lotharius Carolus Franciscus Josephus Schenck de Schmidtburg, nominatus 10. septembris 1744, archidiaconus major 13. aprilis 1757.

Carolus Josephus a Dalberg, nominatus 11. maji 1757.

Christophorus Adolphus Carolus, comes ab Ingelheim, nominatus 11. januarii 1769, archidiaconus tit. S. Agathae 1780.

Carolus Wilhelmus Josephus, marchio ab Hoensbroech, nom. 10. januarii 1780, archidiaconus tit. S. Agathae, aõ 1792.

Josephus Adolphus Aldephonsus, marchio ab Hoensbroech, nominatus 8. aprilis 1792.

Lotharius Franciscus a Fechenbach.

Capitulares canonici anno 1669.

Ut praesentium, dum haec scribo, meoque huic labori suffragantium aliqua perstet apud posteros memoria, hos velut historiae Trevericae testes ac mecoenates accensere volui, qui hodiedum ex prisca nobilitate metropolitanae ecclesiae capitularium nomine assistunt. In his:

1. Damianus Hartardus, baro de Petra, praepositus.

2. Joannes Ludovicus Wilhelmus ab Eltz, decanus.

3. Lotharius Fridericus, baro a Metternich, archidiaconus tit. S. Petri.

4. Joannes Philippus, baro a Walderdorf, archidiaconus tit. S. Lubentii.

5. Carolus Henricus, baro a Metternich, archidiaconus tit. S. Castoris.

6. Joannes Hugo ab Orsbeck, archidiaconus tit. S. Agathae.

7. Wilhelmus, baro a Fürstenberg, archidiaconus tit. S. Mauritii.

8. Casimirus Wilhelmus a Wiltberg, summae aedis scholasticus.

9. Franciscus ab Horst, qui in nuper demortui Wiltbergi locum scholasticus delectus successit.

10. Anselmus Casimirus Walbott, baro de Bassenheim in Königsfeld.

11. Damianus Emmericus ab Orsbeck, summae aedis thesaurarius, sive custos.

12. Henricus Hartardus a Rollingen.

13. Joannes Fridericus, dominus ab Eltz.

14. Wernerus Fridericus, baro ab Harff in Drimborn, summae aedis cantor.

15. Joannes Wilhelmus, baro de Gymnich in Vischel.

16. Christianus ab Horst.

Canonici capitulares nec non extracapitulares anno 1798:

Praepositus major: Philippus Franciscus Wilhelmus a Walderdorf in Molsberg et Isenburg, episcopus Spirensis.

Decanus major: Joannes Philippus Franciscus Hyacinthus, comes a Kesselstatt, in Becond, Rivenich et Ternich.

Archidiaconus major, tit. S. Lubentii: Christianus Franciscus, baro ab Hacke.

Archidiaconus tit. S. Castoris in Cardona: Franciscus Christophorus Carolus Philippus Hugo, baro a Frankenstein.

Archidiaconus tit. S. Agathae in Longuion: Carolus Wilhelmus Josephus, marchio ab Hoensbroech.

Archidiaconus tit. S. Petri: Josephus Adolphus Ildefonsus, marchio ab Hoensbroech.

Archidiaconus tit. S. Mauritii in Tholeya: Lotharius Franciscus, baro a Fechenbach.

Jubilarius: Damianus Fridericus, comes a Petra in Hohengeroldseck, praepositus Moguntinus.

Custos: Franciscus Erwinus, comes a Petra in Hohengeroldseck.

Scholasticus: Fridericus Franciscus, baro ab Harf in Dreyborn.

Sacellanus domini: Joannes Fridericus Hugo, baro a Dalberg.

Emmericus Josephus, baro a Beissel in Gymnich.

Augustus Philippus Josephus, baro ab Hacke.

Josephus Christianus, baro ab Hompesch.

Emmericus Josephus, baro de Warsberg.

Philippus Antonius Michael Joannes Nepomucenus, baro de Venningen.

Canonici extracapitulares.

Joannes Philippus Nepomucenus, baro ab Heddesdorff.

Carolus Theodorus, baro de Warsberg.

Josephus Clemens, baro a Vorst in Lombeck-Gudenau.

Clemens Wenceslaus, comes ab Eltz.

Clemens Wenceslaus, comes a Kesselstatt.

Maximilianus Franciscus, baro a Beissel in Gymnich.

Emmericus Josephus, baro a Fechenbach in Sommerau.

Fridericus Augustus Wilhelmus Leopoldus, baro Schütz in Holzhausen.

Franciscus Lotharius, baro ab Horneck in Weinheim.

Wilhelmus Ernestus, baro a Wambold.

Franciscus Carolus, baro ab Heddesdorff.

Fridericus Carolus, baro Ritter in Grünstein.

Wilhelmus Philippus Josephus, baro a Waldenfels.

Franciscus Lotharius, baro a Breidbach in Büresheim.

Otto Philippus, baro Greifenklau in Vollraths.

Fridericus Carolus, comes a Schönborn.

Fridericus Carolus Josephus, comes a Stadion.

Lotharius Franciscus, comes ab Eltz.

Josephus Ignatius, baro a Beroldingen.

Lotharius Franciscus, baro ab Harf in Dreyborn.

Josephus Clemens, comes de Westphalen.

Fridericus Carolus, comes a Kesselstatt.

CAPUT X.

Metropolitanae aedis species et monumenta.

Metropolitana haec aedes, perquam sane visenda ac magnifica, sive operis vetustatem, sive elegantiam spectes. Ex palatio quondam D. Helenae, Constantini magni parentis, excitata fuit, visiturque ejusdem palatii murus vetustissimus Romano opere, is, qui ad laevam ex area templum subeuntibus, septentrionalem ejus faciem claudit, tum ingentis columnae fusilis pars, mole sua atque opere admiranda, quae dexterum ante ostium ad spectaculum relicta est. An tamen haec, quae superest aedis forma, Helenae temporibus impensisque excitata basilica sit, jure ambigas, cum priscis ab eadem Bonnae, Coloniaeque, ut creditur, erectis Deo Divisque templis, forma artificioque non respondeat. Caeterum ut ad orientem suam cum illustri choro subterraneam cryptam, ita et ad occidentem possidet; et hic quidem tanquam in fronte geminis assurgit turribus, medium, qui D. Nicolai dicitur chorum spectantibus. Porro hic chorus reliqua adhuc templi facie vetustatis pristinae rugos prae se ferente, novam hodie imaginem induit, tum magnificentissimo omnium, quod tota aede extat, mausolaeo moderni archiepiscopi Caroli Caspari, tum fornicis, laterumque ornamentis non vulgaribus. Et sepulchri quidem lapis gemina mensa, altera, quae superior est, effigiem, habitumque archiepiscopi viventis, inferior altera, mortui, osseique complectitur; supra quem assurgit ara, duplicatis a fronte, tergoque, Christi, Sanctorumque simulacris spectabilis, ad quam per marmoreos 11 gradus hinc atque hinc sepulchrum medium ambientibus patet inter columnas aditus. Post quem receptis choro clericis, nova circumquaque patent sedilia, tum ad certa festorum solennia istic celebranda, tum ad anniversariam, quam archiepiscopus idem fundavit, recolendam memoriam. Parietes innovati certis in loculis diversa exhibent signa Sanctorum, fornix chori magnificis

ex gypso figuris artificioso opere illustratur. Alterius summi chori ornamenta, cum singularia non sint, praetereo, solum praecipua ejus templi, quae per navem sparsa sunt, et cum aris fere conjuncta monumenta archiepiscoporum sepulchralia, paucis recenseo.

1. In choro S. Nicolai sepelitur archiepiscopus Balduinus, sub niveo lapide, in mensae speciem satis elevato.

2. Ibidem sub atro marmore, eadem fere in forma, minus tamen elevatum, Joannis Badensis monumentum spectatur.

3. Henricus de Vinstinga post templi ingressum, ad dextram, versus D. Virginis aedem, sepulchro decumbit non admodum magnifico.

4. Lotharius a Metternich juxta tertiam a dextris columnam decumbit, cum illustri ara, B. V. assumptae dicata.

5. Otto de Ziegenhayn e regione sacrarii, juxta aram, sub humili lapide depositus est.

6. Adelbero ante altare S. Stephani, ad dextram majoris chori quiescit.

7. Ad septentrionale latus, juxta ostium, e regione chori ejusdem, Joannes a Metzenhausen.

8. Juxta ipsum chori sinistri latus, Jacobus ab Eltz nobili epitaphio conditur.

9. Non prohul hinc, ad ostii lateralis ingressum, Boëmundus II. jacet.

10. Vicinus Joannes a Schönenburg nobili sub conditorio, juxta aram resurrectionis Domini.

11. Joannes Ludovicus ab Hagen inter secundam tertiamque columnam situs est.

12. Ante secundam columnam, in medio, ante aram S. Crucis Richardus a Greiffenclau visitur.

13. Nuper quoque Philippus Christophorus a Sötern monumentum sepulchrale ex marmore, in arae speciem, vicino muro innixum, nactus est; nondum plane absolutum.

Praeter hos, in templo collaterali Deiparae Virginis Jacobus a Sirck, archiepiscopus, ad introitum chori sub elevato ad

mensae formam monumento quiescit. Quorum epitaphia, cum suis in annalibus locis exhibeantur, hic repetere otiosum mihi est visum.

CAPUT XI.

Metropolitanae aedis reliquiae.

Quatenus sacrarum reliquiarum jam olim in ecclesia honos fuerit, D. Helena, magni Constantini parens, abunde testatur, quando saeculi quarti a Christo nato principio exquisitissimis ecclesiam Trevericam sanctorum et togae Dominicae reliquiis ad nos ab Oriente, magnis terrarum intervallis sollicite, reverenterque translatis, ornavit, et hoc religionis pignore, populi hujus pietatem magnopere accendit, siquidem ab illa aetate, quam ab apostolicis discipulis fidem hauserat, illibatamque ab omni haeresis corruptione ad Helenam usque traduxerat, tantis firmata sanctorum pignorum subsidiis, nulla deinceps pravitate ad hunc diem usque, subvertit, verum inter pullulantes circumquaque, atque insultantes, quandoque etiam importune, haereses tanquam Marpesia quaedam inter fluctus oceani cautes immota stetit, avitae memor, tenaxque religionis. Hinc illa priscae sanctimoniae gloriosa per ecclesias Trevirorum monumenta, icones et reliquiae divorum Christo et apostolis, eorumque sequacibus, venerationis gratia pie custodiuntur, ceu detracta quaedam servataque spolia, ut quorum societatem olim speramus in coelis, horum vel in cineribus ossibusque, ac caeteris vitae passionisque instrumentis memoriam invitationemque foveamus in terris, majori utique ad virtutem emolumento, quam gentiles olim Aegyptii, aliique hujus mundi potentes, suorum proavorum cineres in mausolaeis, aut pyramidibus ad seram posteritatem observandos, recolendosque, transmisere. Ut erubescenda merito impietate quidam nostrorum temporum

haeretici insolescant, qui facilius iconem apud se nudae Veneris, aut patibularii cujuspiam scelerum, osque elephantis, aut draconis exuvias, quam herois cujuspiam, sanctitate vitae conspicui, patientur.

Interea hanc ego Trevericis felicitatem agris, incolisque perennem esse desidero, exoptoque, ut sacris hisce reliquiarum thesauris, et avitae pietatis illecebris nunquam destituantur, et quas D. olim Eucharius cum baculo apostolico D. Petri primum intulit, D. Helena demum locupletavit reliquias, solus dies ab illis auferat mundi extremus.

Nunc ordine has aliquo, prout superiori saeculo, Maximiliano caesare Treviris praesenti, exhibitae, atque in syllabum aliquem digestae sunt, juverit ex manuscriptis juxta, impressisque tabulis commemorare.

De toga inconsutili Salvatoris, diu ob metum transferendi recondita, postea agemus, praemissis ante reliquiis in templi metropolitani sacrario asservatis, quae ex more quotannis in hebdomade sancta et festis pentecostalibus ad memoriam, venerationemque exhiberi solebant.

Videlicet, 1. Dominicae crucis pars una notabilis, in signum crucis efformata, et pars altera informis. Utraque per Agritium, primum archiepiscopum Trevirorum, D. Helena suppeditante, ex Oriente translata.

2. Clavus Domini, quo Servator noster cruci suffixus dextero (ut quibusdam argumentis conjectantur) pede fuit, cujus acumen, ut alibi memini, non sine prodigio avulsum, Tullensis hoc tempore ecclesia sibi vendicat.

3. Pars veli, quo Deipara Virgo Maria caput obvelare erat solita.

4. Pars insignis ossis brachialis D. Annae, parentis Deiparae, quo parvulam lactantem pia mater sustinuit.

5. Apostolorum principis, D. Petri, os notabile ex brachio, dens ejusdem quoque, et geminae ansae ex catena, quam angelus, ejusdem liberator, in carcere dissolvit.

6. Ex D. Pauli apostoli, gentium doctoris, pars ossea non ignobilis.

7. Caput S. Matthiae apostoli, cujus reliquum corpus sibi abbatia benedictinorum extra meridionalem urbis plagam sita, et ab eodem apostolo nuncupata, vendicat. Munus a D. Helena ad patrii soli sub tanto protectore caelestem tutelam rara beneficentia profectum.

8. Dens S. Joannis Baptistae.

9. Baculus pastoralis D. Petri, quo S. Maternus elegiae, haud procul Argentorato, post quadraginta dierum mortem ad vitam excitatus, totidem postea annis magno fidei, et salutis multorum emolumento superfuit; cujus partem Ubiorum Colonia, ubi idem divus episcopatu functus est, possidet.

10. Caput S. Lazari episcopi, fratris D. Mariae Magdalenae, a Christo ad vitam revocati.

11. Caput S. Helenae matris Constantini magni, quod translatis Roma in Galliam, tanquam patriam, imperatricis reliquiis, Trevirensi metropoli, velut natali ejus solo concessum est (Tritthemius, in Chron. Hirsaugiensi, anno Christi 339 per Theogisum monachum Remos translatum corpus fuisse memorat, et caput Trevirim; certum est, quod Cuno archiepiscopus caput illud ão 1367, 20. decembris, ecclesiae metropolitanae donavit). Accedit corona ejusdem divae, et pecten ex ebore, quo ad comas componendas usa est; poculum ex jaspide, ex quo bibere solita fuit, cimeliumque omnino pretiosum, quo S. reliquias inscriptione signatas, complexa fuit. Ad haec portatilis ara ex lapide sepulchrali Christi excisa, qua per diversa itinera ad sacrificium missae uti consueverat: partem quoque ex sacra Domini mensa, coenae ultimae adhibita, quam ex Oriente traduxerat, Trevirensibus suis reliquit.

12. S. Silvestri pontificis, qui Constantinum magnum, Helenae filium, baptizavit, sui etiam in reliquiis memoriam apud Treviros habet.

13. Notabiles ex S. Barbara virgine ac martyre reliquiae, quae singularis morientium patrona est, pro felici vitae exitu impetrando.

14. Oleum in ampulla vitrea, quod ex sepulchro S. Catharinae virginis et martyris, ad multorum sanitatem, distillat.

15. Quinque grana ex coelesti manna, quo Israelitae coelitus in deserto refecti sunt.

Praeter has reliquias metropolitana aedes multo plures cum ipsa toga Dominica reconditas habuit, quod illam paucis consciis, periculis bellorum ingruentibus, non raro Trevirenses archiepiscopi, velut thesaurum nobilissimum recondere soleant, unde gnaris latebrarum subinde vita functis, accidit, ut suis toga recessibus ignota tegeretur. Ita circa annum Christi 1196, Joanne I. archiepiscopo sedem moderante, aedemque summam instaurante, in ara D. Nicolai ignorata diu Servatoris nostri vestis haec inconsutilis reperta est, et publica ostensionis celebritate magno populi gaudio culta, atque in aram maximam chori majoris nonnullis testibus reverenter est deposita. Verum lapsis inde saeculis tribus, sub Richardo archiepiscopo, cum Maximilianus imperator magno principum imperii comitatu stipatus adventaret, singularique desiderio togae salutaris videndae teneretur, Richardus latebrarum nescius, preces singulis religiosorum familiis indixit, ut in latentis thesauri hujus cognitionem veniret. Nec frustra, nam aperta majori ara, imperatorem, multosque cum eo mortalium voti compotem, reperta et exhibita palam toga fecit, quod anno salutis 1512, die aprilis 14, tribus cistis ex altaris cavitate productis evenit. Quarum reliquias ut in indicem id temporis relatae, publicisque subinde typis vulgatae sunt, recensere ad memoriam posteritatis conveniet.

Prima cista, ex ligno simul atque ebore affabre elaborata, et magno sigillo munita, togam Domini inconsutilem, cum alea militum, pro veste Christi sortientium, eidem apposita, et cultro coenae, jam rubigine pene adeso, complectebatur.

Altera cista, suppari concinnata materia et arte, diversas Sanctorum reliquias continebat, nempe:

1. pannum infantilem, quo Christus in praesepi fuerat involutus;

2. in cruce argentea duas e cruce Dominica particulas;

3. ex praesepio Servatoris. Rursum ex columna, ad quam

flagellatus; denique ex lapide, in quo digito suo scripserat. Postremo nonnulla ex ejus sepulchro.

4. Pannus, quo accinctus pedes discipulorum in ultima coena laverat.

5. Pars aliqua togae Deiparae Virginis.

6. Reliquiae S. Pauli apostoli, et aliae S. Lucae evangelistae.

7. Quaedam ex S. Silvestro papa; S. Laurentio, S. Getulio, martyribus.

8. Aliae reliquiae SS. Chrysanthi et Dariae, SS. Marcellini et Petri, SS. Largi et Smaragdi, martyrum.

9. Nonnullae de S. Irmina virgine, Dagoberti I. filia, et S. Apollonia martyre.

10. Quaedam ex manna coelesti.

Tertia cista lignea, tribus vincta catenis ferreis, quas superne argenteus vetustae monetae nummus, cui insculptum: *Sanctus Maternus*, nam illius sancti corpus, una cum capite, inclusum tenebatur.

Haud multo post, die ejusdem mensis aprilis 22. incessit eundem principem desiderium lustrandi reliquias, quas argentea quaedam cista clausas arae D. Petri maximae imposuerant. Hanc ergo archiepiscopus cum DD. capitularibus, quam nulla suorum memoria patuisse noverant, in choro reseratam scrutati sunt, ac sequentibus locupletatam reliquiis invenerunt.

1. Caput S. Cornelii papae et martyris, cum parte spinae dorsualis; cum ossibus S. Severi confess. de quo D. Gregorius in suis dialogis; S. Gregorii Spoletani, confessoris; S. Faustini martyris.

2. In parte cistae inferioris repertae sunt reliquiae S. Florentini, S. Diogenis mart., S. Fortunati episcopi, S. Felicis mart., S. Brictii episcopi et martyris, cum aliorum SS. reliquiis.

3. Argenteae etiam cruci inclusae particulae S. Xisti, papae et martyris, S. Dionysii mart., S. Rustici, episc. et mart. Trevir., S. Eleutherii mart., SS. Fabiani et Sebastiani, martyrum, S. Germani et Medardi episc. particula quoque s. crucis et sepulchri Dominici.

4. In cistula ex ebeno, inclusa cistae majori, reliquiae plures depositae, ut S. Fortunati episcopi, S. Modestae virginis, et fratris ejus S. Modoaldi, Trevir. archiepiscopi. Digitus S. Mansueti, S. Banti confess. Trevir. S. Basilissae virg. SS. Laurentii et Stephani, pontificis et martyris. Item S. Bonifacii, Diogenis, Fabiani, Largi, Smaragdi, Crescentiani, Vincentii, Cyriaci, martyrum. Ex sede D. Petri et solea D. Andreae.

Anno denique salutis 1513, die aprilis 13, in opposito choro D. Nicolai, aram hujus sancti perfregerunt metropolitani canonici, ut rationem illarum, quae istic latebant, reliquiarum inire possent, repertaque ingens cista est, a Joanne I. supra memorato archiepiscopo obsignata, in qua inventae sunt reliquiae sequentes, et ad venerationem in festo SS. apostolorum Philippi et Jacobi, quod solenni dedicationi sacrum est, exhibitae.

1. S. ipsius Nicolai episcopi notabilis pars corporis. S. Barbarae, ut humeri cum ossibus brachiorum mola, costae geminae cum spina dorsi, vertebrae granum &c.

3. Multae partes corporis D. Gregorii Spoletani, ex capite, humeris, spina, ossibus brachiorum, tibiarum, pectoris &c.

4. Ex Faustino martyre, partes etiam diversae.

5. Ex Banto confessore, humerus cum aliis partibus.

6. Minus notabiles reliquiae, variae admodum, ut ex S. Stephano protomartyre, S. Silvestro pontif., ex S. Benedicto abbate et S. Scholastica sorore; ex S. Materno episcopo, S. Cornelio papa et martyre, S. Felice episcopo Trevir. et martyre, SS. Hippolyto, Gangolfo, Agapito, Leodegario, Bonifacio mart., SS. Fortunati, Udalrici episcopi, SS. Sophiae, Basilissae et Margarethae virginum.

7. Ex perizomate Christi, opera Deiparae elaborato. Ex cruce Christi et cunis ejusdem pars aliqua, cum lapide D. Stephani, quem D. Helena ex Oriente attulit.

8. Denique plures illic reliquiae, quarum inscriptio periit, aut certe fugientibus characteribus illegibilis reddita est, inventae fuere.

Has, aliasque reliquias, certis in cistis distributas, anno Domini 1512, in festis paschalibus, videlicet feria IV. quae in 14. aprilis incidit, praesentibus reverendissimo in Christo patre, Richardo, electore Trevirensi, una cum illustr. canonicis metropolitanis, Everhardo ab Hohenfels, praeposito, Philippo de Criechingen, decano, Georgio a Petra, archidiacono ecclesiae metropolitanae, Joanne de Mudersbach, archidiacono tit. S. Lubentii in Dietkirchen, Theodorico de Rollingen, archidiacono tit. S. Mauritii in Tholeya, Philippo de Rollingen, scholastico, Arnoldo, ex comitibus de Salm, praeposito S. Paulini, Georgio de Criechingen, Christophoro de Rheineck, custode, Joanne de Orley, Joanne de Metzenhausen, augustissimus Romanorum imperator Maximilianus, cum universo principum comitatu, egregio venerationis sensu conspexit,. tum dictis jam ante festivitatibus, tum in exequiis Mariae Blancae, imperatricis, maxima solennitate in festo inventionis S. Crucis, quae fuit 3. mensis maji, in summa aede celebratis, quando universo eaedem populo late confluenti, demonstratae sunt.

Praeter has tamen, cum in sacello archiepiscopi domestico nobiles praecipuaeque ex apostolis reliquiae contineantur, earum, quae insigniores sunt, meminesse hoc etiam loco est visum.

Reliquiae sacelli archiepiscopalis.

Sacellum hoc eleganti opere, fornicis praecipue ad perspectivae artem formati, in ipsa archiepiscopali Trevirorum arce a Philippo archiepiscopo excitatum est, quod domesticis in sacris frequentari a principe, incolisque arcis solet. Rarae hic in adjuncta capellae sacristia reliquiae conduntur.

1. Os brachii sinistri S. Petri apostoli pene integrum.
2. Os tibiae S. Jacobi apostoli, cum alia notabili ejus parte.
3. Os palmare sectum S. Jacobi majoris, apostoli.
4. Os bipalmare S. Matthiae apostoli.
5. De cute S. Bartholomaei, et sesqui palmaris pars brachii.
6. S. Thomae apostoli dens.
7. S. Philippi et Barnabae, apostolorum, partes aliquae.

8. Spina una major, cum duabus minusculis et parte fruticis de spinea corona Christi Domini.

9. Caput unum Sanctorum innocentum martyrum.

10. S. Stephani, protomartyris, pars cranii et costae.

11. S. Laurentii, martyris, pars palmaris.

12. Caput S. Sebastiani, martyris, magnis solemnitatibus exponi solitum.

13. SS. Marcellini et Petri, martyrum, ossa tria notabilia.

14. S. Cypriani, episcopi et martyris, mandibula inferior.

15. S. Gangolphi, martyris, pars fere palmaris.

16. Caput S. Basilii magni, et os ejus notabile.

17. Caput S. Modoaldi, archiepiscopi et confessoris Trevirensis.

18. S. Maximini, archiepiscopi et confessoris Trevirensis, ossicula VII. manuum.

19. S. Mari, archiepiscopi et confessoris Trevirensis, pars spinae dorsi et ossiculum humeri.

20. S. Felicis, archiepiscopi et confessoris Trevirensis, pars costae.

21. S. Materni, episcopi Trev. dens, pars cranii et aliorum membrorum.

Ita archiepiscopis in sanctis decessorum suorum reliquiis eorum penes se memoriam, observantiamque esse voluere, quam qui sua imitatione etiam exprimunt, jure inter felices censeri merentur.

22. S. Paulini, eremitae Trever. mandibula inferior.

23. S. Pantaleonis, martyris, os crassum IV. digitorum.

24. S. Martini, episcopi, diversae reliquiae notabiles.

25. S. Pinnosae, virginis, os a collo ad humerum porrectum.

26. S. Hildegundis, virginis, ossiculum oblongum tibiae.

27. S. Caeciliae, virginis et martyris, pars cranii.

28. S. Barbarae ossiculum.

Has, aliasque, reperies in hoc sacello SS. reliquias, quas modernus archiepiscopus, Carolus Casparus a Petra, earum veneratione ductus, per sacellanum suum diligenti cura secerni,

honestissimisque ornamentis vestiri praecepit, ante, seu bellorum injuria, seu incuria hominum, digno minus cultu observatas.

CAPUT XII.

De constitutionibus saluberrimis reverendissimi atque eminentissimi archiepiscopi Lotharii.

Priusquam de ecclesiis hujus archidioecesis, metropolitanae subordinatis, disserere aggrediar, rem mihi non minus ad posterorum utilitatem, quam instructionem et memoriam peropportunam facturus videor, si leges ecclesiasticas a Lothario archiepiscopo, cum metropolitani capituli consensu, latas, cleroque ad salutis tam suae, quam aliorum rationem, christiane sapienterque moderandam, propositas, hoc loco non negligam. Quae ejusmodi sunt, ut non modo archiepiscopi illius, ac metropolitanae aedis, nobis pietatem id temporis singularem persuadeant, sed futurae etiam aetati ad saluberrimum earum usum sint profuturae, ne laudatissimae hujus ecclesiae ab ipsis apostolis ad nos usque deducta inviolate religio, posteritatis in clero animis, ac fideli imitationis prosecutione unquam excidat, cum nihil perinde ecclesiae, religionisque nostrae sanctitatem, quam depravati ecclesiasticorum mores praecipitent. Quid enim remedii ad vitae emendationem in populo superest, quando ipsi duces, et sacrorum antistites, in seductores et profanae vitae sectatores versi, pessum abeunt, et quibus ad veritatem magistri praefecti sunt, hos ad vanitatem depravati convertunt. Haec igitur anno salutis 1622 salubriter decreta sunt, et aeterna lege ad clerum a Lothario promulgata, quae ut nos in charta, sic ecclesiasticos sua in memoria animisque, aequum erit describere.

1. Statuimus et archiepiscopali authoritate sancimus, impunem et scandalosam, si quae sit, vivendi licentiam, tolli ex clero nostro, mandantes in virtute S. obedientiae officialibus et archidiaconis, visitatoribus, decanis, fiscalibus, caeterisque vicariis nostris, ut, si quem filium Belial, perversum et sine jugo effrenem habitu, moribus, vita, deprehendant, severa castigatione, quam si emendatione non sequatur, poenis juxta sacros canones coërceant.

2. Ut ignorantiae simul, et inutili multitudini decurratur, nemo deinceps ad sacros ordines promoveatur, nisi quem diligens examen moribus integrum, scientia idoneum, et honeste se alendi ratione instructum, legitime probarit. Patrimonium vero per pensiones obtinentes, ordinari non possunt juxta sacros canones, dispensatione super hoc titulo patrimonii, nobis, vel iis, quos nos ipsi designabimus, reservata, quae non dabitur, nisi publico testimonio constet, hos non suam, sed ecclesiae et utilitatem et necessitatem spectare: deinde etiam patrimonium illud, vel pensionem posse ab illis obtineri, taliaque esse, quae iis ad vitam sustentandam satis sint, atque ea deinceps absque licentia episcopi alienari non possint, nisi aliunde habeant, unde possint vivere. Qua in re, uti est gravissima, eorum, qui non legitime dispensant, conscientiam gravamus.

3. Similiter nemo posthac, sive a nobis, sive ab archidiacono, sive a monasterio, sive a collegiata ecclesia, vel quocunque praesentatus seu investitus, ad ecclesiae gubernationem, sacramentorum administrationem, concionandi munus, aut conventum capitularem admittatur, nisi praeter instrumentum praesentationis et collationis etiam apostolicae, exhibeat literas nostras, aut examinatorum, quae fidei examinationis, approbationis, et doctrinae sufficientis testimonium exhibeant.

4. Vicariis quoque, sive sacellanis pastorum, non prius concionari, aut alia pastoralia munera exercere permissum sit, quam a nobis, aut deputatis examinatoribus approbationis et sufficientiae habeant testimonium, quod et pro tempore decanis, ac deinde in prima capitulari congregatione exhibere teneantur.

5. Examen autem hoc accuratum erit, nec dabunt examinatores hujusmodi testimonium, nec admittent ullum quocunque respectu, nisi quem stricta inquisitione habita, sufficiens doctrina, et in conscientiae casibus, modo concionandi, sacramentorum administratione dexteritas commendet: nec sine his conditionibus ulli deprecationi aut favori sit locus, ne ipsorum et multarum animarum salus in discrimen adducatur, cujus ipsi rei erunt. Ideo apostolus (¹) Deum et Christum Jesum et electos angelos testans, praecipit Timotheo episcopo, ne sacrorum ordinum candidatis cito manus imponat, ne scilicet alienis peccatis communicet. Quare optandum esset, ut per concursum plurium hujusmodi curata beneficia conferrentur, juxta concilium Trid. sess. 24, cap. 18, de reformatione.

6. Curent insuper curati necessariam librorum supellectilem, nimirum biblia, latino et germanico idiomate, agendam Trevirensem, concionatores aliquos idoneos, et qui casus conscientiae pertractant, catechismum item Romanum et Trevirensem &c.: quorum indicem decano in visitatione annua exhibeant. His legendis, tempus pretiosum utiliter impendant. Ama sacrarum literarum studia, et vitia carnis non amabis, ait S. Hieronymus (²). Librum autem haereticum nec apud se, nec apud alium patiantur.

7. Caveant omnes sub districto Dei judicio, ne sacramenta ulla, baptismi, poenitentiae, eucharistiae &c., cum remorsu gravioris peccati tractent, aut dispensent, nisi prius confessione sacramentali illud expiaverint (³), ne rursus sibimet ipsis crucifigant filium Dei, et ostentui habeant, quem propitiare deberent; et si cui, qui peccati mortalis sibi sit conscius, aut sacrum facere, aut alia sacramenta dispensare ex officio incumbat, copiaque confessoris longius absit, quantumvis sibi contritus videatur, postea, quam primum potest, sacerdoti confiteatur:

---

(1) 1. Tim. 5. v. 21. & 23.
(2) Epist. ad Rust.
(3) Hebr. 6. v. 6.

Qui enim manducaverit hunc panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (1).

8. Omnes igitur pastores decano, aut alteri, cum licentia tamen decani, alios vero clericos suo confessori saltem in mense confiteri volumus. Quam in rem decanus cum in visitatione, tum in capitulo, inquirat, an fiat, si vero gravius labantur, periculum in mora est. Convenit enim, ut omnium sanctissimum immaculati agni sacrificium, caeteraque divini cultus officia, quanta maxima fieri potest cum interiori munditia, atque exteriori pietatis sensu et candore peragant, ut Isaias monet: *mundamini, qui fertis vasa Domini* (2). Decano autem rite electo et approbato, concedimus facultatem absolvendi a casibus nobis reservatis (de quibus in agenda), ex occulto tamen delicto venientibus, idque gratis, in conscientiae foro tantum. Casus autem quoscunque circa clericos, nec non in laicis, de quibus publicum scandalum extat, ad nos, vel officiales nostros referri volumus, sicut et haeresis crimen, quod quis publice haeresim docendo, aut cum haereticis in sacramentis communicando, incurrit.

9. Ut divinis etiam laudibus consulatur, volumus et monemus serio, ut deinceps debitum Deo et hominibus horarum canonicarum ac missarum pensum cum privatim, tum maxime publice statis temporibus decenter persolvant, ac in choro decantent articulatim ad numerum, distincte ad intelligentiam, composite ad pietatem, ea pietate, ut Deo placeat, ea vocis moderatione, ut populo sit psalmodia aedificationi, ecclesiae vero honori. Hoc ut fiat, sciant decani muneris sui esse, ut curent, et in hujus nostrae admonitionis praevaricatores animadvertant, ne pro benedictione maledictionem incurramus: *maledictus homo, qui facit Dei opus negligenter* (3).

10. Ut vitetur scandalum ab ebrietate, nemo clericorum publicas ganeas, praesertim diebus festis frequentare audeat,

---

(1) 1. Cor. 11. v. 29.

(2) Isa. cap. 32. v. 11.

(3) Jerem. 48. v. 10.

aut in multam noctem, praesertim sequenti die celebraturus, commessationem protrahere, aut in omnibus bibonum symbolis comparere, sed ita dispensent proventus suos, tanquam patrimonium Christi, de quo reddituri sunt rationem. In honestis vero conviviis ita se habeant, ut praesentia sua moderentur excessus, exemplo doceant temperantiam. Si quis cum scandalo ebrius deprehendatur, juxta canones poenas dabit: ebrietas enim in laico crimen est, in sacerdote sacrilegium, quorum alter suam animam necat vino, alter spiritum sanctitatis extinguit, ait Ber. Ravenn.

11. Admonemus omnes, quod serio mandamus fiscali nostro ex decreto officialis executionem eorum, quae in conc. Tridentino contra concubinarios, et alios delinquentes et contumaces sunt decreta, nisi ipsi statim expulsa ultra tria milliaria persona turpi, aut suspecta, re ipsa testentur, se resipuisse, et verae emendationis propositum suscepisse. Si autem rursum convenerint, persona suspecta per justitiae ministrum publice virgis mulctetur, ut et in aliis locis usurpatum audimus. Ipse vero incarceratus, nobis vel officialibus nostris ex rigore canonum plectendus reservabitur. Si decanus ipse culpabilis repertus fuerit, ab officio decanatus, uti eo indignus, venit amovendus.

12. Ut fornicatio, ita avaritia ne nominetur quidem in vobis, juxta apostolum (1): caveant ergo omnes, ne quaestum facient pietatem, ab omni simoniaco commercio, in beneficiis, praebendis et officiis: deinde caveant illi, quos in partem curae pastoralis vocavimus, a muneribus et quocunque respectu, quibus excoecati, non videant noxas, aut placati in noxios non animadvertant, vel quod severiori castigandum esset censura, pecuniaria mulcta plectant, in proprium potius peculium, quam nocentis vindictam. Demum ne in quocunque genere officii taxam jurium suorum, et sumptus augeant, sed pro aequo et bono ita temperent, ut qui potestatem habent, benefici potius vocentur, quam quaestui habentes ecclesiam, ne in

(1) Ephes. 5. v. 3.

lepram Giezi, Judae laqueum ([1]) et Simonis Magi ([2]) perditionem sese induant, et audiant illud: *pecunia tua tecum sit in perditionem.*

13. Similiter parochos, ne ab hominibus mercede accepta, a Deo nihil exspectent remunerationis, non decet ut exigendis, praesertim a pauperioribus, stolae juribus mordicus sui juris retinentis ita justitiam quaerant, ut misericordiam obliviscantur. Ordinamus ergo, ut ab unoquoque capitulo certa taxa, a nobis approbanda, definiantur jura stolae, particulatim in nuptiis, exequiis, vigiliis, sepultura, sacramentorum dispensatione etc., quam excedere non liceat, moderari autem pro conditione personarum prudentiae parochi sit, et misericordiae, juxta regulam S. Petri: *pascite, qui in vobis est, gregem Dei providentes, non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie* ([3]).

14. Vivent omnes juxta apostoli normam, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, scientes, quod mandamus officialibus, archidiaconis, decanis et fiscalibus, ut tanquam e specula ad publica scandala circumspiciant, ut, si quos forte notaverint, qui habitu, juramentis, blasphemiis, lusu, choreis, convitiis etc. in ecclesiasticam disciplinam peccent, illos arguant, increpent, et juxta delicti modum, ecclesiastica censura compescant, nec impune abire sinant, cum impunitas peccandi maxima sit illecebra. Quodsi forte refractarii salutaribus monitis non acquiescant, ad nos referri volumus, pro arbitrio nostro, et sacrorum canonum tenore puniendos.

15. Parochi omnium sacramentorum sint fideles dispensatores, baptismatis primum, ne qui infantes, etiam illi, quorum parens ignoratur, eo destituti, salutis dispendium faciant. Proinde horum baptisma non diu differant: deinde de forma baptizandi

(1) 4. Reg. 5. — Matth. 27.
(2) Actor. 8. cap.
(3) 1. Petri 5. v. 2.

obstetrices examinent, ac doceant, demum non admittant multitudinem patrinorum, sed ex illis unum et unam designent, reliqui sint tantum testes, baptizatique in librum, quem habere debent, referantur. Claves autem baptisterii, multo magis sacrarii, penes se solos habeant.

16. Sic baptizatos curent primo sacramentum confirmationis suscipere ea aetate, qua illius reminisci possint; post etiam poenitentiae et eucharistiae solennioribus festis frequentare, explicato rite et integre confitendi et communicandi modo.

17. Ut aboleatur falsa persuasio, extremam unctionem certae mortis praenuntium esse, rudioribus ejus dignitatem, fructumque exponant. De matrimonio vero advertant, ne illud nisi doctrina probe instituti, et in praecipuis ejus capitibus examinati, praevia confessione et communione contrahant, quorum nomina in librum referantur.

18. Qui in partem episcopalis officii (quod est verbum Dei praedicare) vocati sunt, meminerint apostolici moniti: *sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusilem, recte tractantem verbum veritatis* (1). Bene itaque instructi suggestum conscendant, nec quae raptim ex homiliario aliquo sublegerint, nec freti lingua sua ea, quae in labiis nascuntur, sed quae hebdomadaria lectione et meditatione coxerunt, ea populo proponant dilucide ad captum, appositeque ad mores, acriter ad motum, solliciti interim, ut, quae verbis dicunt, exemplo probent, sed suo, ut monet S. Bernardus: *boni, solicitique pastores impinguare pecus bonis electisque exemplis, et suis magis, quam alienis debent, nam si alienis, et non suis, ignominia est illis, et pecus ita non proficit* (2).

19. Licet vero omnia vitia exagitare debeant, tamen maxime in proprio suo cuique loco, in detestabile blasphemiae scelus, jurandi consuetudinem, superstitiones etc. ferventi dicendi zelo exardescant. Saepe Deus flagellat populum ideo, quod praedicatores popularis aurae, quam salutis avidiores, peccata

(1) 2. Tim. 4.

(2) S. Bernard. super cantic. serm. 26.

populi concionatoria virga non censeant, ut poenitentiam agant, uti Jeremias queritur de vastitate Jerusalem: *prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent* (1). In superstitiones autem diligenter inquirant, et ad officiales nostros examinandas deferant, et poena abolendas.

20. Cum in eo vertatur totius vitae salus, ut tenerior aetas imbuatur doctrina christiana, quae fidei capita, et bonos mores complectitur, volumus omnino, praecipimusque singulis nostrae dioecesis parochis, et parochorum vices gerentibus, ut in posterum hoc tam necessarium juxta ac salutare tradendae christianae doctrinae opus maximo ardore suscipiant, indefessa diligentia constantissime urgeant, serventque hanc a nobis infra praescriptam in hoc munere rite peragendo rationem et ordinem.

21. In supplicationibus, litaniis et processionibus, quae ex solenni ritu ecclesiae instituuntur, videant parochi, ne quid indecenter fiat, deinde ut intersint, et praeeant gregi suo, sua persona habitu clericali, toga, superpellicio et stola decenter induti. Demum caveant, ne supplicationem commessationibus contaminent et finiant; si quis in hoc deliquisse notatus fuerit, castigetur.

22. Decani non omittent quotannis, tum ut moris est, parochos suae christianitatis ad congregationem evocare, tum etiam visitare; a quo officio ut minus impediantur, et sumptu subditi leventur, archidiaconi suam visitationem, quam anno quoque bissextili obire debent, intra anni spatium, si minus per se possint, per vicariam aliorum idoneorum operam omnino finient. Visitationes autem, quas synodales instituere solent, et convivium, quod apparare synodales electi debebant, omnino prohibemus.

23. In hoc conventu, post decantatum a decano, duobus pastoribus diaconi et subdiaconi vice fungentibus, sacrum de Spiritu sancto, in loco capitulari oratio ab aliquo capitulari habeatur. Deinde hae nostrae ordinationes praelegantur,

(1) Tren. 2. 1.

quarum exemplar deinde in sequentibus synodis exhibebunt, quomodo autem servent, et servaverint, decanus inquirat.

24. Ab his capitularibus congregationibus nulli, a monasteriis etiam et collegiatis ecclesiis ad parochias incorporatas praesentati, seu quomodocunque provisi, uti nec ab obedientia decani ullatenus se subtrahere praesumant, non suffragantibus eis privilegiis, exemptionibus, sive consuetudinibus quibuscunque. Iidem quoque juxta decretum conc. Trid. deberent esse perpetui, et sine scitu consensuque nostro minime amoveri seu revocari.

25. Quo magis autem vitia innotescant, eisque maturius contraveniatur, quilibet ex pastoribus tempore capituli, non ex invidia, sed ex zelo legis divinae privatim et secreto indicare teneatur officialibus, archidiacono vel decano, scandala et vitia, quibus pastores sub eodem capitulo sciverit obnoxios, et has nostras constitutiones violasse.

26. Teneantur pastores singuli semel singulis mensibus scribere decano de iis, quae eo mense in sua ecclesia acciderint, et si nihil scriptione sit dignum, hoc ipsum significent, nihil accidisse, de quo decanum oportuerit fieri certiorem. Quodsi memorabilis aliquis casus contigerit, non exspectetur menstruum spatium, sed primo quoque tempore ad decanum referatur.

27. Ipse vero decanus quater in anno, nempe singulis angariis, diligenter de omnibus, quae in toto suo decanatu per tres illos menses acciderunt, literis comprehendat, quas sigillifero nostro dabit, in manus nostras, vel officialium nostrorum, tradendas. Ita enim fore existimamus, ut major sit conjunctio membrorum cum capite, et vitiis, quae occultatione latius manare solent, via obstruatur.

28. Perscribat quoque decanus, si qui pastores sui decanatus non resideant personaliter, et quam ob causam, cum pastor a suo grege sine gravi offensione Dei abesse non possit. Si qui tamen justis et rationalibus de causis, obtenta dispensatione (quae nobis constare debet) residere nequeant, curent, ut tales sufficiant vicecuratos, qui praevio examine sufficientis sint eruditionis et vitae honestate commendati, qui decano

obedientiam praestare, et capitularibus congregationibus interesse teneantur.

29. Haec ita archiepiscopali authoritate sancimus, atque accurate a vobis, qui in sortem Domini vocati estis, observari volumus et mandamus, sub poenis in jure et conciliis expressis, stricto praecipiendo per JEsu Christi sanguinem, animarum et patriae salutem, vobis officialibus, archidiaconis, decanis, fiscalibus etc. nostris, ut eorum absolutam executionem, observationem et vigorem, qua verbis, qua poenis, urgeatis. Urget vos ira Dei, periculum gregis, periculum animarum vestrarum. Vos enim estis presbyteri populi Dei, et ex vobis pendet anima illorum. *In quo posuit vos Spiritus S. regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vos spopondistis pro grege, illaqueati estis verbis oris vestri, et capti propriis sermonibus, vosmet ipsos liberate, quia incidistis in manum proximi vestri* (1). Qui si perierit ejus sanguis e manu vestra requiretur, ut Deus apud Ezechielem (2) minatur: *fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram, si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Ego libero animam meam et annuntio vobis. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum sanguine omnium: non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis (3). Cui honor et gloria in saecula saeculorum.

---

(1) Prov. c. 6. v. 12 & 3.
(2) Ezech. 3. v. 17, 18 & 19.
(3) Actor. c. 20. v. 26 & 27.

Ratio et ordo tradendae doctrinae christianae.

1. Singulis dominicis et festis diebus pastores et pastorum vices gerentes, vel per se, vel per alios, ad hoc munus rite praestandum idoneos, catechisticam lectionem docebunt accuratissime, accomodando se in fractione hujus coelestis panis juxta uniuscujusque captum et necessitatem, idque non tantum in templis parochialibus, sed etiam in illis capellis aut aediculis sacris, in quibus praefato tempore missa et concio habebitur; praecipimus serio, ne hoc tam necessarium et salutare exercitium, tam serio a concilio Trid. (1) inculcatum, absque gravissimo legitimoque impedimento (de quo praemoneri debebit parochus) intermittant unquam.

2. Ut autem illi, quibus incumbit docere catechismum, in officio contineantur, volumus eos pro singulis lectionibus, leviter et sine causa omissis, dimidio dalero mulctandos esse, eos vero, qui has lectiones audire neglexerint, tribus, ut vulgo dicunt, albis vel stuferis, et eo fine in horum et illorum negligentiam existimavimus animadverti debere, ut etiam nolentes secundum evangelium regnum Dei ingredi compellamus. Quae mulctae vel in pios templi usus cedent, vel ad emendas imagines, rosaria, et ejusmodi sacra munuscula, quibus ad discendum excitetur juventus. Habebit autem parochus vel sacellanus nomina singulorum in tabella signata, ut facilius absentes deprehendi possint.

3. Tempus catechesi faciendae opportunum erit pomeridianum, idque statim a prandio, cum omnes domi sunt. Omnes itaque interesse volumus, cum ea instructione plerumque tam grandiores egeant, quam minores, omnes, inquam, septennio majores, nisi legitima causa adsit, cujusmodi esset nimia distantia pagorum a templis ad hanc rem destinatis. Qui autem pagi hanc ob causam excusari debeant, a decanis ruralibus in charta notati designabuntur.

---

(1) Sess. 24. c. 4. de reformatione.

4. Si vero talis esset locorum constitutio, ut major pars parochianorum post meridiem hiemali tempore ad templum redire non posset, vel ob distantiam, vel viae difficultatem, mandamus, ut ante meridiem, inter vel post missae officium, omnibus praesentibus, divina illa catechesis habeatur, fiatque concio eo brevior, ut plus temporis sit ad rudes animos commodius et fructuosius erudiendos, utiliora et magis necessaria proponendo, interrogando, repetendo, inculcando. Quod ad concionem attinet, volumus initio ejus praemitti symbolum apostolicum, orationem dominicam et salutationem angelicam, in fine vero decem praecepta decalogi, quinque ecclesiae, et septem sacramenta subjungi.

5. Et quo posthac majori cura juventus et studio catechesi addiscendae incumbat, volumus et ordinamus, ut authoritate nostra denuntietur iis duntaxat fore ad matrimonium accessum, qui praecipua fidei mysteria callebunt, in illis itaque examinandos esse sponsum et sponsam, antequam prima ad nuptiarum celebritatem proclamatio fiat a pastoribus.

6. Sacramenta accurate explicent et moneant, ut juxta agendam vicini ad honorandum et venerandum sacramentum eucharistiae et extremae unctionis, cum defertur ad infirmum, usque ad infirmi domum, et inde usque ad templum comitentur, ad quod pietatis officium signo campanae convocandi sunt, inter eundem autem signo nolae admonendi obvii, ut debitam reverentiam sacramento exhibeant.

7. Ad juventutem erudiendam conducet plurimum, si singulae parochiae suas scholas habeant, in quibus parvuli erudiantur, vel a pastoribus, vel a ludimagistris, vel ab aedituis, quos imposterum oportebit ad hoc munus esse idoneos, et tales, qui possint sacerdoti celebranti ad omnia respondendo inservire. Quodsi alendo ludimagistro non esset alicubi sufficiens stipendium, ob bonum commune contribuat pro se quisque aliquid, juvet parochus, et ipsa fabrica.

8. Ut praedicta omnia perpetuo et constanter observent, visitatores dioeceseos inquirent, an, quae a nobis praescribuntur, in hoc genere accurate observentur, et semper observata

fuerint. Et praesertim, an aliquando absque legitima causa in locis catechismo docendo deputatis omissa fuerit christianae doctrinae traditio, de hac re rationem dabunt synodales, privatim serio examinati, nec peccatum, si ullum fuerit, sinent abire impune.

9. Denique, ne quis ignorantiae pallio suam culpam velare possit, mandamus, ut hoc decretum de catechismo docendo e sacro suggestu omnibus promulgent, et verbo ad verbum coram totâ multitudine praelegant, singula exponendo, quo facto mox lectionem catechisticam auspicabuntur, et posthac mandatum nostrum super hac re initio adventus pro concione recitabunt, et exponent annis singulis. *Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum.* 2. Tim. 3.

Eaedem hoc tempore leges repetuntur, an vero serventur, illi noverint, qui visitationi praefecti, archidiaconali dignitate ecclesiis praesident, suam aliquando de sibi commissis pastoribus reddituri rationem.

CAPUT XIII.

Ecclesia B. Mariae Virginis.

Adhaeret metropolitanae ecclesiae ad latus meridionale basilica B. Mariae Virginis, tota plane dioecesi illustrissima, quae foris quadratis ex petra ad summos usque murorum apices lapidibus, raro elegantique prorsus assurgit opere. Intus vero diverso eminentique columnarum fulta ordine in coronae speciem, media cruce distinctae emergens, celsissimum basilicae fornicem stabilit, dignissimum magno opulentoque rege censeres opus, nisi de ipsius origine explorata nobis et apud Browerum (1) anno Christi 1227 et 1242 recitata historiae veritas super-

(1) Vide Brow. ad hos annos.

esset. Siquidem sacellanus quidam Theodorici archiepiscopi, Cuno dictus, vir divini honoris, amorisque erga Deiparam zelo plenus, ratus summae Dei divoque Petro dicatae aedi aliud Deiparae sacrum templum adjungendum esse, et de suo quidquid possidebat, ad honorem conferre, et piorum hominum liberalitatem sollicitare aggressus, non solum obtinet dioecesis suae, verum et Coloniensis ad hoc opus perficiendum suffragia, Conrado Agrippinensium archiepiscopo plenam corrogandae istic Marianae stipis facultatem deferente, quam post 15 annorum labores expensasque, in hoc opus collocatas indulsit anno 1242, ut appareat, magna nunquam repente nasci. Memorat Browerus, a plano terrae ad summum turris verticem sexcentarum nonaginta septem ulnarum intercessisse spatium, quod anno nostri saeculi 1631 excusso tempestate tecto, et humiliori in locum reposito decrevisse cernimus, muris interea velut recenti adhuc opere in altum assurgentibus, ut neque aetas, neque tempestas ulla in hoc quicquam ausa videatur. Caeterum memorabilis illius aevi tempestas alias quoque hujus urbis basilicas duas tectis nudaverat, et hoc Marianum pluribus in vicinia domibus imminens, ita inter hujus summae aedis ambitum angusto satis spatio dejecerat, ut deposuisse consulto potius velut ex capite galeam, quam excussisse in obliquum latus, quo plures domus tangendae fuerant, videretur.

Verum haec praeludia alterius, e bello imminentis tempestatis erant, quae totam brevi regionem hanc graviori clade concussit.

Collegiales hac in aede sunt, qui praebendati dicuntur, duodecim sacerdotum numero fuerunt instituti, et metropolitanae ecclesiae decano subsunt, ac parochialem etiam curam quorundam locorum subeunt.

Inter praestantiores hujus loci reliquias censent vittam capitis Deiparae Virginis, et caput D. Bernardi de Monte Jovis, ex regularibus D. Augustini canonicis, qui D. Bernardum Claraevallensem annis facile 79 antecessit; singularis a malo daemone vexatorum patronus, ut quem, adhuc vivens, divina virtute adstringebat.

CAPUT XIV.

Ecclesia S. Paulini Treviris.

Collegialis ecclesia S. Paulini in veteri olim urbe, jam proxime novam, sanctimonia religionis et antiquitatis opinione potior caeteris, authoritate nulli secunda, sed cujus in aedificiis splendorem et ornamenta ignis et bellorum violentia non semel abolevit, ita ut priscae basilicae species et oculos effugiat, et memoriam. Coenobium hic extitit quondam illustre, in quo et Trevirorum pontifices vitam egerunt, et post vitam voluerunt suae esse mortalitatis ac sepulturae monumenta, proindeque sacer hujus templi locus SS. Felicis, Leontii, Aprunculi, Bonosi, Rustici, Mari, Paulini, antistitum Trevirensium, sepulchris, tanquam gemmis quibusdam irradiatur. Hic dites Thebaeorum, ac Trevericae urbis senatorum civiumque, pro Christo gloriose occumbentium, exuviae. Quot templi cernis semiruti circumquaque vestigia, tot effusi cruoris et quondam hic obiti martyrii impressa calcas vestigia, nulla posterorum, ut credibile, memoria abolenda.

Hujus vero collegii originem ut S. Felici episcopo, qui cum B. Martino vixit, adscribunt, sic amplificationem posteri acceptam ferunt Egberto archiepiscopo, qui aliquot post saecula majorum sacra et vectigalia instauravit.

Reliqua hujus ecclesiae ornamenta, avorum memoria, hujus collegii clerus cum indice sanctarum reliquiarum et indulgentiarum evulgato, publice legenda proposuit. Verum eadem luculentiori scripto prosecutus est Fridericus, hujus ecclesiae praepositus, postquam cum Joanne, decano, anno salutis 1402, nono calendarum aprilis parasceves, inspectione corporis S. Paulini facta, caput a trunco sublatum, pro ejus saeculi more, clausumque pectorali ex argento statua, venerationi exposuisset. Inter haec dedicationes geminas, easque percelebres, Romanorum pontificum censet, alteram Leonis IX. anno 1049, septimo

iduum septembris, alteram Eugenii III. anno 1148, pridie kalend. februarii, insigni solennitate institutam; quando et altaria ritu sacro divinis mysteriis aptata et affluentis populi studium pietasque amplissima indulgentiarum immunitatumque promulgatione est incitata.

Caeterum ut praecipuorum hujus loci patronorum vita, resque ab eis cum laude gestas superiorum annorum memoria, suis quoque temporibus Browerus studiose complexus est, ita hic eadem repetere, supervacaneum est futurum. Reliquiarum vero ut ingens catalogus est, ita praecipuas earum perstrinxisse hoc loco suffecerit.

Sanctorum monumenta et reliquiae Paulinianae ecclesiae.

Illustris in hac ecclesia sanctorum corporum thesaurus olim reconditus, etiamnum custoditur, licet plures hinc etiam aliorum locorum sacra domicilia reliquarum quarundam communicatione ornatae fuerint.

In summa hujus basilicae ara S. Fortunatus, Trevirensis archiepiscopus, praeter alias reliquias, quiescit; in dextera chori parte S. Marus episcopus, cum sua epigraphe, alibi, in annalibus, data, depositus est, singulare multorum in morbis, plerumque humana arte incurabilibus, inprimisque in podagra subsidium. In sinistra chori parte S. Felicis archiepiscopi monumentum visitur, qui hujus ecclesiae olim in D. Paulini honorem erigendae praecipuus auctor.

Post altare S. Joannis, D. Rusticus, Trevirensis archiepiscopus, per S. Goarem ad poenitentiam, sanctitatemque a lubrica vita traductus, postquam infans inexspectata voce ejus scelus publicasset.

Post altare D. Nicolai S. Lupus, incompertae sedis episcopus jacet.

In medio ecclesiae Eberhardus, Trevirensis archiepiscopus, veneficio succensae candelae a judaeis pridie paschatis consumptus, tumulatur.

Sub altari D. Clementis, papae et martyris, Bonosus, Trevirensis archiepiscopus, quiescit, cui a dextris Leguntius, ac deinde Aprunculus succedit, Sanctorum omnes in censu habiti.

In crypta chori subterranea plurima SS. martyrum corpora per Rictiovarum occisorum conduntur, quorum in medio archiepiscopus et martyr Paulinus sepulchrum obtinet, cujus dexteram Palmatius, sinistram Tyrsus stipat; caput septem nobilissimi senatorii ordinis martyres, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, cingunt, pedes quatuor item e Treverica nobilitate martyres, Hormisda, Papyrius, Constans, Jovianus, ambiunt.

In reliquiis Christi numerantur: particulae quatuor S. Crucis, spina una ex corona Christi, pars de vestimento et de linteamine, sacro ejus sanguine asperso; de syndone quoque sepulchrali et sudario ejus; de pane super mensam ejus et discipulorum relicto; de lapide columnae, ad quam ligatus haesit, alioque, ex quo impressis vestigiis ad coelos conscendit.

Reliquiae B. Mariae Virginis ibidem illustres detinentur, videlicet ex veste ejusdem pars magna, quae in longitudine tres ulnas cum dimidia, in latitudine sesqui ulnam facile complectitur. B. M. V. interula, et pars de peplo et pallio ejusdem, ex capillis triginta duo crines.

Reliquiae apostolorum: nonnullae de S. Petro, Paulo, Andrea, Jacobo majore ac minore, Philippo ac Matthia — martyrum, ut de S. Stephano protomartyre, pars brachii ex S. Laurentio, item de SS. martyribus Vincentio, Mauritio, Gereone, Sixto, Calixto, Dionysio, Valentino, Lamberto, Blasio, Sebastiano, Christophoro, Wenzeslao, Vito, Pancratio, Tiburtio &c. — confessorum, ut SS. Silvestri et Gregorii, pontificum, SS. Eucharii, Materni, Agritii, Maximini, Cyrilli, Severi, episcoporum Trevirensium. Item de SS. Augustino et Hieronymo, ecclesiae doctoribus; de SS. Bernardo, Machario, Aegidio, abbatibus; de S. Willibrordo, episcopo, S. Simeone, confessore Trevirensi, S. Severino, Coloniensi &c. — virginum, ut SS. Catharinae, Barbarae, Margarethae, Apolloniae, Caeciliae, Luciae, Christinae,

Dorotheae, pars brachii S. Ursulae, brachium S. Cordulae, de SS. Afra, Osilia, Walburge, Brigitta, Maria Magdalena, et Martha, ejus sorore.

Harum vero reliquiarum solennis propositio ostensioque in anno quovis bissextili fit, dominica proxima III. idibus maji, quae festiva D. Paulini ex Oriente reducis facta, cum frequenti tam cleri, quam populi totius processione celebratur.

Porro S. Mari patrocinium ut multi olim, sic hodiedum quoque nonnulli podagrici experiuntur, ut suo adm. R. D. decanus Richardus Rosport testimonio, a D. doctore Conrado Eys, ejusdem ecclesiae canonico sigillifero, in scriptis communicato, de quodam inferioris Saxoniae incola tradit, qui hic post diuturnas morbi afflictiones divino monito transiens, in via repente sanatus, ac quotannis ad referendas patrono gratias rediit, donec eundem hac aetate mors sustulit, eoque, ut spes est, transtulit, ubi suo coram patrono grates licebit persolvere.

Verum ecce miserabilem hujus tam antiquae, totque Sanctorum reliquiis ditatae cladem ecclesiae, quam ante biennium Galli, post occupatam Trevirorum urbem, intulere. Barbarus illius gentis gubernator, Petrus comes de Vignory dictus, sive consensu regis sui, ut prae se ferebat, sive propria tantum inductus malitia, quingentis circiter passibus ab urbe dissitam, ceu profuturam obsessuro hosti, detestabili ruinae involvit, quali neque Hunni aut Gothi olim, neque haeretici saeculis posterioribus. Sed ipse cum intimo consiliorum socio, ac deinde etiam in gubernatione succesore tristi hanc impietatem exitio luit, quando anno insequenti, 1675, obsessa urbe abbatiam S. Mariae ad martyres quoque extra urbem incineraturus, de ponte in fossam, quam fecerat, praeceps, momento exspiravit, equo, cui insederat, illaeso, ut divinae magis vindictae vis emineret; quem socius de Bovilliers, in gubernatione successor, non multo post, globo quoque tormentario medio trajectus, dispersusque corpore, pari propemodum interitu insecutus est, reliquis etiam militum tribunis, ruinis monasteriorum cooperantibus, intra anni prope unius periodum morte sublatis. Ut

exemplo christianis essent, templa Dei, Sanctorumque reliquias raro impune violari.

Praepositi ad S. Paulinum.

Luzo, ão 981.

Adalbero, comes Luxemburgensis, 1008—1037.

Cuno, 1088.

Rudolphus, 1125 et 1129.

Conradus, 1135—1158.

Adalbertus, 1178—1208.

Theodoricus, comes de Weda, archidiaconus, ão 1212 factus est archiepiscopus.

Mefridus, archidiaconus major, occ. 1220.

Rudolfus a Ponte, occ. ão 1229 et 1242.

Mefridus, comes de Weda, occ. 1260.

Fridericus de Ulmena, archidiaconus major, occ. 1297.

Joannes de Kerpen, 1328.

Petrus de Palatiolo, obiit 1335.

Boemundus de Saraeponte, archidiaconus, confirmatur 19. julii 1335, occ. etiam 1346.

Robertus de Saraeponte, praepositus major, occ. 1356—1379.

Joannes, occ. ão 1382.

Wilhelmus, ão 1393 et 1398, obiit ão 1399.

Magister Fridericus Schavartius (Schaffart), auctor libelli, cui titulus: Friderici praepositi collatio super urbis recommendatione, S. Paulini apertione, atque ecclesiae ipsius religione. Occ. ille 1400—1405.

Joannes Rune, 1409—1415.

Philippus, comes de Isenburg in Büdingen, archidiaconus tit. S. Agathae 10. aprilis 1448, 1464 et 1469.

Gerardus, Rheni comes, occ. 1470—1480.

Jacobus, marchio Badensis, occ. 1498, elect. archiepiscopus coadjutor 27. dec. 1499.

Arnoldus, comes de Salm, 1502 et 1512.

Joannes Curricius.

Joannes, comes de Isenburg in Grensau, juravit 15. novembris 1527, archiepiscopus Trevirensis ão 1547.

Eberhardus, comes de Manderscheidt, ão 1556.

Wolfgangus ab Eltz, occ. 1570—1578, obiit ão 1579.

Hugo Cratz a Scharfenstein, installatur 15. jun. 1580.

Damianus Emmericus ab Orsbeck, obiit 15. augusti 1682.

Carolus Casparus a Kesselstatt, possessionem capit 17. octobris 1682, obiit 3. maji 1723.

Joannes Hugo Wolfgangus a Kesselstatt, coadjutor 31. maji 1713, obiit 21. januarii 1730. Fuit etiam scholasticus major Trev. nec non canonicus Halberstadiensis.

Franciscus Georgius, comes a Schönborn, archiepiscopus et elector Trevirensis, possessionem capit 26. septembris 1730, occ. etiam 1734, obiit 18. januarii 1756.

Michael Josephus Otgens, 1760—1765.

Joannes Philippus, comes a Walderdorf, archiepiscopus Trevirensis, occ. 1766, obiit 12. januarii 1768.

Philippus Franciscus Wildericus Joannes Nepomucenus, comes a Walderdorf, praepositus major, nec non episcopus Spirensis, occ. 1771—1794, obiit 21. aprilis 1810.

Decani ad S. Paulinum.

Burchardus, 1208—1240.

Joannes, 1265—1271.

Joannes, 1346, 1349.

Henricus de Heimersheim, 1381.

D. Wilhelmus de Via, occ. 27. martii 1422.

Joannes Cruchter, 1402—1442.

Ludolphus ab Enschringen, J. U. D. occ. 1480, obiit 5. maji 1505. Fuit etiam praepositus S. Simeonis.

Matthaeus de Schöneck, occ. 1500.

Nicolaus ab Enschringen, occ. 1513.

Petrus Scistificis de Saarburg, juravit die lune post Matthaei apostoli 1518, obiit 1533.

Petrus Nittel, ab Epternaco, electus 13. decembris 1533, obiit 1543. Fuit ille etiam canonicus ad S. Castorem Confluentiae et Cardonae, nec non ad S. Simeonem Treviris.

Maximinus Pergener, elect. 15. januarii 1543, obiit 1557.

Theodoricus ab Enschringen, elect. 8. oct. 1557, obiit 1568.

Mag. Joannes Reckschenckel, Luxemburgensis, elect. 4. martii 1567, more Trev., juravit 6. aprilis 1568, resignavit 1572, et factus est carthusianus; obiit 5. aprilis 1611.

Eucharius Rasoris (Kretzer), elect. 4. augusti 1572, jur. 17. sept. 1572, obiit 25. julii 1586.

Wilhelmus Brexius, Berncastellanus, elect. 5. augusti 1586, occ. 1598 et 1613, obiit 4. febr. 1630, m. Trev.

Gerlacus Busch, elect. 27. febr. 1630. Instrumento electionis subscripserit laudatissimus Joannes Mechtelius a Pfalz, canonicus capitularis.

Wilhelmus Schneidt, obiit 14. januarii 1632 m. Trev.

Joannes Carolus Hoffmann, electus 7. martii 1632, m. Trev., jur. 31. martii 1634 (sic), obiit 23. febr. 1640.

Antonius Wehr, prius scholasticus, electus 15. martii 1640, jur. 20. martii 1639, m. Trev., obiitque 15. jan. 1641.

Richardus Rosport, cantor, electus in decanum mense februario 1641, jur. 26. februarii 1641, obiit 9. septembris 1677, in fama sanctitatis.

Franciscus Jacobus Schram, elect. 1. decembris 1677, obiit 13. novembris 1680.

Henricus Osweiler, jur. 11. febr. 1681, obiit 10. martii 1706.

Cornelius Gerhardus Lersmacher, elect. 20. martii 1706, obiit 2. decembris 1731.

Lotharius Fridericus a Nalbach, electus 7. januarii 1732, obiit 11. maji 1748.

Damianus Ernestus Finger, occ. 1760, obiit 24. martii 1770, aet. 73.

Joannes Michael Josephus a Pidoll, elect. 17. aprilis 1770, confirmatus 23. aprilis 1770, suffraganeus Trev. 19. martii 1794, episcopus Cenomanorum mense aprili 1802, obiit 1819, die 23. novembris. R. I. S. P.

CAPUT XV.

Ecclesia S. Simeonis Treviris.

Collegialis ecclesia S. Simeonis proximum a Pauliniana dignitatis locum obtinet, quae in ipsa urbe sita, ab insignis sanctitatis eremita Simeone, ex Oriente ad nos transgresso, atque istic inter murorum solitudinem et divinarum rerum contemplationem vitae hujus aerumnas absolvente, nomen traxit: quam deinde ex porta Martis Poppo archiepiscopus, Simeoni quondam familiariter addictus, in S. canonicorum sub D. Michaelis patrocinio collegium vertit. Cujus a morte etiam antistitis monumentum, una cum S. Simeonis ossibus, complectitur.

Verum bipartito demum opere divisa loci spatia, geminum cultum praestant, canonicis sub S. Simeonis tutela superius; inferne parocho sub S. Michaelis archangeli praesidio sacris operantibus. De loci antiquitate, ejusque usu, ac solida murorum compage, in principio operis nonnulla disseruimus, ad quae lectorem remittimus, ne saepius repetita fastidium ingerant.

Habuit collegium hoc, nostra et avorum memoria, viros theologiae, jurisprudentiae artiumque multiplici eruditione et ingeniorum cultu longe praecellentes, qui sacram archiepiscopi curiam atque academiam rerum gerundarum prudentia, doctrinaque majorem in modum illustrarunt, ita tamen, ut Paulinianae ecclesiae canonicos ad eandem eruditionis honorisque societatem non raro admitterent. Celebratur in annalibus a Browero ad Christi annum 1196 Gerardi ad S. Simeonem praepositi liberalitas, qui moriens Himmerodensem abbatiam 600 librarum argenti haeredem fecit, quarum libras centum in magna annonae difficultate pauperibus stabuit erogandas; felix divitiis ita collocatis, ut post mortem etiam prodessent.

Alterius, Joannis a Rode, a decanatu S. Simeonis ad carthusiae solitudinem transgressi, atque hinc pontificia authoritate

ad infulam S. Matthiae evocati inter praelatos S. Matthiae ad Christi annum 1420 memoriam recolimus.

Tertium nobis praeter alia liberaliter communicata suppeditat perquam eruditus ejusdem ecclesiae canonicus, D. Joannes Theodoricus Bruerius, his verbis: »Invenio tabellam instar »epitaphii praedefuncto canonico positi, cujus inscriptio est »illegibilis, litteris aevo fugientibus, quae repraesentat duos »canonicos cernuos, ante duo saecula superstites. Ex gentilitiis »armis colligo unum esse Landolphum de Enschringen, J. U. »doctorem, S. Simeonis praepositum, quj sub annum Domini »1493 collegium hoc adiit. Fratrem germanum successorem »habuit Robertum, qui Landolpho in coadjutorem cum futura »successione datus est. Praepositus archiepiscopi marchionis »Badensis cancellarius effecit, ut omnes decanatus collegiorum »essent eligibiles. S. Helenae monasterium in proprio fundo »excitavit, quod incolunt crucigeri, ut esset hospitale aulicorum, »qui amplius per senium fungi officio suo nequirent; capellam »S. Joannis evangelistae in gradibus, ad majorem ecclesiae »S. Simeonis splendorem excitavit.« Hactenus Bruerius, qui deinde subjicit: »In ecclesia S. Ludovici Romae epitaphium »legitur in marmore, personae sub habitu canonici in almutio »(quod ex pellibus olim cum cucullo formatum, superpellicii »hodiedum nomen reliquit) sculpti, cum adjuncta epigraphe: »Nicolaus Albi canonicus S. Simeonis Treviren. palatii apostolici »notarius, vir bonus et prudens obiit 28. septembris anno 1487.«

Celeberrimi ex hac eadem ecclesia jam olim theologiae tradendae doctores suppeditati academiae Trevirorum fuere, ex quibus Joannes Leyendeckerius ão 1476 ad capitulum ea lege receptus est, ut theologicis disciplinis professor invigilaret, quo post illum titulo Joannes Sirkerus ad capitularem sessionem una cum theologiae professionis munere admissus est anno salutis 1494, post quem ão 1523 vir eximius, doctor Goar, canonicis capitularibus ea lege adscriptus est, ut theologicae lectionis onus susciperet, receptumque perpetua ejus ecclesiae promissione est, ut quoties hanc vacare canonicalem sedem contigerit, toties universitatis studiorum Trevericae idoneam

ad docendum personam, suisque ad hoc munus insignibus decoratam, praesentare sit integrum. Quod in usum traduci hactenus vidimus, jurisprudentiae tamen doctoribus in theologorum locum surrogatis, postquam societatis Jesu patres theologicae disciplinae professionem adiere.

Frequens quoque in hac sancta Simeonis aede quondam nobilitas; nam sub annum Domini 1519, quo Matthaeus a Schoneck canonicum nominavit Philippum de Rolingen, antiquissimae apud Luxenburgicos stirpis virum, erat hujus ecclesiae canonicus Michael de Schwarzenburg, qui memoriam pro defunctis singulis quadragesimae diebus, suo aere fundatam, instituit. Erant et ejusdem ecclesiae membra Joannes Rolandus de Gressenich, nec multo post Joannes de Soeteren et Joannes de Rupe, ut alia, post hos, tempora praeteream, sileamque ex eadem familia de Buschleiden et ab Enschringen aliquando plures succedere in eadem S. aede repertos esse.

Sed et archiepiscopis familiare fuit, hinc ecclesiasticae suae curiae judices, quos officiales vocant, tanquam ex eruditionis quadam et juris canonici maxime peritorum palaestra desumere. Ex his quondam Matthias de Saraecastro, juris utriusque doctor, primo curiae Confluentinae, deinde Trevirensis officialis, qui ad S. Simeonem quoque decanus, et scientiarum ut amator, sic promotor egregius, antiquissimam ejus loci bibliothecam magno studio instauravit, aõ 1539 vita et officio defunctus; post quem Maximinus Pergener, decanus collegiorum S. Paulini et S. Simeonis, non a munere solum feliciter administrato, sed singulari in pauperes liberalitate, quibus sua etiam post mortem fundatione prospexit, commendandus, vitae adscriptus futurae anno salutis 1557, cui in officio ex canonico S. Simeonis et sigillifero est surrogatus Joannes Houstius. Illius dotes ex adjuncto epitaphio colliges:

Flectere fatidicas virtus, studiumque puellas
Si posset, purae aut relligionis amor
Houstius hic Pytiae superasset saecula vitae,
Artibus, officiis, relligione valens.
Cui Luxenburgum vitales contulit ortus,
At famam ingenii Treviris alma dedit.

Illa inter proceres Simeonis in aede locavit
Sacra quibus nomen regula culta dedit.
Illa sigilliferi decoratum munere vidit,
Vidit, et excelso risit honore viri.
Vidit magnifici rectoris munere fungi,
Vidit palladii sceptra tenere gregis.
Praesulis illa vices vidit cum laude gerentem
Nomen ab officii (1) munere ferre sacri.
Vidit et heu nimium festino funere flevit
Sublatum, indoluit tristia fata nimis.
Spiritus astra tenet: tristes hoc marmor amici
Ossibus egregia imposuere fide.

Obiit MDLXXII.

Plures et ante et post hunc censere officiales ex S. Simeone possem, in quibus Otto Kemperus, Boppardiensis, J. U. D. sub Jacobo archiepiscopo, ão 1576 vita functus est septembri mense, quando haud multis diebus praefuerat. Accedit Bartholomaeus Bodeghemius, vir doctrina, linguarum jurisque peritia, et, quod caput est, integritate morum excellens, cujus alibi laudes prosecuti sumus.

Episcoporum quoque non pauci ex sacro hoc canonicorum gymnasio prodiere. In his Franciscus de Buschleiden, ex Luxenburgica nobilitate, qui ad episcopatum Bisontinum in Burgundia, virtute sua et aliorum benevolentia admissus est, quo in Hispania ão 1502 defuncto, frater illi Hieronymus successit.

Balthasar Merklin quoque de Waldkirch, canonicus capitularis factus ão 1495, ac subinde decanus, ad episcopatum denique Constantiensem evectus, hac in S. aede epitaphium possidet: *Reverendissimo in Christo patri et Domino D. Balthasari Merklin a Walkirch D. G. episcopo Constantiensi, administratori Hildesiensi, sub Carolo V. imperii vice cancellario et duorum caesarum aulas per Germaniam, Hispaniam, Italiam multis annis secuto. Obeundis conciliis imperii et amplissimis legationibus, juris utriusque scientia, consilio, gerendarum rerum prudentia, et authoritate singularis, tum*

(1) Officialis.

caeteris artibus gravissimis, amplissimos honores adempto: tandem iniquis fatis erepto, liberalissimo et in omni fortuna modestissimo consanguineo et mecoenati suo incomparabili Joannes Reck a Treviri posuit. —

Obiit Treviris aõ 1531, in domo collegiali, quam modo D. Bruerius inhabitat. Secum Constantiae Joannem Audaculum, postea praesidem Luxenburgicum (Joannes Keck, obiit 25. Junii 1564), et Joannem Houst, cujus ante meminimus, adduxit, viros tali mecoenate dignos.

Petrus Binsfeldius eisdem jure accensendus, qui Roma a Jacobo Eltzio, archiepiscopo, accersitus, praepositus S. Simeonis et episcopus Azotensis creatus, suffraganeam ipsi operam in rebus spiritualibus consilioque, atque auxilio fideli praestitit. Vir in omni scientiarum genere exercitatissimus, ut in iis, quae de usuris, et disquisitione magica, doctissimis commentariis exarata reliquit, perspicuum est. Obiit Treviris, 19. septembris 1598, atque in vestibulo, ut moriturus rogarat, ecclesiae inferioris tumulatus est; quem plures ex eadem gente secuti in hac ecclesia, in quibus Joannes Binsfeldt, decanus, 8. junii 1636 defunctus est.

Georgius ab Helfenstein, S. theologiae doctor, in episcopi Azotensis et Trevirensis suffraganei munere successit, qui virtute nobilis, multorum annorum curriculo in hoc studio egregio versatus, jam nonagenarius vitam Luxenburgi clausit, in Munsteriensi abbatia depositus aõ 1637.

Petrus Otto Senheim ex patrum deinde dominicanorum consortio ad eandem episcopalem mitram, vicariumque archiepiscopi Trevirensis officium traductus, simulque canonicali apud S. Simeonem sede donatus est, qui, ut erat vir humanitate, ac demissione sua gratus, ita ab electore Philippo Christophoro, Gallo cum Rhenanis populis urbibusque conciliando adhibitus, quorundam in se odia, et inprimis Hispanorum concitavit, quorum etiam custodia Juliaci circumseptus haesit; felicior omnino futurus, si limites sui muneris praetervecturus non fuisset, neque sic unius benevolentiae studuisset, ut plurium offenderet.

Joannes Hollerus denique, J. U. D. et ad S. Simeonem decanus, ad ejusdem Azotensis infulae et suffraganeatus decus adscitus ab archiepiscopo Carolo Casparo fuit, postquam et in jurisprudentiae hic Treviris tradendae munere exercitatus, et Viennensi Romanaque versatus in curia, non exiguam de se spem ab hausta domi forique experientia concitasset, quam hodiedum superstes tuetur.

Plures et hujus et Paulinianae ecclesiae, cum defunctos, tum superstites, doctrina ac virtute spectatos viros complecterer, nisi in re nimium prolixa brevitatis me cura adstringeret. In quibus tamen censeri potest Franciscus Petrus ab Hagen, S. Simeonis praepositus et curiae ecclesiasticae officialis, qui 1629 vita ac munere abiit; Joannes Linden, J. U. D. et consiliarius archiepiscopalis aõ 1634, et qui etiamnum superest Philippus Jacobus Schram, J. U. D. et sacri judicii pro officiali administrator, S. Paulini juxta ac S. Simeonis canonicus, ac publici nunc juris professor, tum denique adhuc superstes dominus Joannes Theodoricus Bruerius, J. U. D. quondam hoc loco decanus atque officialis, sed ob servitium Philippo Christophoro praestitum, ancipiti fortuna jactatus, senium, privato ecclesiae ministerio acquiescens, transigit; usurpare hoc nimirum non inepte solitus: *quod consequi honores, saepe fortunae sit opus, at mereri, semper virtutis.*

De bibliotheca et reliquiis.

Nobilis hic bibliotheca in veteri canonicorum ambitu loco perquam illustri et amplo, quae praeter duo in fronte et calce armaria, librorum XII. pluteos, mediam secantes aulam, et libros praegrandes, geminae tabulae hinc atque inde impositos, perque catenas loco fixos, sustinet, qui praecipuos quosque et antiquissimos juris peritorum tractatus exhibent, ut instructissima ab his jure censeri possit; quanquam nec aliarum facultatum libri desint, et sacra biblia duobus amplissimis tomis, vetusta prorsus manu exarata complectatur. Hanc vero a tribus potissimum jurisconsultis, et ad S. Simeonem canonicis, judici-

busque sacris excitatam reperio. In quibus primus Matthias Nunhuser de Nittel, pontificii caesareique juris consultus et consistorialis advocatus, hujus ac S. Paulini ecclesiarum canonicus, ão 1521 defunctus; alter Matthias de Saraecastro, ac tertius Maximinus Pergener, supra inter ecclesiasticos judices memorati.

Reliquiae, praeter S. Simeonis corpus caputque (quae diversis reliquiarum thecis affebre pretioseque inclusa servantur) variae hic multiplicesque, ac de iisdem propemodum sanctis apostolis, martyribusque, quas in divo Paulino recensuimus, ut ab hoc olim collegio participatae videantur. Quocirca hoc loco easdem repetere, praesertim cum magna quantitate non extent, supervacaneum duximus.

Praepositi ad S. Simeonem.

Gerasimus, occ. 1048—1061.
Burchardus, 1075.
Poppo, 1085—1097.
Baldericus, 1131—1163.
Gerardus, scholasticus major, occ. 1181—1196.
Albertus, scholasticus major, 1200.
Conradus, 1216.
Ingebrandus, 1225.
Robertus, 1234, 1236.
Hillinus de Fallemania, 1242.
Theodoricus de Ulmene, 1253—1256.
Wilhermus, 1287.
Theodoricus, occ. 1313.
Everardus de Massu, 1329.
Godefridus, 1345.
Wilhelmus, ão 1382.
Joannes Herbordi de Linz, canonicus S. Castoris Confl., 1400—1414, obiit 12. jul.
Joannes ab Ehrang.
Landolfus ab Enschringen, occ. 1416.

Simon Matthias de Boppardia, 1417. Nominatur vicarius generalis in spiritualibus 8. januarii 1416, more Trev.

Goswinus Muyl, 1430—1445.

Joannes Jux de Syrk, jur. lic., occ. 1488, quo testamentum condit, canonicus S. Castoris Confl., obiit 1489.

Landolfus ab Enschringen, U. J. Dr., occ. 1490, 1498, 1503. Landolfus, *Ludolfus* fuit insimul cancellarius Trev., praepositus S. Crucis Moguntiae et fundator hospitalis S. Helenae (ordinis eremitarum S. crucis) prope Welschbillig, quod initium ão 1488 sumpsit.

Matthaeus de Schönecken, 1505—1540.

Rupertus ab Enschringen, occ. 1558, obiit 1579.

Petrus Binsfeldt, nominatus 1. februarii 1580, episcopus Azotensis 1589, obiit 19. septembris 1598.

Franciscus Petrus ab Hagen, curiae ecclesiasticae officialis, occ. ão 1600 et 1607, obiit 4. decembris 1629.

Franciscus Petrus ab Hagen, junior, praesentatus 22. aprilis 1618, praepositus 10. decembris 1629, resignavit in manus pontificis Clementis IX. ão 1669.

Henricus Hartardus a Rollingen, possessionem praeposituræ accepit 23. septembris 1669, persolvendo duplicia jura, scilicet 56 florenos in auro. Resignavit ille ão 1693. Electus episcopus Spirensis 26. februarii 1711, obiit 30. novembris 1719.

Hugo Emmericus ab Eltz, possessionem accepit 22. junii 1693, obiit 11. martii 1698.

Gulielmus Casimirus Haven, equestris ecclesiae Bruchsaliensis canonicus praedicator, accepit per pontificiam provisionem possessionem praeposituræ 27. septembris 1701, resignavit vero 1736 in favorem Joannis Philippi a Walderdorf. Obiit eodem anno 1736.

Joannes Philippus a Walderdorf, expost archiepiscopus et elector; »pater patriae, optimus princeps, justitiae angelus.« Praepositaram accepit 17. augusti 1736, resignavitque ão 1764.

Philippus Franciscus, l. b. a Walderdorf, praeostenso baptismali et primae tonsurae testimonio, nec non numeratis

56 florinis auri, accepit 25. aprilis 1764 possessionem praepositurae, quam in ejus favorem via Romana resignaverat ejusdem patruus, eminentissimus dominus archiepiscopus princeps elector Trevirensis Joannes Philippus. Obiit, episcopus Spirensis, praepositus major, nec non ad S. Paulinum, 21. aprilis 1810.

Decani ad S. Simeonem.

Gunzelinus, occ. 1098.

Albertus, 1138.

Waltherus, 1158.

Petrus, 1187, 1188.

Elias ab Eltz, 1211—1228, obiit ante 1256.

Eberhardus, 1234, 1236.

Theodoricus, 1249.

Wilhelmus, 1275.

Albertus, 1310.

Petrus, 1326, 1331.

Joannes Jakelonis, 1344, 1350.

Michael, 1400.

Thilmannus de Arwilre, 1445.

Heymannus Franck, 1474—1494.

Matthaeus de Schöneck, resignavit ão 1505.

Balthasar Merklin de Waldkirch, electus 8. februarii 1505, episcopus Constantiensis ão 1529, obiit ão 1531.

Petrus Fanckeler, juravit 18. augusti 1522.

Matthaeus Saarburgius, occ. 1530, obiit 1539.

Henricus a Falkenberg, electus 20. decembris 1539, occ. adhuc 1547.

Maximinus Pergener, occ. 1548, obiit 1557.

Fridericus ab Homburg, electus 16. octobris 1558, obiit 1559.

Theodoricus ab Enschringen, electus 1. februarii 1559, obiit 1568.

Bernardus Kilburg, electus 8. martii 1568, obiit 1573.

Helias Heymans, electus 26. februarii 1573, resignavit ao 1589.

Georgius Helfenstein, electus 6. novembris 1589, episcopus Azotensis ao 1599, in pontificalibus vicarius generalis reverendissimi Trev., Sacrae theologiae doctor, obiit Luxemburgi, die 21. octobris 1632.

Joannes Binsfeld, Ss. theol. Dr., occ. 1634, obiit 8. junii 1636.

Joannes Theodoricus Bruerius, occ. 1645 et 1650. In curia Romana causam capituli majoris agens, per sententiam, a consistorio ecclesiastico latam, decanatus et canonicatus dignitatem amittit.

Otto a Senheim, episcopus Azotensis, in locum Bruerii postulatus est die 18. maji 1646, juravitque 29. maji 1646.

Gulielmus Post, 1650, obiit 25. martii 1667.

Joannes Holler, electus 10. septembris 1652, episcopus Azotensis, obiit 19. novembris 1671.

Joannes Osweiler, Epternacensis, Jur. U. Dr., protonotarius apostolicus, Joannis Holler ex sorore nepos, electus 18. januarii 1672, obiit 1681.

Maximilianus Henricus Burman, Bonnensis, canonicus 27. martii 1681, in decanum electus 29. martii 1681, installatus per seniorem canonicum, Joannem Nicolaum Schütz. Fuit ille etiam ecclesiae collegiatae S. Georgii, Coloniae, decanus, postea episcopus Diocletianensis et suffraganeus Trevirensis. Obiit 20. octobris 1685.

Joannes Nicolaus Schütz, electus 18. januarii 1686, obiit 5. septembris 1691.

Tillmannus Becker, juravit 1. februarii 1692, obiit 1702, mense decembri. Canonicatus possessionem accepit Ludovicus Antonius ab Anethan.

Christophorus de Neander, obiit 17. julii 1704. In canonicatu ei successit Joannes Petrus Daub Trevir.

Philippus Christophorus Fidler, electus 1. septembris 1704, obiit 9. januarii 1717. Ad ejus canonicatum admissus est

reverendissimus et illustrissimus dominus Joannes Matthias ab Eyss, episcopus Rosmensis.

Joannes Henricus Flörchinger, Saarburgensis, electus 3. februarii 1717, obiit 28. julii 1729.

Lotharius Fridericus a Nalbach, episcopus Emausensis, decanus S. Paulini, postulatus 5. septembris 1729, obiit 11. maji 1748.

Joannes Nicolaus ab Hontheim, »ingenuus et maximae spei adolescens,« accepit possessionem canonicatus vacantis per mortem domini Schlabart, 8. decembris 1713, nominante domino Hugone Friderico d'Anethan, canonico capitulari. Ad decanatus dignitatem unanimiter electus fuit 11. junii 1748 teste chronographo:

UnDeCIMa IVnII In festo s. barnabae
apostoLI noVVs Iste praeses noster eLIgItVr.
VIVat annIs nestorIIs.

Ob ingravescentem aetatem resignavit ad manus capituli 21. aprilis 1779, obiitque 2. septembris 1790. Floruit sub illo inter canonicos hujus aedis D. Joannes Hugo a Gaerz, Confluus, propatruus meus, qui ão 1725, 28. aprilis, accepit possessionem canonicatus, vacantis per obitum D. Matthiae Esselen, diemque clausit 27. februarii 1756.

Petrus Josephus ab Hontheim, per quinque annos hujus ecclesiae cantor, J. U. D. consiliarius ecclesiasticus, in locum patrui electus est 3. maji 1779, obiitque 20. septembris 1807.

CAPUT XVI.

Collegialis ecclesia S. Dei Genitricis Palatiolana.

Primo lapide ab urbe, oppido Palatiolo ad Mosellam flumen sita est; initium dedit Adela, Dagoberti, ut ajunt, filia, et virgines ibi canonicas aggregavit aluitque, quarum candidus

amictus extitit et vita regularis. Adelae successit in abbatissae munere Bobila, nobilis virgo, et plures aliae, inter quas fuit Warendrudis, Hettonis archiepiscopi soror, quae per lapsum 42 annorum monasterium rexit, Rothildis, circa annum 988, Rathsindis, saeculo XI.

Poppo archiepiscopus virginum illarum tandem vitiis et dysdaemonia offensus, primum ignominiae et poenae causa pullum amictum dedit, post canonicos induxit, foemineumque genus expulit. In antiquis monumentis ecclesia haec vocatur S. Mariae de Palcele. Gregorius, Ultrajectensis ecclesiae moderator, ordinis secundi sacerdos et abbas, hic apud Adelam aviam illustri stirpe natalium educatus, et adolescens a S. Bonifacio, teste B. Ludgero, Palatiolum divertente, a mundi illecebris ad Christi obsequium traductus; quocirca a nonnullis dubitatum est, an Adelae memoria, cujus hic sepulchrum in muro ad dextram summae arae, septenis facile longum et tribus elatum pedibus exstat, ad hanc illustrem matronam, an ad Dagoberti filiam pertineat, cum una et eadem esse possit. — Est huic collegio, praeter alias, subjecta Cochem, celebris apud Mosellam oppido parochia, S. Martino sacra, cujus verticem thoracida argentea conditum religiose colunt oppidani. Quia vero recenti memoria collegium hoc eruditionis ac prudentiae laude multum exornavit Petrus Homphaeus, Palatioli decanus, de hujus, ac patrui cognominis et patruelis vitae memoria par est non conticescere. Omnes hi Cochemensi oppido in lucem editi, litteris et liberalibus disciplinis Embricae in florentissimo gymnasio docendo, haud parum attulere lucis et praesidii. Petrus senior, vir sempiterna memoria dignus, anno 1533 cum Lutheriana pestis invalesceret, Embricae gymnasiarcham egit, atque istic doctrinae ac vitae inculpata fama amplissimo collegio canonicorum S. Martini adscriptus, creatusque decanus, juventuti probe erudiendae et educandae certa vectigalia constituit. Hujus patruelis, vir Graecis Latinisque litteris apprime imbutus, ibidem scholas habuit, atque inde ad Rhenum, haud procul Lonsteinio, curionis munere fungens, acrem se fidei orthodoxae propugnatorem exhibuit, ita ut coram ipso haereticus semet-

ipse inferis devovens, ni vera essent, quae falso asseverabat, extemplo concidens, animam efflavit. At Petrus, senioris ex fratre nepos, ão 1563 solo natali parochiam Cochemensem strenue administravit, cum Lovanii ingenium bonis artibus excoluisset, et easdem Embricae, majorum suorum exemplo, publice docuisset. Atque hos omnes in collationibus suis Bredenbachius celebravit. Superiore vero aetate Tilmannus de Geismaria hic decanus restituti meliorem in locum collegii, et templi ritualibus libris instructi gratam posteris memoriam reliquit: vixit circa annum 1440 et calligraphiae suae mnemosynon volumen abs se scriptum, quod lectionale nuncupant, extare voluit. Et aliorum quorundam vita ac virtute illustrium virorum, memoria publicis monumentis illustrata, nequaquam hic nobis praetereunda videtur.

Homphaeus, cujus ante meminimus, talem nobis sepulchri in supino lapide primariae aedis inscriptionem reliquit: *Hoc saxum positum est Petri Homphaei decani Palatiolensis cineribus, quod cupit esse inviolabile, donec ad vocem filii Dei resurgat. Anno Salutis MDC. XVI. Jan.* In erecto ad parietem monumento hi versus leguntur:

Clauditur hoc saxo sublatus morte decanus
Annos triginta Homphaeus bis rector in urbe
Magnificus Treviri, infirmoque in corpore fortis,
Antea cum patriae Cochmiae tria lustra dedisset,
Pastor pauperibus moriens bis mille reliquit.
Sat memor, esse Deo, quodcunque Dei, tribuendum.
Ejus, dic lector, manes in pace quiescant.

Et alii ante Homphaeum scientiae non minus, quam virtutis merito archiepiscopis Trev. chari, aulaeque idcirco principalis muneribus adhibiti hujus ecclesiae viri deprehenduntur. In quorum numero D. Joannes a Sirck fuit, cujus etiamnum monumentum hac epigraphe in sacello S. Petri conspicuum est: *Honorabili viro D. Joanni Sirck decano hujus ecclesiae, qui fide et integritate spectatus, tribus archiepiscopis Trev. in administrando quaesturae officio, magno usui fuit, haeredes superstites pia grataque memoria posuere. Vixit annis circiter LXXX. obiit pridie Joannis Baptistae MDXLVII.*

Rursum in sacello S. Nicolai decani fundatoris memoria hac inscriptione celebratur: *Repausat hic venerabilis D. Joannes a Lutzerad decanus Palatioli, qui sacellum hoc funditus exstruxit, binaque in eo per hebdomadem sacra instituit celebrari. Cui Deus requiem dignetur aeternam.*

In eodem sacello alterius decani inscriptio sic habet: *Epitaphium venerabilis, atque devoti domini Nicolai Land a Cellis, decani ac canonici collegiatae ecclesiae Palatioli. Obiit anno domini MDLXVI.* Carmen in fronte aeterna dignum recordatione scribitur:

Omnia mors sternit, quod natum est interit; una
Fine caret virtus, et benefacta manent.

Subjecti versus alii magna sui parte obliterati, uno tamen alterove disticho pro viri memoria his chartis posteritati, qua legi potuit, vindicandum:

Vivida in exiguo fervebat corpore virtus,
Quae vitae in cursu claruit usque suae.
Principibus multis secreta negotia prudens
Tractavit, modico tempore, lustra decem.

Praepositi Palatiolenses.

Rupertus, vicedominus, 1153—1162.

Gerardus, canonicus domus majoris, 1167—1181.

Joannes, 1217, sub cujus regimine Theodoricus archiepiscopus 1217 collegio Palatiolensi ecclesiam de Cochme tradit, ita ut unus canonicorum a capitulo absit et pastoris officio fungatur.

Henricus, 1228 et 1241.

Gerardus, 1243.

Henricus, 1248—1267.

Nicolaus advocatus de Hunoltstein, occ. 1299—1335, quo anno defunctus. Balduinus archiepiscopus 3. septembris 1315 collegio parochiam Bischofsdrohn donat.

Henricus Kempe, occ. 1367.

Joannes ab Hexheim, occ. 1376 et 1391, quo praesidente, Cuno archiepiscopus 2. septembris 1379 collegio praeposituram ad dies vitae cedit.

Nicolaus de Monthabur, canonicus capitularis ecclesiae Trevirensis, occ. 1399.

Decani Palatiolenses.

Conradus, 1243, 1250.

Nicolaus, 1254.

Henricus, obiit ante 1271, avunculus Friderici, successoris.

Fridericus, 1271.

Waltherus, ante 1294.

Thilmannus de Geismaria, occ. 1402.

Joannes de Remagen, 1415.

Syfridus.

Joannes de Lutzerad, 1501, obiit 1527 et fundat eodem anno capellam S. Nicolai Palatioli.

Joannes de Sirck, electus 22. maji 1527, obiit 23. junii 1547.

Nicolaus Landt a Zellis, electus 12. julii 1547, obiit 1566.

Petrus Homphaeus, Cochemensis, electus 7. martii 1566, obiit 16. januarii 1600. Fuit usque in annum 1563 capellanus altaris S. Nicolai Confluentini in ecclesia B. M. V.

Joannes Pfaltzell, electus ão 1600.

Petrus Hasius, obiit 28. junii 1626.

Joannes Zand, electus 21. julii 1626, occ. ão 1634.

Hermannus Roth, vere Rodt, juravit 17. junii 1639, occ. 1649.

Casparus Krossel, vere Cröschel, juravit 17. aprilis 1651, occ. ão 1654.

Petrus Dillens, obiit 1674.

Joannes Adolphus Umbscheiden, electus 6. augusti 1674.

Joannes Wilhelmus a Lettich, juravit 3. novembris 1675.

Antonius Reus, occ. 1736, obiit 25. martii 1737.

Stephanus Puriselli, electus 29. aprilis 1737.

Joannes Udalricus Miltz, occ. 1760, obiit 21. martii 1772.

Josephus Eberhard, electus 27. aprilis 1772, obiit 26. aprilis 1794.

Joannes Matthias Ignatius de Kaysersfeld, elect. 2. junii, confirmatus 13. junii 1794, obiit 29. octobris 1820.

CAPUT XVII.

Ecclesia S. Florini Confluentiae.

Collegialis ecclesia S. Florini Confluentiae, in ea oppidi regione, quam praeterfluit Mosella, magnis etiam structurae, supellectilis sacrae, et veterum donationum ornamentis lucet, ut alter haberi possit hujus civitatis ocellus. At Ottonis magni et S. Henrici aevo, quorum beneficentiam depraedicat, et supra quoque repetit originem, monasterium S. Dei Genitricis, Henrici I. archiepiscopi tempore, appellatum fuit. Inter bene meritos Conradus, Lotharingiae dux, ille bello fortis, apud Augustam in acie contra Hungaros cum Ottone strenue bellando caesus, Hermannus, Sueviae et Alsatiae dux, Ruotbertus et Henricus, aliique Treverici pontifices, in quibus primas fert Theodoricus, ex comitibus de Wieda, qui ad coenobii disciplinam restaurandam, cum praeiissent Conradus praepositus, nec non Wolframus decanus, assignata sibi Kerlichianae ecclesiae jura, fructus et vectigalia donavit subsidio communis mensae, pro eo munere certas preces, et vivus et mortuus, deposcens, anno 1217, VI. idus martii. Balduinus archiepiscopus inopia laboranti collegio Mendichiam superiorem, Elintziam et Flachtenam ecclesias adunavit ão 1350. Cuno archiepiscopus male computatam proventuum distributionem ad aequalitatem revocavit ão 1366. Nec ab hac classe foeminae se subducunt illustres, Lutgarda, Conradi ducis filia; Glismunda, Bubenheimii fundum et ecclesiam S. Florino largita, Eberhardo praesule Trevirorum ão 1052. Nec silentio praetereundi nobiles

clarique viri, Joannes de Nassovia, ão 1326; Theodoricus de Hammerstein, ão 1350, Joannes a Lintz, in Basileensi concilio et componendo cleri populique Moguntini dissidio spectatus, hujus ecclesiae praepositi, et Tilmannus de Laustein, decanus, vir domi nobilis, ão 1379 amplo legato clerum hujus loci prosecutus est.

In hujus ecclesiae sacrario ostenditur nobile monumentum Ottonis archiepiscopi, ad quatuor distinctos angulos insculptis stirpis Ziegenhainiae clypeis, qui praesul, cum Treviris sepultus sit, hic, reor, exta, vel reliquias ipsius fuisse depositas. Inscriptio tamen est, *Anno MCCCCXXIX. XIII. mensis februarii, obiit reverendissimus in Christo pater ac dominus Otto de Ziegenhein S. Trevirensis ecclesiae archiepiscopus.* Tres praeter hunc archiepiscopi eadem in basilica sub monumentorum suorum epigraphis, alibi in annalibus propositis, quiescunt. Hi sunt Jacobus Badensis, anno salutis 1510, Joannes Isenburgicus, ão 1556, et Joannes a Petra, ão 1567 defunctus, cui ad dextram chori majoris sepulto, haec e sacris litteris admonitio, omnium animis memoriaeque inscribenda, subjicitur: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Honoratur quoque haec ecclesia, non quidem morte, sed vita Nicolai Cusani, ingenio doctrinaeque praestantia viri celeberrimi, qui ão 1424 hujus collegii decanus fuit, excellentissimis in religionem meritis Romana donatus postmodum purpura, qua cum ipso Trevirensis archidioecesis ornata est, de quo alibi, in annalibus, disseruimus.

Reliquiae hujus ecclesiae praecipuae sunt:

1. S. Bathildis (alii Mechtildem vocant), quae basilicam hanc religione donisque olim non minus, quam sanctitate illustrasse fertur.

2. Caput S. Florini, cum brachio, a quo, amore Sancti, Carolus IV. imperator, propria manu, vertebram rescidit, ut praesidio illius praesentioris frui posset.

3. Brachium S. Innocentii, et scapula S. Miniatis.

4. Reliquiae SS. Cosmae et Damiani; et hos omnes patronorum loco venerantur.

5. Brachium S. pontificis Sylvestri, digitusque ejusdem cum carne.

Non omisero hoc loco, quod in Mendichiana ecclesia superiori, quae S. Florini canonicis subjacet, ad honorem Sanctorum memorabile experimur. Colitur istic S. Genofeva Parisiensis, diversa ab illa principe palatina, cujus in alia haud procul dissita Frauenkirchiana aede memoria est. Illius igitur Genofevae beneficiis hoc accolae incolaeque in tempestate fulminea praesidium obtinent, ut si periculosum ab occidente fulmen locis eis immineat, saepe in templi apice super crucem, perque tecti verticem, candelae ardentes, lateque conspiciendae emicent. Unde in exortae tempestatis discrimine plurium huc vertuntur oculi, et ubi conspecta lux haec fuerit, securi periculorum campanum aes ferire desinunt, puerique exultantes provolant, proclamantque: *Genofevae cerei ardent, timendum nihil est.* Res istic locorum decantata, nec sine haereticorum admiratione celebrata. Ita *Deus etiam in Sanctis suis laudatur.*

Praepositi ad S. Florinum.

Wilhelmus, Willimannus potius, saeculo decimo.

Eberhardus, occ. 1071.

Bruno, comes de Bretten, archiepiscopus ão 1102.

Bruno, comes Montensis, 1102—1131.

Ludovicus, dominus de Isenburg, ão 1142.

S., ão 1149.

Bruno, ão 1156.

Alexander, archidiaconus, IV. kal. novembris 1156.

Lutherus, occ. ão 1182.

Conradus de Rheineck, Cuno, 1204—1249. Fuit hic Conradus 1239 insimul pastor S. Laurentii Treviris.

Henricus de Bolanden, archidiaconus tit. S. Castoris, occ. 1257, 1264, obiitque 12. novembris 1286.

Joannes de Rheineck, electus 20. novembris 1286, occ. 1290 et 1301.

Joannes de Nassau, 1307—1326.

Joannes de Hammerstein, occ. 21. julii 1338.

Fridericus de Manderscheid, occ. 1353.

Theodoricus de Hammerstein, 1355—1379, obiit 1384.

Wernerus a Falkenstein, nominatus 16. junii 1386, occ. 1388, archiepiscopus ão eodem 1388.

Joannes Koet de Limburg, Gerlaci, decani majoris frater, occ. ão 1391 et 1393. Fuit etiam (ão 1380) decanus B. M. V. Vesaliae.

Joannes Herbordi de Lyns, occ. 1401—1411.

Simon de Boppardia, occ. 1418.

Thielmannus Johel de Lyns, occ. 1426, 1439, 1450, obiit 31. januarii 1452.

Marcus, marchio Badensis, electus 1464 (seu potius 1460), obiit 19. augusti 1478.

Engelbertus Erchel, occ. 1499, ultimus praepositus, ad augmentationem cultus divini, praeposituram libere resignavit, et bona reditusque communi praesentiae incorporari curavit. Incorporationem hanc confirmavit bulla Leonis X. pont. max. data ão 1517, die 15. martii. Attamen Engelbertus, praepositi jure usus, 29. aprilis 1517 custodiam Joanni Mull, canonico capitulari tradit.

Carolus de Miltitz, 1520.

Decani ad S. Florinum.

Theodoricus, 1091.

Henricus, occ. 1136 et 1138.

Gerardus, occ. 1182—1187.

Winfridus, ão 1202.

Wolframus, 1202 et 1217.

Jacobus, 1210, 1212.

Wolframus de Schönau, 1215, 1217, 1225.

Giselbertus de Engers, 1221, 1225, 1235.

Engelbertus ab Arca, 1238.

G., 1245.

Joannes, 1249, 1264, 1288.

Gerlacus de Malberg, occ. ão 1293, 1297.

Robertus ab Elz, occ. 25. januarii 1300.

Conradus, anno 1306 testamentum condit.

Theodoricus de Dize, 1309—1320.

Adolphus, 1316.

Godefridus.

Jacobus de Monasterio, gentis patriciae perantiquae in urbe Confluentum, verosimiliter de monasterio S. Mariae sic nuncupatae, eo quod curia ejusdem monasterio adjaceret. Occ. Jacobus 1326, 1336, 1357, 1359, testamentum condit 1363.

Tilmannus a Lanstein, occ. 1364 et 1367, testamentum condit ão 1379.

Theodoricus a Lanstein, occ. 1367, 1373.

Berwicus, 1392 et 1396.

Joannes Hachgemberg de Lyns, occ. 1401, 1408—1411.

Gerardus Wessem, Wesheim, 1412.

Robinus ab Eltz, 1428.

Nicolaus Cusanus, occ. 21. augusti 1431, nec non 9. julii 1435, expost cardinalis, tit. S. Petri ad vincula.

Simon de Boppardia, vicedecanus, 1438.

Conradus de Wetzflaria, vicedecanus 1444, decano in remotis agente.

Henricus de Attendorn, 1450.

Helwicus de Boppardia, decretorum doctor, ão 1450, 1451, 1452 et 1454.

Goswinus Muel, 1454.

Ludovicus Suerborn, Dr., occ. 1454, 1464, 1465, testamentum offert 29. aprilis 1494, obiit 4. octobris 1495.

Christianus Lauck, occ. 1501, sabb. post Matthiam.

Richard Graman de Nickenich, electus 6. martii 1507, fuit etiam canonicus S. Castoris.

Joannes Gutmann, juravit 4. aprilis 1508.

Joannes Lauck, aggreditur decanatum 9. junii 1511.

Hermannus Foemelen, ão 1517.

Henricus Foemelen, occ. 1521.

Conradus Lengenfeld, juravit 6. augusti 1532, obiit 24. decembris 1552.

Georgius Leonberger, juravit 7. martii 1553, obiit in thermis Amisianis, 7. julii 1560.

Joannes Muel ab Ulmen, juravit 31. julii 1560, obiit 31. decembris 1567.

Cuno ab Homburg, electus 13. januarii 1568, obiit 25. novembris 1581.

Joannes Werl, electus 19. decembris 1581, officialis 17. aprilis 1597, obiit 16. octobris 1628.

Joannes Flade, officialis, juravit 3. novembris 1628, occ. ão 1637, obiitque ão 1658.

Joannes Fulbertus Werl, electus 23. septembris 1658, occ. 1670 et 1672.

Joannes Finger, juravit 24. novembris 1683, obiitque 9. februarii 1711. Floruit sub illo eximium hujus ecclesiae decus, Joannes Hugo a Gaerz, qui possessionem capit canonicatus sabbatho 20. septembris 1697, postea curiae Confluentinae officialis, ão 1715 vero episcopus Dorylensis, suffraganeusque Osnabrugensis, in dominica Laetare, ão 1715, Bonnae, pontificali honore insignitus est. Obiit sanctus ille praesul Osnabrugi, 25. decembris 1716. Hoc ejus epitaphium, Osnabrugae, loquitur: *Hic jacet, in quo, dum viveret, effigies S. Caroli Borromaei stetit, dixisses ipsissimum, nisi nomen scivisses: Joannes Hugo a Gaertz, Episcopus Dorylensis, Missionum Septentrionalium Vicarius Apostolicus, denatus anno MDCCXVI. die XXV. Decembris: Effigiem ipsam in se dum faciebat, dabat umbram humilitas, lucem puritas: Zelus, scientia, oratio, sui abnegatio, grata erant, quia sancta, mixtura colorum: Solus argenteus deerat, et habuisset, nisi pauperes fuissent, quibus et se, et sua dedit: hoc reliquit, quod hic jacet, caetera habet Coelum, tu Viator exemplum. R. I. P.*

Joannes Wolfgangus ab Hontheim, electus 6. martii, juravit 15. martii 1711, obiit 1721.

Joannes Theodorus Senheim, electus 4. novembris 1721, obiit 9. augusti 1737, aetatis 84.

Hartmannus Jacobi ab Ehrenkron, electus 14. septembris 1737, obiit 26. junii 1749.

Joannes Hugo Eckenbertus Jaeger, juravit 19. augusti 1749, obiit 30. augusti 1772.

Anselmus Fridericus Antonius Remelt, J. U. D., serenissimi Trev. consiliarius ecclesiasticus, ecclesiae collegiatae ad S. Clementem Magoniae canonicus capitularis, electus 9. septembris 1772, confirmatus 18. septembris 1772, obiit 7. augusti 1789, aetatis 73.

Joannes Jacobus a Coll, J. U. D. serenissimi Trev. consiliarius ecclesiasticus, electus 9. septembris 1789, obiit ão 1798, 22. octobris, aetatis 69 (natus erat 21. martii 1729). Vir pietate, disciplina, doctrina, insignis. R. I. S. P.

Georgius Antonius Bolen, electus 5. junii 1800, sed propter injuriam temporum non confirmatus. Obiit 11. novembris 1822, Leudesdorpii. Et ille fautor meus R. I. S. P.

Canticum pervetustum in laudes S. Florini conf.

Florinus amabilis
Sacerdos laudabilis
Sanctitatis gloria.

Fulget in coelestibus
Cum sanctorum coetibus
Peracta victoria.

Ibi summa trinitas
Indivisa unitas
Consolatur omnia.

Hujus praedicatio
Hujus operatio
Sit salutis nuntia.

Terrena despicere
Docens, et acquirere
Paradisi gaudia.

Exstitit pro speculo
Dum vixit in saeculo
Hujus Deo placita
Vita est intuita.

Fugans ydolatriam
Emundavit patriam
Ampla Rheni spatia
Perlustravit gratia.

Nil terrenum ambiebat
Quia vere diligebat
Jesum super omnia.

Apud ipsum obtinere
Velit ut possimus flere
Quod mens timet conscia.

Claris signis decoratur
Locus in quo veneratur
Operum per merita.

Daemonia fugat iste
Haec concedis sibi Christe
Semper esse subdita.

Veneremur hunc patronum
Obtinentem coeli thronum
Qui nobis beneficia
Largitur in laetitia.

Hujus gaudet praesentia
Nobilis Confluentia
Qui ut rosa vel lilia
Redolet in ecclesia.

O Florine florens rosa
Te decet laus innumerosa
Tu nos Christe dic isto
Clementer concilia.

Vir antiquae dignitatis
Ora fontem pietatis
Ut nos omnes a peccatis
Mundet data venia
Amen dicant omnia!

Donatio decimarum de Montabaur, ex cartulario S. Florini.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Heinricus Dei omnipotentis annuente clementia Trevirensium praesul venerabilissimus Notum sit omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus scilicet tam praesentibus quam et futuris quandam in Humbacensis capelli suburbio ecclesiam, ligneo constructam fundamento Ruotbertum meum praecessorem ducis Hermanni petitionibus consecrasse atque omnem circumquaque decimationem eius subditam dominatui praetitulasse sic quae pro animae remedio Dei Genitricis sub nomine dedicato cuidam monasterio Confluentibus sito multorum Christifidelium testimonio comprobante condonasse, quatenus fratres eidem loco deservientes dominum perhenniter mererentur exorasse, postmodum vero non longo tempore, spatio praetereunte Willimannum eiusdem monasterii provisorem praescriptam jam saepius ecclesiam lapideo fundamento renovasse, ac nostrae paternitatis iuvamen una cum totius catervae conventu humiliter invocando rogasse, sibi sub eorundem honore Sanctorum quorum prius est consecrata, videlicet Petri principis apostolorum et S. Georgii martyris dedicasse nec non priori remuneratione donasse sub tali quae inferius annotata titulatione cunctorum in praesentia parochianorum recitata mandasse ne amodo quisquam aemulorum terminationis cartulam mea manu simulque fidelium clericorum laicorumve corroboratam et sigillo consignatam posset violasse &c. &c. (Sequitur donatio praedic-

torum cum eorum confinibus prout in litera cum subscriptione a tergo clericorum et laicorum). In calce litterae nota exterminationis sub his verbis: Si quis autem ex his quiddam quod absit cupit condicendo auferre sit anathema Maranatha.) A tergo literae prope sigillum haec pauca continentur: *Idibus februarii dedicata haec ecclesia ab Heinrico archiepiscopo.* Nec habet datam.

CAPUT XVIII.

Ecclesia S. Castoris Confluentiae.

Collegialis ecclesia S. Castoris, Confluentiae, ea oppidi parte, qua Rhenus alluit, praecipuo decore et elegantia structurae et religione vetustatis certans, cum primis Hetti pontificem conditorem, Ludovicum Pium fundatorem laudat.

S. Castoris, nobile pignus sane, pontifex is Caradono in recens exstructam basilicam spectabili venerationis pompa transtulit ão 837. Ab eo tempore magnum ejus basilicae nomen, et a magno confessore religio major titulusque. Caput S. Castoris argentea effigie visendum offertur, corpus in motoria tumba quiescit; at ornatu vario splendent caeterae Sanctorum exuviae. Mausolea quoque hac in aede conspiciuntur duorum archiepiscoporum Cunonis et Werneri, qui anniversariam istic sibi memoriam benemerendo constituerunt.

Verum, ut aevum et senectam non omnia ferunt, ita a regibus olim frequentata basilica saeculo Christi undecimo vel ruinae, vel incendii cladem pertulit. Nam a Joanne I. sub annum Domini 1208 et collegium ordinatum, et templum ex vetustis membranis reperimus dedicatum; sed multa tamen ex antiquis operibus vitam retinuisse, ipsa templi species certe

decora coarguit. Nam praeter amplum peristylon, quatuor eminent turres, binae ad occidentem, aliaeque binae, sed minores, versus ortum, opere interfuso tectorio pereleganti. Parochia quoque haec basilica antiquitus exornata fuit, de cujus finibus cum anno Domini 1218 controversia incidisset propter B. Virginis parochiam, quae totius oppidi est spectatissima, arbitri dati limitis regendi, et cuique assignata sua regio. Ad caeteros clerum olim hunc illustrarunt Diethelmus de Helffenstein, praepositus ecclesiae S. Castoris, cujus ab anno 1323 eximium factum legitur testamentum, quo de posteritate bene mereri studuit. Et ejusdem ecclesiae praepositus vixit Wilhelmus de Helffenstein, magnifica sepultura, aureis sculpta literis, conditus in S. Florini sacrario, ubi obiisse legitur 1350, die undecim millium Virginum; in quorum gente ministerium dapiferi floruit, archiepiscopo quondam ab Helffensteiniis jam intermortuis exhibitum. Porro ão 1451 Jacobus I. archiepiscopus collapsam cleri disciplinam erigere ingressus, sapienter in praefatione constitutionum, quas reliquit prudentissimus et doctus antistes observavit, canonicos hujus loci, ut et alibi, in observantia regulari vixisse. Et ejus rei argumentum petiit ex officinis, quae tum etiam supererant, refectorio, dormitorio, cellaria, granario, caeterisque communis vitae vestigiis et monumentis.

Reliquiae Sanctorum et miracula.

Praecipuae Sanctorum corporum reliquiae (nam caeterorum minori quantitate asservatarum meminisse non lubet) sunt ossa S. Castoris, divi Materni monitu ab Hetti archiepiscopo Confluentiae huic ecclesiae illata, et solenni ritu post aram maximam honorifice deposita, quae 13. februarii die, quae dedicatae ecclesiae sacer est, quot annis publice ad venerationem debitam spectandae proponuntur.

In theca quoque argentea, brachii figuram aemulante, duo ex S. Goaris brachio visuntur ossa, cum hujus versiculi inscriptione: *Panditur ignaris, quod sint hic ossa Goaris,* quan-

quam in eadem pars brachii S. Castoris jungatur, ut nimirum ecclesiastici hujus loci non minus, quam Cardonenses, profiteantur, utriusque se Sancti ope atque auxilio fidenter niti. Asservat eadem ecclesia reliquias S. Laurentii martyris, quem in coelestis patrocinii adjutorem sibi adscivit, solemnique memoria recolit.

At singulare hoc loco B. Ritzae virginis, ut monumentum, sic patrocinium cum anniversaria recordatione ad 30. augusti diem observatur. De qua non pauca memoratu digna in fastis hujus ecclesiae et traditione majorum notata sunt. Haec Ludovici Pii, Romanorum imperatoris et regis Francorum, laudatissima soboles, hujus olim basilicae frequens incola, quem viva suis locupletarat opibus, et exquisitae vestigiis pietatis locum signarat, hunc moriens depositis sanctae animae exuviis in spectato hodiedum tumulo, non paucis miraculis coruscante, exornat.

Referunt, ea jamtum viventem sanctitate excelluisse, ut quamvis trans Rhenum paternam arcem incoleret, hujus tamen amore loci, et pietatis studio inflammatam, sicco indies pede sub aurorae ortum calcasse aquas, velut glacie stratas, templumque nondum urbis muris inclusum, subiisse, tum vero deinde mortuam sub testudine ejusdem aedis lapidea, in latere dextero collocatam; verum divina virtute ex his veluti latebris, in mediam templi aream conspectumque juxta affluentis populi translatum monumentum, religionem injecisse ecclesiasticis, ut illustriori virginem tumulo hoc loco decorarent. Ex quo deinde tempore ejus observantia frequentibus supra naturam eventibus nobilitata, magnopere creverit. Sed ut in priorum factorum fidem non juravero, ita negare minime possum, religionem tumuli miraculorum existimatione etiamnum persistere, coaluisseque jam olim sodalitium B. Ritzae singulari pietate devotum, quod saecularis juxta, atque ecclesiasticae disciplinae homines complexi sint, quibus in vigiliis festorum ad preces, et missarum solennia convenire vetus consuetudo est. Nec Ludovici Pii, B. Ritzae parentis, et fundatoris optimi memoria excidit, siquidem in chori aditu laevam versus supra columnam

icon deaurata corona eminet, quam decumanis literis haec cingit inscriptio: *Pius Ludovicus Romanorum et Francorum rex fundator hujus ecclesiae.* Anniversariam illius memoriam recolunt dedicatae ecclesiae solenniis.

Verum perseverat etiamnum gloriosa B. Ritzae virginis memoria, cujus quanta fuerint apud Deum merita, anno Dominicae incarnatonis 1204 Deo primum manifestare diversorum morborum curatione placuit. Quae ut posteritatis merentur fidem, auditis factorum testibus, signatisque publica autoritate literis mandata sunt, et compendio in vetusta ecclesiae illius tabula exhibentur, praecipue autem iis, qui membrorum contractione, ac caecitate oculorum desperata laborant, subsidium adferre visa est. Unde haec ecclesiae illius oratio: *»Deus, qui vitae sanctitatem B. Ritzae in- »signium miraculorum frequentia populo manifestare dignatus »es, praesta supplicibus tuis, ejus meritorum intercessione a »contractione membrorum et caecitate oculorum, et mentis »tenebris et a morte perpetua liberari per Christum Dominum »nostrum«.*

Inter primos B. Ritzae patronicio sanatos est mulier quaedam hujus loci, Benigna nomine, quae quorundam membrorum contractione laborans aegre gressum suffulta stipite ad templum moliebatur; ubi dum anno supradicto in festo S. Stephani protomartyris juxta sepulchrum B. Ritzae per hujus intercessionem remedium mali sui a Deo ferventer exposcit, magnaque circum populi multitudo affluerct, contractum mulieris crus fragore insolenti solutum est: attonitisque circumstantibus erecta et in D. Ritzae laudes effusa mulier, abjecto coepit baculo incedere. Qua re celebratum B. Ritzae nomen, multosque diversis afflictos aegritudinibus ad tumulum abstraxit, non sine plurium salute. Ita anno insequenti, qui est Christi 1205, foemina Ehrenbreitsteiniana, quae filiam domi caecam alebat, hujus calamitatem miserta, ad tumulum B. Ritzae preces cum munusculo oblato deposuit, et postquam domum revertisset, cum admiratione filiam videntem, cultantemque reperit, quam proximae dominicae festivitate in processione frequenti, ap-

plausuque hominum, ad beatae sepulchrum, aramque, cum oblatione, per videntis manus facta, pro gratiarum actione reduxit. Eodem anno, sabatho post ascensionem dominicam, Lahnsteiniana mulier membrorum omnium contractione ita misere afflicta, ut non nisi scabello nixa corpus humi jacens levare posset, reptandoque per pavimentum trahere; ad D. Ritzae monumentum supplex procubuit, oravitque, hanc sibi tantummodo per ipsius patrocinium gratiam a Deo obtineri, ut baculo profligatum corpus liceret regere, et ad necessarios usus transferre, quod votorum compos impetravit. Alia ab Oftemdichio prorsus ex contractione omnium membrorum impotens, ad beatae sepulchrum deportata, cum a quarta die apostolorum DD. Petri et Pauli sacra, ad octavam istic durasset, hoc precum perseverantiaeque suae praemium tulit, ut et D. Ritzae tumulo dehiscente, corpus illius ingenti gloria circumfusum viderit, ostenderitque vicinae ex Horchemio mulieri, et in corpus sine difficultate erecta, omnes templi aras supplicabunda adierit.

Nec multo post Gerlacus de Bleyde et Gusella filium Conradum quinquennem, ex utero matris contractum, ad tumulum divae stitere, vinculisque nervorum solutis, habilem ad incedendum retulere. In cujus facti memoriam denarium quotannis in censum ecclesiae S. Castoris referendum statuere. Alia hujus loci exempla praetereo, quae partim ex hac tabula, partim ex archivo a curioso investigatore peti queunt. Compertum quoque hujus virginis singulare in rerum amissarum recuperatione patrocinium; quod variorum experientia testatum faciunt, et ipse ecclesiae hujus collegiatae decanus, D. Petrus Reid (cujus beneficio haec communicata sunt) suo exemplo confirmat: siquidem post fasciculum domesticarum clavium furto subductum, cum pro his recipiendis diu anxius animum, cogitationemque circumtulisset, tandem ad D. Ritzae intercessionem implorandam versus, eas mane exiturus domo, ante portam depositas offendit, intellexitque, non vana se spe ad ipsius praesidium confugisse, quo familia spolii discrimine exempta sit.

Epitaphia ad editoris familiam spectantia.

A°. Dni 1652. 31. Decemb. Obiit Clar. Dns. Joannes Lolley Juris utriusq. Doctor Princ. Elect. Trev. Consil. Cam. Imp. Advoc. cujus anima r. i. p.

A°. 1662. 29. 9bris obiit nobilis et clarissimus Dnus Sebaldus Antheis Emi Trnsis gene. receptor consul et familiae Leganae resp. cellarius et sca. aetat. 52. — A°. 1666. 24. aprilis obiit virtuosa matrona ipsius Anna Maria Antheisin nomine Thomasin aetatis suae 48. R. I. S. P. — A. R. et Doct. D. Jacob. Antheis CC. S. Paulini Treviris sigillifer et praebendatus Boppardiae. Obiit 14. 7bris 1675 aeta. 29. — A°. 1695. 31. martii obiit A. R. et Doct. D. Hugo Ernestus Antheis J. V. D. curiae archiepiscopalis hui assessor co. S. Castoris Confluent. custos, in Mertloch et Artzheim respective provisor. Ob. aeta. 46. R. I. S. P.

Juncta et disjuncta heic requiescunt ossa duorum. Vir fuit ille Deo charus: et uxor erat. Disjunxit mors hos. posuitque hoc ossa sepulchro. Jungent se se iterum cum tuba signum dabit. ObIIt HenrICVs VVoLterVs a Gærtz PrInCIpIs eLeCtorIs TreVIrensIs ConsILIarIVs et SeCretarIVs IntIMVs xiv. JunIJ. QueM post paVCos VItæ annos InseCVta trIstIs eIVs ConIVX Anna ChrIstIna a Gærtz nata KoLb hIC parIter qVIesCIt xiv. novembris. VnA DorMIant In sanCta paCe.

Venerabilis Dns Jacobus Ziglein de Andernaco hanc tabulam fieri fecit qui juxta hoc altare sepultus 8. Januarii Anno 1593 more Tre.

Praepositi ad S. Castorem.

Adelbero, ão 1110.
Sifridus de Westerburg, 1127.
Cuno, 1142.
Bovo, 1146, Bubo, 1153.

Bruno, 1157, 1158.

Sigefridus de Westerburg, 1160, 1162, 1164.

Bruno, comes de Seyna, 1182, 1197, 1201, obiit 3. novembris 1208.

Gerlacus, ão 1221, 1226, 1229 et 1231.

Alatrinus, subdiaconus et capellanus Honorii III. papae, nominatur in locum praepositi, in ultramarinis partibus a rebus humanis assumpti, per literas Honorii III. d. d. Reate 6. julii, pontificatus ão III. 1219. Obiit ão 1242, praepositus S. Mariae in campis Moguntiac.

Rudolfus, comes de Wied, qui plurimis ornamentis valde pretiosis ditavit ecclesiam et turres duas construxit.

Fridericus, 1231.

Arnoldus ab Isenburg, 1254.

Bruno, 1258.

Wernerus a Falkenstein, 1258—1278.

Henricus de Bolandia, 1278.

Fridericus de Warnesberg, occ. 1291, 1317 et 1322.

Diethelmus ab Helfenstein, 1323.

Nicolaus advocatus de Hunolstein, occ. 1324. Fuit etiam parochus ad S. Castorem in Eumetze, expost decanus major.

Wilhelmus ab Helfenstein, electus probaliter ão 1335, seriem claudit, cum 20. septembris 1340 aut 1347 praepositura unita fuit corpori praebendarum.

Decani ad S. Castorem.

Heregerus, 1110.

Godescalcus, occ. ão 1153 et 1160.

Wilhelmus, 1182.

Emelricus de Montabur, 1197.

Wilhelmus, 1182, 1192, 1198, 1200.

Joannes de Porta, 1210.

Richardus, 1229, 1231.

S., 1231.

Joannes Spey, decretorum doctor, 1253, 1255, 1267.

Joannes de Linden, ão 1273 factus est decanus Wetzflariensis.

Egilbertus de Montabaur, 1272, 1282.

Jacobus, 1284.

Henricus de Stocheim, 1289.

Gerlacus de Malberg, 1297, 1306, 1310.

Cuno ab Eych, 1315—1321.

Wernerus de Bachem, 1322 et 1333.

Wilhelmus ab Herck, occ. 1336.

Henricus Doener, 1344, 1347.

Godefridus Winther, 1355, 1359 et 1368.

Godefridus Hergisbach, electus 1370.

Engelbertus, 1375.

Baldewinus, occ. 1391, 1404.

Theodorus de Alto Amore, von der Hohen Minnen, 1415.

Wilhelmus a Via, decret. Dr., occ. 1423.

Winandus de Stege, Dr. theologiae, 1424.

Fridericus de Dudelendorf, 1438, 1440, 1441.

Joannes de Spey, 1449, 1451, 1452.

Hermannus ab Arken, decret. licent., 1464 et 1466, resignavit in favorem Joannes de Spey ão 1467.

Gerardus de Mendig, occ. ante 1491.

Petrus Schonauwe, 1493, obiit 1528; 1512 vices ejus gessit Herm. Foemelen, praepositus Limburgensis et canonicus S. Castoris.

Joannes ab Arscheid, electus 15. januarii, juravit 23. januarii 1528, more Trev., obiitque ão 1536, 3. martii. Fuit hic et aliquando decanus ad S. Goarem, et frater ejus Gerhardus ad S. Martinum Wesaliae.

Georgius de Leyen, sive Ley, ex nobili familia a Petra, nam Wilhelmus Quadt a Landscron, archidiaconus ejus haeres et cognatus fuit, electus 1536, obiit ão 1567.

Adolphus a Breidbach, electus 1567, obiit 14. julii 1574.

Wilhelmus Quadt a Landskron, archidiaconus tit. S. Castoris, electus 1574, resignavit 1. septembris 1588, obiit 9. januarii 1603.

Gorgonius Raoul, Lotharingius, juravit 10. septembris 1588, obiit 20. maji 1604.

· Maternus Gillenfeld, electus 8. junii 1604, obiit 8. martii 1607.

Hubertus Eifflen, U. J. Dr., electus 1607, obiit 25. julii 1638.

Joannes Reineri, ab Uerzig, electus 1638, obiit 23. octobris 1651.

Joannes Petrus Reidt, ex Leudesdorf, electus 28. novembris 1651, obiit 20. junii 1675.

Joannes Theodorus Solemachér, J. U. Dr., ecclesiae collegiatae Limburgensis praepositus, provisor in Frauenkirchen, altarista in Lehmen, nec non curiae ecclesiasticae assessor, electus 29. julii 1675, obiit 13. junii 1702. Pro anniversario, in suae, suorumque consanguineorum animarum refrigerium, 200 imperiales legavit. Sepultus in templo carmelitarum. R. I. S. P.

Joannes Casparus Raab, electus 26. junii 1702. Promotus ad parochiam in Rieden, decanatum et canonicatum resignavit ão 1707, obiitque 6. januarii 1709.

Valentinus Haegener, ab archiepiscopo Joanne Hugone ex jure devoluto, vel potius cesso, nominatus 17. junii 1707, obiit 24. augusti 1747.

Carolus Casparus Gevelsdorff, electus 22. septembris 1747, obiit 15. decembris 1753.

Josephus Clemens Caldenborn, electus 14. februarii 1754, obiit 30. decembris 1762.

Martinus Pesgen, electus 7. februarii 1763, obiit 28. maji 1763.

Leonardus Stephanus Driesch, electus 7. julii 1763, obiit 26. martii 1770.

Antonius Matthias Dollinger, electus 30. aprilis 1770, obiit 13. novembris 1775.

Cornelius Pesgen, electus 30. januarii 1776, obiit 27. novembris 1791.

Matthias Josephus Driesch, electus 2. januarii 1792, obiit 29. septembris 1821, ultimus decanus ad S. Castorem.

CAPUT XIX.

Ecclesia Cardonensis S. Castoris.

Collegialis haec Cardonensium ecclesia ad Mosellae inferioris tractum in nobili vico, quem Caradonum veteres, nunc Cardonam dicunt, sita, olim S. Paulini ab ipsius memoria, patrocinioque est nuncupata. Ex quo vero reliquiae SS. Castoris et Goaris illatae sunt, ab illo patrono suo nomen sortita est, hoc in compatronum, adjutoremque electo. Caeterum archidiaconi fastigio pridem insignis est, constatque jam inde ab aevo Romani apud Treviros florentis imperii locum clero habitatum, postquam S. Castor ex D. Maximini Trevirorum archiepiscopi disciplina profectus hunc Mosellae limitem christiana disciplina excoluit; quanquam S. Castoris tumulus antiquissimus in diverso parochiae templo, quod lapidum veterum monumentis abundet, extitisse memoretur. Unde post revelationem Marcio cuidam presbytero, sub Veomado Trev. Antistite, factam, ad illustriorem archidiaconalis ecclesiae locum translatum est, donec Confluentes eodem, translatione facta, potiti sunt, osse tamen brachiali, ut creditur, apud Cardonenses relicto. Mansit apud eosdem S. Potentini (quem fratrem S. Castoris fuisse perhibent) Feliciique, ac Simplicii, sociorum ejus memoria, quorum deinde corpora Steinfeldiam, ad abbatiale in Eifflia praemonstratensium monasterium per Ruotgerum, archiepiscopum Trevirensem, translata, honorem illic, venerationemque obtinent. S. Goaris quoque corpus, cum ob bellorum offensiones Cardonam translatum a Rheno in tutum locum receptum fuisset, anno demum 1321 in altari Cardonensi repertum Balduini auspiciis, suam in basilicam, unde venerat, traductum est; confraternitate tamen et hospitalitate invicem pacta et perennitate apud Cardonenses veneratione Sancti, qui tranquillam hic olim sedem invenisset. Fabrica hujus ecclesiae vetustate inclinata, a saeculo Christi duodecimo instaurari coepit, et anno quidem 1247 legimus,

Theodoricum, episcopum Vironensem, ordinis minorum, consensu Arnoldi archiepiscopi, basilicae chorum consecrasse; caeteram partem templi et monasterii, inopia sumptuum, mansisse impolitam. At intervallo, cum passim altaria surrexisse traditur, una templum et monasterium se sustulisse, non dubites. Munificentia et liberalitas eximia diariis adscripta pontificum Trevirensium est. At ad XVI. kalend. julii, Popponis, qui multa bona huic ecclesiae contulit, Theodorici, qui ad annum Domini 1211, pontificatus sui XXX. cathedraticum condonavit; Balduini ad annum 1353, qui in decimis Ellensibus opem tulit; Boemundi ad annum 1367, Ottonis ad annum 1429, qui stipe collata adjutarunt: sed archidiaconorum duorum beneficia supra caeteros unice laudantur, Godefridi, praepositi Trevirensis ecclesiae, et hic archidiaconi, qui sub Alberone archiepiscopo vixit aõ 1137, Trysio, pago trans flumen, qui parochiae Cardonensi olim accensitus, recuperata lignandi copia, et Henrici de Bolandia, illustris prosapiae viri, qui aõ 1282 virginum monasterio juxta B. Virginis templum erigendo manum benignam quoque porrexit. Reclusorium ei nomen fuit, et leges a S. Francisco tulit. Superiore saeculo ineunte, oratorium exstruxerunt, cujus ideam spatiumque loci, virgini per visum a B. Nicolao narrant, ostensum, praescriptumque; immissae huc ex Besselichio coetu virgines, avorum memoria, multis miraculis claruit. Porro Henricus is, apud Confluentes S. Florini praepositus, vita decessit aõ 1286, successorem ibi nactus Joannem a Rheineck, praenobilem item virum: Ejus sepulchrale monumentum augusto saxo visitur Cardonae, ad principem aram, juxta cornu evangelii. Alia benefactorum ordinis ecclesiastici nomina accensentur:

Ottwinus, archidiaconus et praepositus ecclesiae Trevirensis ad annum 1212, Joannis archiepiscopi avunculi sui dono, Maspreti parochiam Cardonensibus cessit. Henricus de Paffendorf, archidiaconus Cardonensis, aõ 1326. Robertus de Saraeponte, Trevirensis ecclesiae praepositus, eisdem favit, qui aõ 1380 obiit, et Henricus de Rivenaco, decanus, qui decessit aõ 1427.

Ex nobilium ordine vicini stirpis Eltziorum praeclare et huic collegio affuere. Gens illa Alcia, et antiquitus Alisontia,

a rivo cognomine domicilio, proavos ibi censet, ab anno 1259, Petrum dominum ab Alcia, filios Eliam, Wilhelmum et Theodoricum. Extat et nomen Nicolai de Eltze, et Lutheri de Eltze, praepositi Monasteriensis. Monumentum item in peristylio Ernesti Georgii, domini in Eltz, qui ão 1559 e vivis abiit, quinque electorum principum consiliarius. Wolffgangus ab Eltz hujus tituli archidiaconum egit, ão 1579 vita ac munere defunctus. Laudatur quoque Joannes comes in Spanheim, qui ão 1226 pensionem ablatam in Rode prolixe restituit. Huic annumerantur Tryssii milites, puta nobili genere, Henricus, Otto, Sigebertus, Conradus, Philippus, Godefridus, ejusdem stirpis ingenui, liberique. Ex Pirmontii dominis obiit 1402 Henricus. Joanna Schönenberg decessit 1313, cujus gener Cuno Pirmontius. At ão 1370 Elisabetha obiisse scribitur, domina in Pirmont et Erenberg. Celebrantur quoque Joannes miles in Waldeck, ad annum 1323, Joannes et Alexander Brunshornii, Joannes de Clotteno, armiger. Ubi vide certos nobilitatis gradus, ut alii domini, alii milites, alii liberi, alii ingenui; denique inferioris conditionis armigeri appellentur. Porro habet hoc collegium etiam egregiam benefactricem superioris saeculi, nempe Elisabetham dominam in Broilburg, viduam de Vlatten, cujus munificentia tertia pars decimarum in Bruttig, annexisque locis, assentientibus et confirmantibus summo pontifice et archiepiscopo Trevirensi, huic capitulo certis legibus transscripta est. Neque illustrissimae comitum de Wiede familiae memoria negligenda est, quorum beneficentia in hanc ecclesiam hisce etiam literarum monumentis extat:

»In nomine sancte et individue Trinitatis. Lotharius comes »de Widhe omnibus in Christo fidelibus tam futuris quam pre»sentibus in perpetuum. Quoniam facta mortalium temporalem »sequuntur motum, necesse est ut que sua natura tendunt ad »interitum, literarum amminiculo fulciantur, ut ab obliuionis »interitu defendantur. Notum igitur facimus presentem paginam »intueri uolentibus, quod quicquid proprietatis aut juris habemus »in uineis, agris, ceterisque possessionibus, quas Dithardus a »nobis in villa Tris jure feodali tenebat et possidebat, vnde

»quoque homagium nobis fecerat, resignamus, atque ecclesie »Cardonensi dicti Dithardi peticionibus, in proprietatem per»petuam legitime assignamus. In argumentum igitur et robur »hujus facti presens scriptum sigilli nostri impressione feci»mus communiri. Acta sunt hec anno dominice incarnationis »MCCXXIX. regnantibus domino imperatore Friderico et »filio ejus inclito rege Henrico, presidente venerabili archiepis»copo Treuerensi domino Theoderico, sub hiis testibus. domino »Eggebrando Treuerensi archidiacono et Cardonensi praeposito, »Godefrido decano, Richardo scolastico, cum ceteris Cardonensis »ecclesie canonicis.«

Eidem Cardonensi canonicorum ecclesiae frequens cum Treysensi communitate lis intercessit, quam tamen et a Joanne archiepiscopo aõ 1210 in publica synodo frequentique cum praelatorum tum nobilium consessu pro canonicis decisam reperio, cum anathematis poena contradicentibus huic sententiae inflicta. Idemque post judicium lite recrudescente latum aõ 1297 ab archiepiscopo Trevirensi Bohemundo, ac subinde posterioribus repetitum saeculis, ad ecclesiae semper favorem libertatemque constitit immotum.

Decani Cardonenses.

Lancechinus, occ. aõ 1121.

Stephanus, 1171—1183.

Godefridus, 1229.

Richolfus, testamentum condit 13. julii 1246.

L. 1258.

Hermannus, occ. 1281, dieque 1. decembris testamentum condit.

Sebertus, aõ 1287, testamentum condit 1299.

Joannes de Mertloch, occ. 1301—1315, quo testamentum condit.

Cuno, qui et Conradus, aõ 1234.

Joannes, occ. 1339.

Carolus, occ. aõ 1346 et 1350.

Gobelinus, occ. 1380.

Jacobus, 1390, 1393.

Joannes ab Ursfeld, 1408.

Henricus de Rivenaco, obiit 1427.

Richardus de Rivenaco, 1445.

Nicolaus de Malsen, jur. licentiatus, occ. 22. februarii 1449.

Henricus a Kerpena, occ. ão 1453. Fuit etiam officialis Trevirensis.

Petrus Wilkinus, ão 1472.

Ludovicus Peritt, ão 1501.

Hermannus Foemelen, 1507 et 1523.

Godefridus ab Eltz, archidiaconus, obiit 1532.

Petrus Boparter de Valwig, elect. 16. maji 1532, confirmatus 1535 in curia Romana.

Joannes Schorn, juravit 7. januarii 1539, obiit ão 1555.

Christophorus Moskopf de Boppardia, electus 19., juravit 31. octobris 1555, obiit 11. martii 1588.

Nicolaus Arnoldi, Eringius, electus 19. martii 1588, obiit 12. februarii 1604, more Trev.

Hermannus Falckener, Clottenus, electus 3. martii 1605, obiit ão 1616.

Joannes Strunck, obiit ão 1625, 29. decembris.

Eberhardus Escher, electus 23. januarii 1626.

Joannes Würtz, juravit 16. januarii 1629, more Trev., obiit ão 1636.

Joannes Jacobus a Mertloch, occ. 14. aprilis 1637, obiit ão 1659.

Philippus Umbscheiden, electus 24. novembris 1659, obiit ão 1675.

Christophorus de la Fosse, electus 12. martii 1675, resignavit 6. julii 1680.

Cornelius Seulen, electus 22. julii 1680, obiit 1688.

Joannes Marci, electus 27. aprilis, juravit 7. maji 1688.

Nicolaus Georgii, occ. 1714, obiit 21. octobris 1727.

Georgius Matthias Niesen, electus 12. januarii 1728, obiit 24. martii 1747.

Christophorus Josephus Hitzler, electus ãõ 1747, obiit 18. julii 1774.

Joannes Roos, electus 12. septembris 1774, obiit 21. junii 1782.

Joannes Fridericus a Kaysersfeld, electus 29. julii 1782, occ. 1794.

CAPUT XX.

Ecclesia Monasterii Meinfeldensis, S. Severi.

Ecclesia haec, nunc S. Severo, presbytero, quondam S. Martino sacra, inter Confluentes et Carodunum, sed a Mosella remotior, regionem soli feracis occupavit, jamque a vetustis retro temporibus, Clodovei videlicet Francorum regis, nepotumque ipsius aetate, memoranda, in tabulis donationum inclarescit, pago, ut scribunt, hoc est, territorio Meginensi vel Magniacensi sita. Patrocinium primaevum fuit S. Martini. Venerandum pignus S. Severi a Ruotberto archiepiscopo Trevirensi elatum ab Italia est sub Ottone magno, imperatore, illatumque ecclesiae ab Egberto successore. Inde advenarum concursu et multiplici miraculorum religione sic exsplenduit locus, ut oppidum circa coalesceret, et clerus in communem sociatus vitam, monasterio nomen dederit, a cujus illustri ac religiosa specie oppido etiam haesit appellatio, tanquam illius potissimum gratia conflatum. Indulgentiarum diplomata, quae a Gerardo Moguntinensi, aliisque episcopis collata sunt, ecclesiam hanc conventualem appellant, SS. Martini et Severi confessorum in Munstere-Meinfeld. Ingebrandus, ecclesiae Trevirensis thesaurarius et Monasteriensis praepositus ãõ 1221 ex claustro Monasteriensi literas dedisse agnoscitur, quod argumentum est regularis disciplinae, istic olim receptae. Ante hos etiam annos Joannes archiepiscopus Trevirensis, eo nomine primus, 1210 occupatas ab invasoribus

hujus ecclesiae facultates favente Ottwino praeposito Cardonensi (sic).

Nassoviae in hac ecclesia gentis monumentum in tabula perantiqua suspenditur. Haec domesticae pietatis et catholicae religionis quondam in ea gente florentis illustre praebet argumentum. Nam in medio Christi patientis schemata exhibens, geminisque constans valvis, in harum altera Nassoviae familiae mares duodecim, atque in eis cataphractum unum cum parente insignibusque complectitur. Altera virgines septem, et in his tres alba in toga, nigroque in pallio moniales, reliquas saeculari ornatu excultas, matremque cum insignibus pone assidentem continet. Haec vero tabula, artificio prisco coloribus vivacibus animata, sub Lutheri tempora iconoclastarum manibus ac furori subducta est per Theodorum Helling, Meinfeldensis ecclesiae canonicum, et huic illata templo, quo etiam ad testificationem veteris in ea gente, sed, pro! dolor, abolitae non sine opprobrio religionis, studiose asservatur.

Caetera hujus ecclesiae cimelia et reliquiarum thesaurum non sine pia admiratione adspeximus, suspeximusque. Theca istic argentea, auro inducta, quae in specimen grandioris libri formata, bipedali longitudine, et latitudine plusquam pedali exporrecta, magnam dominicae crucis partem in medio complectitur, donum ex Oriente (ut Graeci characteres arguunt) ab expugnatoribus Terrae sanctae translatum, et credibile ab Henrico de Ulmena (qui et parthenonem Stubensem ejusmodi thesauro dotavit) hoc munus profectum esse: de quo, cum alibi in annalibus tractatum, hic pluribus supersedemus. Est et hierotheca ingens, spolium quod a rebelli Francisco Sickingo Richardus archiepiscopus sustulit, ac deinde Joannes Isenburgicus hanc basilicam sua liberalitate ornaturus contulit.

Porro praeter reliquias S. Banti, et verticis S. Caeciliae, corpus S. Severi presbyteri lignea conditum tumba, byssinoque involuta ossa, velo stolaque circumdata, suavissimo odore in mortali corpore nil spirant mortale. Caput ejusdem seorsim cultui et oculis expositum, in statua ex argento thoracida asservatur, non sine miraculorum et olim et nunc etiamnum cultum

gloria. In quibus illud censetur, quod decrepitum senem cruribus pedibusque distortum, ad sui invocationem, festa Sancti die, non solum in pedes firmumque incessum erexerit, verum jam pene aetate emortuum, vividis membrorum motibus, agilique incessu ad stuporem spectantium donavit. Cujus beneficii exemplo provocatus, alter, pari distorsione pedum afflictus, sequentis anni festivitate ad invocationem Divi conversus, parem quoque sanitatis gratiam est consecutus, unde loci religio frequentiaque non mediocriter augeri ac celebrari coepta est. Singularem hunc esse aurae et tempestatis sive pluviae, sive serenae conciliatorem longa multorum annorum experientia, et raro institutae sine fructu comprecationes testantur, quod ipsa sancti corporis in Meinfeldiam translatione compertum est, quando ingenti ventorum pluviaeque tempestate concussus Mosella caetera quidem subvertere omnia, at hanc placidas inter undas subvectam intactamque ab imbribus circumaffluentibus citra vectorum opem Condedae ad littus appositum Cochemio stitit. Quo cum fama miraculi acciti accolae, pervigilem festivis canticis noctem duxissent, ne memoria facti excederet, S. Crucis ibidem loci imaginem constituere, ac subinde ejusdem Divi in tempestate ac siccitate late quaesitum praesidium est. Vir istic et genere et experientia multorum annorum spectatissimus, D. Jo. Henricus ab Uefflingen non minus octonis se vicibus conspexisse asserit, ad institutas publice cum Divi reliquiis supplicantium processiones auram repente mutatam, aut serenitatem, aut pluviam ut frequentius in siccitate postulatum attulisse, quin et tempestatis conciliandae illis locis gratia quotannis in festis pentecostalibus solemnis illic processio ab incolis accolisque frequentari consuevit, quam cum bellis superioribus distracti Nachtsheimii, aliaeque geminae parochiae filiales neglexissent, peculiari siccitate agros suos flagellari sensere, ideoque ad intermissam processionem publica supplicatione conversi, hac vixdum absoluta, impetratam de coelo viderunt pluviam. Caeterum antiquo jam olim hymno, quo patronum suum venerantur, ejus quoque beneficia complexi sunt, ex quo has quinque strophas decerpsimus:

Veni Sancte Spiritus, et nos fac medullitus laudes Sancti canere,
Qui dedit gemitibus, ut ait Gregorius latum orco vivere,
Agil claudus graditur, mutus natus loquitur, medicantis munere,
Caecis visus redditur, mutis lingua solvitur magnae precis pondere,
Est Eliās, precibus claudit coelum imbribus, quando vult dat pluere, &c.

Ante octennium ut serenitatis quoque oblatae exemplum tradant, Meinfeldenses longa in messe fatigati pluvia, cum ad consuetam patroni sui intercessionem publica prece confugerent, ante supplicationem terminatam manifestam serenitatem affulsisse incolae grata memoria recolunt. Sed et aliud ex benedictis cum invocatione patroni panibus frequens ibidem beneficium memorant, hos a benedictione e templo sacrisque referre domum ac, nullo deinde exsolescentes tempore in necessarios usus, expertaque morborum tam in pecoribus, quam hominibus remedia solent reponere, benevola saepius D. Severi praesentia gratiaque fruiti.

Ex illustri Eltziorum familia quidam in sancta hac aede quiescunt. Lapidea in templi muro tabula hanc inscriptionem complectitur: *Anno Domini MDXXIX, ingenuus Cono de Elts fato functus hic tumulatur.* In altera conjugis tumulus sic inscribitur: *Anno MDXXXI. Eva de Esch ingenua conjux legitima contoralis fato functa.*

Praepositi Monasterienses.

Arnoldus, qui turres eccles. aedificavit, obiit 9. martii.

Geramnus, occ. ão 1052 et 1058.

Wiricus, ão 1158.

Joannes de Rheineck, occ. 1163.

Godinus, ão 1179.

Engebrandus, ão 1190.

Fridericus, ão 1196.

Engebrandus, Eggebrandus, occ. ão 1204, 1209, 1212 et 1210; fuit etiam praepositus Cardonensis, nec non ão 1216 thesaurarius major.

Godefriedus, 1227.

Ingebrandus de Duna, 1212, 1225, 1228 et 1231, obiit ante 1256.

Gerardus ab Eppenstein, archiepiscopus Moguntinus aõ 1289.

Lotharius ab Eltz, scholasticus major, electus 29. aprilis 1289.

Philippus de Schönecken, canonicus major Moguntinus, nominatus a Nicolaus IV. P. P. 1290, occ. aõ 1302.

Gerlacus ab Isenburg, occ. aõ 1303; 1296 insimul plebanus in Moselkern, tum temporis praepositura vacante.

Alexander de Brunshorn, occ. 1318, 1320 et 1322, quo praesidente ecclesia collegialis reaedificata est, Balduino archiepiscopo 1322 indulgentias largas impertinente.

Elyas ab Eltz, occ. 1331—1347, obiit 1349.

Clemens VI. papa, cardinalem Pastore nominat praepositum Monasteriensem, 30. martii 1351, protestante capitulo.

Henricus, comes de Sponheim, electus 1350, occ. 1354 et 1360, excommunicatur, relaxatque papa excommunicationem 1364.

Godefridus de Sinzig, a papa nominatus 1365; capitulum contestando denuntians, a papa excommunicatur.

Wilhelmus de Sinzig, 1367, 1371 et 1372, cardinalis S. Romanae ecclesiae.

Godefridus de Hohenlohe, alias de Bruneck, occ. aõ 1382 et 1383.

Heidenricus de Capellen, occ. 1395 et 1400.

Joannes Meyener, aõ 1409, 1412 et 1415.

Nicolaus Cusanus, cardinalis, occ. 1440—1442, nec non secunda vice 1459, qui praeposituram corpori praebendarum unire tentatus est, vana autem fuit haec unio.

Philippus de Sirck, nominatus a papa 1445, installatur 28. novembris. Praepositus simul major, occ. 1450, 1454, 1490.

Henricus de Silberberg, cantor Wormatiensis, occ. aõ 1494.

Aõ 1515, XVII. kalend. januarii, Leo X. pontif. maxim. praepositurам Monasteriensem mensae archiepiscopali incorporavit, attamen jurisdictionem praepositurae in pagos adjacentes interdum archiepiscopi p. t. decanis contulerunt,

ex. gr. Francisco et Georgio Monreal decanis 17. decembris 1641, 15. januarii 1667, Philippus Christophorus et Carolus Casparus.

Decani Monasterienses.

Ricolfus, occ. 1187.

Gregorius, 1200, obiit 1210.

Eustachius, 1227.

Eckenbertus, occ. 1232.

Sibodo, testamentum condit 1264, obiit 23. martii.

Lambertus de Bacheim, Confluus, occ. ao 1266, 1274 et 1278.

Theodericus de Leyen in Gondorf, ao 1289 et 1292, obiit ante 1305.

Balduinus de Coverna, pastor in Mertloch, occ. ao 1318, obiitque 10. novembris 1320.

Petrus, occ. 1326, obiit 19. novembris 1335.

Hermannus de Divelich, obiit ao 1339.

Wykerus, occ. 1341.

Roricus de Sternenberg, occ. 1344, obiit 3. maji 1346, quo defuncto Balduinus parochiam S. Petri Monasteriensi decanatui incorporat 4. augusti 1346.

Conradus, occ. ao 1350, 1354, 1357, obiit 26. augusti 1363.

Magister Roilmannus dictus Lamperter, obiit 2. septembris.

Christianus de Andernaco, obiit 7. februarii.

Roricus, obiit 25. februarii.

Theodoricus de Walpode, obiit 3. martii.

Conradus Greuen, obiit 24. martii.

Gregorius, obiit 19. augusti.

Joannes Thilmanni, occ. 1379, 1382, obiit 27. julii 1393.

Cunemannus de Sobernheim, obiit ao 1399.

Joannes de Constantia, officialis Confluentinus, obiit 28. decembris 1410.

Jacobus Kurtzer, de Meyen, obiit 23. augusti 1429.

Thilmannus de Drolshagen, electus 1430, installatur 14. augusti, obiit 5. decembris 1448.

Thilmannus de Attendorn, obiit 3. decembris 1460.

Engelbertus de Enzberg, occ. ão 1477, 1485.

Fridericus de Schönenberg, obiit ão 1494.

Petrus de Schönau, elect. 1491, occ. 1494, 1499.

Augustinus Zieglein, obiit 8. septembris 1550.

Eberhardus Richardi, electus 20. septembris 1550, obiit ão 1558.

Severus Beiers, obiit ão 1560.

Severus Hardrunck, electus 13. maji 1560.

Laurentius Well, electus 24. maji 1572, obiit 6. aprilis 1591.

Joannes Saliceus, a Kalt, electus 16. maji 1591.

Philippus Möntheních, obiit 7. februarii 1615.

Joannes Theodorici, Dietherichs, ab Ediger, decretorum Dr., electus 26. martii 1615, obiit 17. octobris 1618.

Joannes Henricus ab Uefflingen, occ. 1622 et 1634.

Franciscus Monreal, electus 21. novembris 1641, occ. ão 1648.

Jacobus Steurmeister, occ. ão 1654, obiit ão 1656.

Joannes Saliceus a Kalt, electus 5. aprilis 1656, obiit ão 1666.

Georgius Monreal, electus 29. decembris 1666, occ. 1668.

Joannes Henricus Heimersheim, juravit 27. augusti 1678, obiit 7. septembris 1689.

Joannes Holler, electus 12. novembris 1689, obiit 20. decembris 1700.

Joannes Hausmann, electus 16. februārii 1701, obiit 27. julii 1703.

Joannes Henricus Wirz, electus 10. septembris 1703, obiit 10. februarii 1709.

Conradus Mohr, electus 22. aprilis 1709, resignavit 9. junii 1711.

Joannes Engelbertus Heimersheim, nominatur ab archiepiscopo 9. augusti 1711, installaturque per officialem, dominum Joannem Hugonem a Gaerz, 12. augusti 1711. In electione, 30. junii 1711, Conradus ab Eyss, cum Engelberto taliterque concurrebat, quod nec tertium scrutinium repetitum, canonicam

electionem dare potuerit. Obiit Engelbertus 5. maji 1722, aetatis 75.

Bertramus Scheben, electus 1. junii 1722, obiit 7. aprilis 1732.

Joannes Baptista Gevelsdorff, electus 10. junii 1732, obiit ão 1749.

Joannes Antonius Esch, electus 29. julii 1749, obiit 25. januarii 1758, aetatis 81.

Joannes Jacobus Schmitz, electus 4. aprilis 1758, obiit 15. septembris 1789, aetatis 67.

Joannes Jacobus Bausch, electus 16. novembris 1789, obiit 27. septembris 1807. R. I. S. P.

CAPUT XXI.

Ecclesia Meginensis S. Clementis.

Henricus II. Trevirorum archiepiscopus castrum quoddam Meyen amoeno ad habitationem loco excitaturus, Meinfeldiensi in agro horis aliquot ab urbe Monasterio-Meinfeldica hoc ipsum molitus est, sensimque eodem traxit accolarum illam copiam, quae cum speciem praebuisset non inculti oppidi, muris est circumscripta, placuitque Balduino successori locus, ut cum ipse aliis eundem aedificiis ornasset, ão 1326, canonicorumque eodem collegium ex Londichio, opportuno minus ecclesiasticae vitae loco, transferret. Haec exordia istic considentium. At vero Meginensem jam olim stetisse ecclesiam, ac D. Martino fuisse consecratam, ex regis Dagoberti ad S. Modualdum archiepiscopum literis discimus, ubi cum hanc Meginensem S. Martini, ut ait, ecclesiam, tum diversas alias regni sui metropolitanae D. Petri basilicae jurisdictioni submittit; at postquam canonicali disciplina locus excoli coepit, templumque

novis dedicari cultoribus D: Clementis patrocinio ecclesiam collegialem munire visum est. Sub quo etiamnum, quamvis contracto satis canonicorum numero, perseverat. Coenobium in Lonnig erat sub invocatione B. M. V. et in Mayen regularis vita usque ad annum 1601 continuebatur. De coenobii saecularisatione monachus coaevus sic habet: »Anno 1601 dissi»patus est conventualis convictus Clementinorum in Meyen, »cui dissipationi me semper apud R^{m} Schonenburgicum contra »oblatas corruptiones opposui. Tandem vero apud modernum »ex frivolis argumentis vicerunt vota.

Abbates in Lonnig.

Folmarus, occ. ão 1143.
Wichmannus, ão 1156 et 1163.
Joannes, ão 1221.

Priores.

Engelbertus, 1247.
Henricus, 1327.
Petrus, occ. ão 1382.
Arnoldus, 1389.
Hermannus (Hammerstein), occ. ão 1448.
Henricus Clovensetzer, de Andernaco, juravit 17. aug. 1470.
Conradus de Rode, praestitit obedientiae et fidelitatis juramentum, 25. junii 1484.
Georgius Königsfelder, juravit 24. novembris 1506.
Matthaeus Emprich, juravit 20. martii 1520.
Joannes Baum, juravit 3. novembris 1535, resignavit ão 1571 (?) occ. adhuc 1577, 17. julii.
Antonius Dorffer, electus 14. julii 1571.
Reinerus Sinzig, Frondinianus, electus 16. julii 1592, privatur decanatu ão 1596.
Nicolaus Adenau, ultimus prior, electus 26. junii 1596.

Decani Meginenses.

Nicolaus Adenau, ex priore decanus, ão 1601, electus 26. junii 1596, occurrit etiam 1610 (obiit 1613 ?).

Antonius Durffer, sive Dorffer, occ. 20. junii 1613, nec non 12. junii 1625.

Conradus Wenz, juravit 4. junii 1626, occ. ão 1633.

Stephanus Esch, occ. ão 1657—1671.

Matthias Bram, electus ão 1673, juravit 20. maji 1673, occ. etiam ão 1678 et 1680.

Theodorus Pistor, juravit 21. maji 1688, occ. adhuc 1704.

Hugo Fridericus Paccius, juravit 3. septembris 1712, occ. ão 1721, 1729.

Joannes Valentinus Thomas, juravit 11. septembris 1756, obiit 17. maji 1764.

Franciscus Christophorus Molitor, electus 3. julii 1764, occ. ão 1792.

Franciscus Ignatius Josephus Xaverius Cohausen, 1794 canonicus exspectans, juravit 20. junii 1795.

CAPUT XXII.

Ecclesia Wesaliensis, B. M. V.

Ad Wesaliam (Wesel) superioris Rheni oppidum, tantisper est transeundum, quod olim Ficelia Romanis dictum, inclinato ad montis radicem situ visitur. Hic ecclesia in oppidi sede infima non ignobili etiamnum specie, in colle extra muros visitur; cujus originem atque institutionem Balduinus Trevirorum archiepiscopus, ad annum 1338, 8. januarii laudavit, cum eam in ecclesiam collegiatam duxerit erigendam, nec modica huc subsidia condendis sacerdotiis attulere nobiles et armigeri, tam generis sui titulis, quam pietatis et virtutis

laude clari, die Vrihen (liberi de Pfaffenau) et Milewaldii. In chori fenestrarum apice ita scriptum legitur. *Inchoata fuit Ecclesia S. Mariae anno Dni MCCCVIII.* et juxta sacrarium: *Anno Domini MCCCXXXI. in die Annuntiationis gloriosae Virginis Mariae istud summum altare fuit consecratum in honore gloriosissimae Virginis Mariae et Annae matris ejus cum eodem summo choro.* — Collegiata haec, per exactiones et calamitates belli Suecici suppressioni jam proxima, servata fuit per legatum 6000 imperialium, ab electoribus Carolo Casparo et Damiano Hartardo a Petra communi praesentiae factum, et capitulum, talis beneficii memor, jus patronatus omnium praebendarum familiae a Petra in perpetuum concessit. Nominatio tamen decani archiepiscopo Trevirensi reservata fuit, usque dum jus illud ab archiepiscopo Francisco Ludovico, per literas 17. maji 1723 datas, translatum fuit in capitulum S. Castoris Confluentiae.

Decani B. M. V. ad Gradus.

Otto de Schonenburg, occ. 1367.

Joannes Koet de Limburg, occ. 1380, vid. pag. 224.

Damarus de Valendar, alias Damarus von dem Werde, ab Insula (Niederwerth), 1387 et 1391.

Heidenricus de Capellen, praepositus Monasteriensis, occ. decanus 1400.

Nicolaus Gryn, sic dictus de domo, »der nuwe Gryn«, Confluentiae in regione Zum alten Hof sita, canonicus S. Florini, occ. ão 1404, 1407, 1408 et 1413.

Petrus Elve, occ. ão 1427.

Petrus de Hayne, occ. 1. octobris 1427.

Helwicus de Boppardia, canonicus S. Florini, occ. ão 1429 et 1443.

Joannes Hartmann, resignat 1466.

Richardus Graman, occ. 1497, obiit ão 1513, mense octobri.

Nicolaus Alberti, decanus S. Martini Wesaliae, 1515.

Valentinus Schonagel, occ. 1524, obiit ão 1536.

Michael Thorney, nominatus 20. augusti 1536, juravit 21. ejusdem, obiitque aõ 1549.

Otto a Breidbach, nominatus 13. aprilis 1549.

Petrus Pellificis, juravit 2. novembris 1553, obiit 20. februarii 1557; insimul pastor ad S. Martinum Vesaliae.

Nicolaus Sibellius, obiit aõ 1587.

Maternus Gillenfeldt, nominatus 6. martii 1587.

Fridericus Zorn, de Lahnstein, nominatus 24. maji 1590, obiit aõ 1595.

Henricus Loer, nominatus 6. maji 1595.

Henricus Soen, juravit 26. octobris 1646.

Martinus Pulver, ss. theologiae Dr., juravit 21. junii 1684, occ. aõ 1686, nominatur paroch. B. M. V. Confluentiae 24. julii 1692.

Joannes Casparus Kray, juravit 30. julii 1692.

Franciscus Grandjean, nominatus aõ 1722.

Henricus Fischer, occ. 1725—1747.

Richardus Laurentius Beck, occ. 1751—1794.

CAPUT XXIII.

Ecclesia Ivodiensis.

Ivodium, Epolium vel Evasium, Treverici olim juris, ab hac dioecesi ad Chiniacenses comites, deinque ad Lutzelburgicos duces translatum, spirituali etiamnum Trevirorum jurisdictioni paret, ac limitaneum Campaniam versus oppidum est, quod perquam munitum olim, demum post Gallorum irruptionem, foederis lege inter Henricum Galliarum et Philippum Hispaniarum reges, muris fossisque nudatum est. Ecclesiam jam olim collegialem, basilicam Deiparae honori consecratam locus habuit, celebraturque in actis Folmarianis ad annum Domini 1186 Ivodiensis archidiaconia, ut titulum illum jam ante hic

valuisse, quam ad Longuionensem transiret ecclesiam suspicari liceat. Huc et olim Henricum, ejus nominis secundum, concilium episcoporum abbatumque, Roberto Francorum rege ão 1022 ad ecclesiae abusus junctis consiliis tollendos invitato transtulisse legimus.

Quamvis vero primus loci fundator non omnino sit exploratus, tamen Magnericum archiepiscopum Trevirensem excitandis passim ecclesiis ad locupletandam religionem incumbentem, non inepte auctorem augureris. Constat tamen successu temporis inter optime de hac ecclesia promeritos Chiniacensem familiam, atque in hac comitem Arnoldum censeri, quem velut alterum celebrat fundatorem. Extant Boemundi I. archiepiscopi Trevirensis literae, quibus Theodoricum decessorem suum imitatus ão 1219 statuta et laudatas hujus ecclesiae consuetudines approbat, consulitque nova legis interpretatione, pauperis, ut ait, ecclesiae Ivodiensis solitudini, cum sub poena fructuum amittendorum sancit: obeundam esse cuilibet canonico primo accessu dierum tricenum, inde singulis per annum vicenarum hebdomadarum residentiam. Quod a prima institutione id sacramento se facturos canonici spondere soleant; idque tum collegii, tum nobilis viri Arnoldi comitis Chiniacensis domini de Ivodio, et patroni istius loci praebendarum inductum precibus se decrevisse testatur: tabulis ab archiepiscopo, comite et capitulo feria V. post festum S. Andreae apostoli communiter obsignatis. — Memoria hujus loci celebris est a Sancto Gaugerico episcopo, Wolfilaico eremita, in annalibus nostris, et Gregorio Turonensi laudatis. His adjicere licebit Hubertum, Rhemensis ecclesiae decanum, et Virdunensis canonicum, virum sapientia et virtute conspicuum, quem Ivodium nascentem produxit.

Decani B. M. V.

Joannes Facilot, obiit ão 1577.

Jacobus van Dolren, electus ão 1577, obiit ão 1584.

Jacobus D'Allamont, confirmatus 12. martii 1584, occ. 1598 et 1616.

Joannes Baptista Bennink, 1622, 1623.

Jacobus Henricus de la Pierre, obiit ão 1744.

Joannes Baptista Sturm, nominatus mense decembri 1744, occ. ão 1787.

Josephus Verlet, occ. ão 1789—1794.

CAPUT XXIV.

Ecclesia Longuionensis.

Haec ecclesia S. Agathae patrocinio, sede Christianitatis, et archidiaconi titulo clara est. De reliquo vix mihi illius origo, dignitas, progressusque sunt explorata: nisi quod in veteri tabula mentio sit basilicae canonicorum villae Longvidonensis, quae dedicata legitur ão 1287 (forte post instaurationem) a Petro Subdensi episcopo, Treviris sede vacante.

Decani Longuionenses.

Joannes Hadiet, obiit ão 1527.

Waltherus le Theullier, electus 10. septembris 1527, juravit 17. decembris 1527, occ. 1545 et 1553.

Joannes Magnetus, proclamatus 5. januarii 1570.

Petrus de Martuez, obiit ão 1600.

Petrus de Marquiel, electus 29. septembris 1600, obiit ão 1618.

Joannes Marchand, electus 27. septembris 1618, obiit ão 1626.

Franciscus Wilminus, electus 8. octobris 1626.

Nicolaus Sauvage, occ. 1762—1772.

Henricus Huart, occ. 1774—1794.

CAPUT XXV.

Ecclesia Prumiensis.

Collegialis Prumiensium canonicorum ecclesia, ab inclyti nominis abbatia ejusdem loci Uhroldi praesulis fundatoris liberalitate profecta est, qui Henrici claudi, imperatoris, favore anno salutis 1017 opus hoc, Salvatoris Domini nostri, et S. Mariae Virginis honori, inchoavit, suoque mortuus tumulo subiit. Cujus munificentiam deinde prosecutus intervallo temporis abbas successor Albero, collegii proventus auxit; sed bellorum tempestate evenit, ut clero ad extremam egestatem, numerumque redacto, collegium sola praepositura mutatum consisteret: donec rursum Boëmundi II. Trevirorum archiepiscopi, et Theodorici abbatis, nec non Innocentii III. pontificis indulto, sub annum Domini 1360 aucti reditus, collegiumque canonicorum, praepositura abolita (14. novembris 1360) est restitutum, pristinaque loco facies rediit. Sacerdotia hic omnia tribuit, et decanum electum investit abbas vel administrator Prumiensis, qui canonicos hujus ecclesiae pro suis olim capellanis habuit. Asservant ipsi brachium S. Alexandri papae et martyris, et sepulturas ostendunt illustrium et bene de se meritorum hominum gentis Viandensis, seu Viennae, Virneburgicae, Manderscheidiae, Reiferscheidiae. In SS. Trinitatis oratorio quiescit ab ão 1483 fundatrix illius, Francisca de Rodemachern, uxor Wilhelmi comitis Virneburgici.

Ejusdem Prumiensis abbatiae liberalitati Monasterium Eifliae, Juliae oppidum, sed in spirituali jurisdictione Ubiorum, collegialem suam debet ecclesiam cum Chrysanthi et Dariae martyrum corporibus. Wandelbertus, in sanctorum ephemeride, locum hunc Novae Cellae nomine celebravit: probabile ut sit, primos colonos Prumia huc deductos fuisse monachos. Sane Caesarius, abbas Prumiensis inquit: »Conventum constat Mo-

»nasteriensem ab ecclesia Prumae fundatum esse, et eundem a »nobis VIII. matrices ecclesias una cum decimis possidere. »Quarum una in Reinbach &c. uno ejusdem conventus canonici »domino abbati, atque ecclesiae Prumiensi subjecti esse debent »et capellani. Neque hi solum, verum etiam canonici S. Goaris »atque Prumienses.«

Decani et praepositi B. M. V. Prumiensis.

Bertramus, occ. aõ 1190, una cum praeposito Bertholino.

Gerardus de Schönecken, praepositus, occ. aõ 1332.

Bartholomaeus, 1334.

Theodoricus de Burn, praepositus, 1364, 1367.

Hubertus Streitscheit, occ. aõ 1535.

Joannes von der Kuilen, occ. aõ 1541, obiitque aõ 1559.

Hugo de Schonenburg, cantor metropolitanae ecclesiae Trevirensis, nominatus 12. maji 1559.

Lambertus Krebs, resignavit aõ 1586.

Nicolaus Birthon (Breton), electus 23. septembris 1586, occ. etiam aõ 1598.

Mauritius Fontanus, juravit 28. octobris 1600, obiitque aõ 1607.

Christophorus Rasorius, electus 27. junii 1607, juravit 1. julii 1607.

Jacobus Arimont, juravit 8. februarii 1694.

Carolus Casparus Hennin, obiit 9. maji 1728.

Joannes Jacobus Stoll, electus 7. junii 1728.

Sebastianus Josephus Berg, obiit 1752.

Henricus Josephus Berg, juravit 29. decembris 1752, obiit 1. martii 1773.

Petrus Modestus Valentinus Waitz, juravit 19. aprilis 1773, occ. aõ 1794.

CAPUT XXVI.

Ecclesia Kylburgensis.

Kylburgum ad Gelbim amoeni tractus rivum, non magni ambitus oppidum, satrapiae abs se dictae titulum sustinet, clerumque sed infrequentem collegiali ecclesia complectitur sub patrocinio gloriosae Virginis Mariae. Auctor institutorque collegii Henricus Vinstingius, Trevirorum archiepiscopus, qui templum domiciliumque sub annum Christi 1276 constructum, at tenuiori, quam par erat, proventuum censu fundavit. Literae fundationis datae sunt 9. aprilis 1276.

Decani Kylburgenses.

H., occ. 1283.

Henricus de Etgenstein, occ. ao 1307 et 1336.

Joannes de Enkerich, occ. 1357 et 1367.

Joannes Budeler, ao 1410.

Bernardus de Kylburg, vicarius generalis, occ. ao 1477 et 1481.

Bernardus II. de Kylburg, juravit ao 1526.

Joannes de Vianden, juravit 15. martii 1533, obiitque ao 1553.

Jacobus Moll, nominatus 23. septemb. 1553, obiit ao 1575.

Joannes Henricus Trevirensis, nominatus 12. maji 1575.

Mauritius Fontanus, occ. 1599.

Joannes Hermannus a Samre, juravit 1628, occ. ao 1634.

Gerardus Faber, occ. ao 1684.

Martinus Kail (Marinus Kyll potius), juravit 1697, obiit 7. martii 1722.

Matthaeus Richardi, nominatus 27. martii 1722, obiit 3. aprilis 1744.

Georgius Jacobus Brandt, electus 17. aprilis 1744, obiit ão 1747.

Matthias Üfflingen, obiit ão 1757.

Christophorus Philippus Nell, juravit 25. februarii 1757, obiitque 8. maji 1808.

CAPUT XXVII.

Ecclesia S. Lubentii Dietkirchena.

Ecclesia collegialis S. Lubentii, presbyteri et confessoris, in Dietkirchen, apud amnem Loganam, archidiaconi titulo celebris. Appellatio prae se fert antiquitatem, sive enim cum eruditis viris Diede vel Thiede Celticam vocem antiquam pro mercario, vel Dite, aut heroe accipias, sive pro gente populoque, ut ex Otfrido Marcus Welserus, et ex vetusta psalmorum versione observavit Justus Lipsius, kyricha, sive *κυριακή*, dominicum appellat in chronico S. Hieronymus, Mercurii vel Ditis fanum, aut heroum aedes, aut denique gentium et nationum ecclesia dici potuit. Certe Lubentius, loci patronus, Constantini aetate S. Maximini discipulus, apud Mosellam spiritu posito, cur trans Rhenum quietem meruerit, causam alibi investigavimus, quia barbarici soli populis extra limitem Romanum evangelii lucem quondam importarit. Corpus vero S. confessoris, postquam e Coberino vico Mosellano, Cobruno vel Coverna in tam alta vetustate, ut ejus memoria non extet, huc est translatum, religio loci clerique caput extulit, et ibidem condita basilica cum monasterio non magno, quae sub Ludovico juniore, Germaniae rege, Caroli magni nepote, frequentabatur, ut ex antiquis Adelberti diaconi literis constat, quibus cellam Nantereshusanam monasteriolo S. Lubentii cessisse docet, eamque donationem in ecclesia Dietkircha factam ostendit, anno primo regni Ludovici regis, id est Christi Domini

841 III. idus maji. Caeterum Adelbertus hic se ipse famulum et coenobitam S. Lubentii iis in literis vocat. Gnarus etiam sum, in quibusdam S. Lubentii gestis originem hujus ecclesiae accersiri ab illustri quodam polybuta (cui Dietgero nomen, et Derna vicus sedes), praedivite pecoris, qui ignibus admonitus in rupe, ubi jam ecclesia stat, collucentibus, oratorium istic inchoasse traditur, quod in tam alta vetustate, auctorum fluctuante fide, ad propiora equidem tempora retulero. Templum, quod modo superest, in rupe fundatum, quam Logana lambit fluvius, ab oriente et meridie confragosa vallium respicit, et nemorum Einrichae, ac dynastiae Wiedanae tractus. Ad occidentem turribus est ornatum geminis.

Monstratur ad septentrionem Beselichium, virginei coetus jam semirutum monasterium, vestigiis dum suis extremis notum. Intra collegii septa visitur oratorium S. Stephani, quod olim S. Lubentii corpus ea in tumba asservasse creditur, quae lapidea jam cum epigrammate S. confessoris ostenditur sub altari principe templi primarii. Cujus potiora sunt ornamenta, caput Divi in argenteo thorace, qui elaborate fusus, ductusque ão 1477 sumptu et impensis Joannis Schrepgenii, Hachenburgensis, hujus ecclesiae canonici,. et argentea cymba, Lubentii adverso flumine importati, symbolum.

Anno Domini 1282 Gerardus ex comitibus ab Eppenstein, archidiaconus hujus tituli, salubri legum praesidio collegium hoc communivit, et a saeculo Christi XII., qui a clero adhibitus indulgentiarum creberrimus usus prodit populi frequentiam S. Lubentii patrocinium assectantis. Quo in genere celebris fuit condonatio Romae facta a duodecim episcopis, pontificatus Nicolai IV. ão III. Domini autem 1290, quam mense octobri Boëmundus archiepiscopus, ex comitibus (seu potius nobilibus) Saraepontis, hujus nuper ecclesiae archidiaconus, quoque confirmavit. Legitur et Rubinus ab Isenburg, archidiaconus tit. S. Lubentii ad annum Domini 1336. Caeterum ampla hujus ecclesiae parochia est, cui utinam haeresi et erroribus tot deviae familiae asseri aliquando, et restitui queant. Archidiaconi domicilia extra Dietkircham nominantur Wetzlaria,

Nassovia, Kirchdorffium, Lohra. Vitae communis et coenobii, quondam hic a clericis usurpati, indicia, quod conventualis ecclesiae titulum gessit, et in veteri structura indita rupi versus meridiem cellulae distributae veterum mansionum exprimunt vestigia. Denique sacelli S. Stephani, quod parochiae vicem olim explesse ferunt, munificentia Jacobi ab Eltz archiepiscopi, ão 1580 a ruinis et labis injuria vindicati memoriam clerus conservari optavit, adjuncto aedificio distichon hoc inscribens:

Flammea quem signat medio crux juncta leoni
Praesulis haec alma stat pietate domus.

Opes hujus ecclesiae amplissimae quondam, nunc haeresum juxta invalescentium augmento decrevere, magnam decimarum partem feudi titulo nobiles circum illustresque familiae occupant. Ita comites de Wieda praedium Lindenholzhausanum, Liningenses comites decimas Endrichae, barones Dernae, Metternichii, et Lorichii partem decimarum in Nentershausen, Naumborn, Bergscheidt, majori et minori Holbach &c. Hatstenii et Reiffenbergii dimidium in Essenbach decimarum, easdemque in Niederselters integras colligunt. Langenbachii in Faulbach, Spechtii Kirchbergenses in Oberweier, Stenii in Steinbach jus feudale decimandi possident. Helfensteiniis in Eschhoven jus decimarum integrum, alibi in Lindenholzhausen dimidiatum competebat, sed pars vendita, et praedium Horcheimense receptum in vicem feudi, cujus modo possessionem Hunolsteinii adierunt. Ita rebus ecclesiae Dietkirchenae accisis, spes in bonis feudalibus tenuis superest.

Decani Dietkirchenses.

Arnoldus, occ. feria 6ta ante fest. S. Walpurgis 1316.

Cuno de Elsass, obiit ão 1483.

Henricus Irlen, confirmatus 1. septembris 1483.

Joannes Weidtmaul.

Petrus Seel, praesentatus 19. junii 1574, permutavit 8. maji 1577 cum Jodoco Pfalzel.

Joannes Raedt, occ. 1578.

Jodocus Pfalzel, occ. 1584, resignavit ão 1588.

Jacobus Vianden, nominatus 26. februarii 1588.

Franciscus Heuffts, primus decanus, qui electus sit, ão scil. 1605.

Henricus Wentzell, obiit ão 1649.

Bernardus Elberskirchen, occ. ão 1652 et 1654.

Joannes Petrus Endtlich, obiit ão 1688.

Joannes Leonardus Schlüpgen, electus 10. januarii 1689, confirmatusque per archidiaconum 4. februarii 1689, obiit 1702 die palmarum.

Joannes Fridericus Dornuff, occ. 1719.

Henricus Distell, occ. 1725, obiitque ão 1740.

Joannes Carolus Klein, occ. ão 1760, obiitque ão 1772, die 15. septembris.

Henricus Palmatius Armbruster, electus 10. novembris 1772, obiit 10. octobris 1788.

Henricus Hubertus Römer, ex Gillenfeld, electus 17. novembris 1788, obiit 1814.

CAPUT XXVIII.

Ecclesia Limburgensis.

Collegialis haec ecclesia vix mille a Dietkirchana passibus ad Loganae ripam in monte Lintburg, Limbruck vel Limburg, spectabilis eminet. Siquidem basilica tam illustri sese effert visendam structura, ac specie, ut, si exteriorem contempleris imaginem, nihil tota archidioecesi spectetur magnificentius, exquisitiorique artificio fabrefactum. Quadrato sectilique pars magna murorum lapide, nec vulgari opere legeque digesto ad insignem emergit altitudinem, quinisque eo ordine assurgit turribus, ut harum maxima ante chorum crucis effigie for-

matum, attollatur; duae paulo minores aditum templi, quo occidentem spectat, complectantur, aliae duae minimae sinistrum crucis cornu ornent, quibus totidem in dextro cornu responsurae, atque ad ecclesiae frontispicium suis muris eductae imperfecto etiamnum haerent opere, alias septenarium S. Spiritus donorum numerum eleganti turrium divisione impleturae. Mors conatum fundatoris intercepisse creditur. Is Conradus (Cuonrathus), ejus loci comes, fuit, qui favente Ludovico, id temporis Lotharingiae rege, ão 909, ut ex diplomate ad hunc annum, in annalibus producto, patet, Hattone etiam, Moguntinensium archiepiscopo, et Conrado, Franconiae duce, hoc ejus studium promoventibus, ecclesiam hanc et canonicale collegium suis, aliorumque suffragantium opibus extulit.

Antiqui cleri vitam, et coenobium non solum ex collapsis jam aedificiorum vestigiis et murorum ruinis (ut omnia tempus consumit), sed ex veteribus quoque collegii sanctionibus, ritibusque ac censuum codicibus agnoscimus, ubi et vasorum, et vini, et esculentorum modus, dimensioque junctim collegis exhibenda, praescribitur. Praeposito magna olim in hoc loco auctoritas, domicilium in burgo, ut vocant, proximo, nunc arce principis, obtinebat, nobili etiam clientela munitus, donec inclinatis sensim rebus collegii, ipse tandem advocatis, Limburgi dominis, pro imperatore ibi jus dicentibus, locus cessit. Camerarius etiam in hoc clero numeratus est, penes quem familiae amplissimae, et domi forisque, tributa gubernatio; cui lege mancipii capita sibi subditorum ad tutelam, excubias, aliaeque ministeria, ac servitia deligere fas erat.

Praebendae sive sacerdotia hujus ecclesiae promiscua tum canonicorum, tum vicariorum 56 fuisse traditum est. Nunc censuum vectigaliumque, quae fuere lautissima, vix decimam superesse partem constat. Vasallos etiamnum suos censet primae nobilitatis Walderdorffios, Elckerhausios, Cratzios, ex Dern, Brambach, Ottenstein et Wonscheit, plerosque frumentis, nonnullos et pecuniis solvendis obnoxios. Multos haeresis eis locis invalescens subduxit. Ordinis ecclesiastici ritus Moguntinae metropoli, quam Trevericae magis sunt affines. Nam

serius a saeculo Christi XI. huic dioecesi accessisse in annalibus observatum reperies. Monumenta illic regum ducumque optime de hac ecclesia meritorum adhuc supersunt. In chori medio visitur cenotaphium Conradi I. regis Germaniae et ducis Franconiae, optime de hoc collegio meriti. Sed et Conradi Salici et Henrici IV. imperatorum testata ibidem munificentia est, suisque in annalium decursu, locis panditur.

Praepositi Limburgenses.

Arnoldus, postea episcopus Spirensis, occ. ão 1124 et 1129, obiitque IV. non. octobris 1155.

Hermannus, ão 1155.

Everhardus de Isenburg, nominatus ão 1233, occ. etiam ão 1235.

Hermannus de Willenau, archidiaconus Trevirensis, occ. ão 1262 et 1303.

Henricus de Westerburg, ão 1307 et 1309.

Joannes de Molsberg, ão 1327, 1354, 1359 et 1366.

Gerlacus, obiit 26. februarii 1370.

Stephanus, S. Eusebii cardinalis presbyter, ão 1373.

Wilhelmus de Isenburg, ão 1404.

Petrus de Udenheim, ão 1410.

Joannes de Löwenstein, dictus Randeck, ão 1419, obiit 25. februarii 1452.

N. N., cardinalis S. Sabinae, ão 1454.

Ulricus de Bickenbach, ão 1456.

Joannes, comes de Nassau, ão 1470 et 1473.

Joannes Opilio, ex Offheim, praepositus ão 1482, obiit 15. januarii 1509.

Hermannus Foemelen, occ. 1512, insimul can. S. Cast. Confluent.

Lambertus de Butzbach, occ. ão 1517.

Cuno de Metzenhausen, archidiaconus tit. S. Castoris, occ. ão 1549, obiitque 26. junii 1563.

Henricus de Nassovia, ão 1564, obiit ão 1598.

Wilhelmus Quadt de Landskron, aõ 1598 et 1600. Fuit etiam archidiaconus tit. S. Lubentii et decanus S. Castoris Confluentiae.

Philippus Christophorus a Soeteren, archidiaconus S. Petri, postea praepositus major atque archiepiscopus Trevirensis, possessionem captat 2. februarii 1602.

Joannes Wilhelmus Husmann de Namedy, 19. februarii 1604 possessionem adipiscitur. Fuit etiam praepositus major. Occ. 1633.

Ernestus de Billiche, praepositus S. Severini Coloniae, aõ 1646 ad dignitatem praeposituralem promovetur.

Joannes Theodorus Solemacher, decanus S. Castoris Confluentiae, in dignitate sequitur aõ 1674, obiitque 13. junii 1702.

Carolus Lotharius Josephus Schenck a Schmittburg, decanus major, obiit 22. februarii 1725.

Josephus Franciscus a Kesselstatt, possessionem adit 4. martii 1725.

Antonius Franciscus de Dücker, possessionem adipiscitur 23. maji 1733.

Franciscus Wilhelmus, comes ab Oettingen, ad possessionem eluctatur 14. februarii 1753.

Michael Josephus Bernardus ab Oettgens, ad pacificam pervenit possessionem aõ 1763.

Franciscus Wildericus de Walderdorf, installatur 24. septembris 1765.

Franciscus Philippus de Walderdorf, resignante fratre 22. aprilis 1769 installatur, sed ipse resignat aõ 1793.

Anselmus Franciscus Theodorus Joannes Nepomucenus a Kerpen, nominatus 1794. Fuit etiam decanus major; obiit 15. aprilis 1795.

Augustus Philippus Josephus ab Hacke, nominatur 1795.

Decani Limburgenses.

Alexander, occ. aõ 1227.

Cuno, aõ 1234 et 1247.

Ludovicus, aõ 1255.

Wilhelmus, aõ 1282.

Craffto, aõ 1298.

Wickerus de Geisenheim, aõ 1305.

Lenzemannus, aõ 1325.

Joannes de Bonna, dictus Ide, aõ 1337 et 1348.

Jacobus Dippach, aõ 1371.

Henricus Sure, aõ 1399 et 1404.

Gerlacus Schultetus, aõ 1435.

Henricus de Elsa, aõ 1447.

Craffto de Cleberg, aõ 1481.

Waltherus Scheurenpost, aõ 1484, obiit 29. januarii 1487.

Joannes Genshirn, cui chronicon Limburgense adscribitur, occ. aõ 1507, obiitque aõ 1508.

Dillmannus de Hadamar, aõ 1520.

Petrus Bracht, aõ 1537.

Marcus Sturm, aõ 1549, obiit 25. julii 1560.

Matthias Holshausen, 1561—1578.

Petrus Damianus Macheren, seu Macherentinus, aõ 1578, obiit 19. decembris 1603.

Joannes Mechtelius a Pfalzel, electus 19. januarii 1604, historiographus indefessus. Decanatui praefuit ad annum 1617, tum, ex mandato archiepiscopi, ob controversias inter ipsum, et capitulum exortas, permutat cum Christophoro Fischer, canonico S. Paulini Treviris. Mechtelius vixit adhuc 27. februarii 1631.

Petrus Noll, electus 16. februarii 1617, obiit 14. octobris 1635.

Banthus a Piesport, occ. aõ 1636.

Georgius Braun, aõ 1651.

Henricus Distel, electus 7. decembris 1654, obiit 19. decembris 1691.

Joannes Georgius Schneidt, electus 12. februarii 1692, juravit 18. februarii 1692, obiitque 12. octobris 1713.

Henricus Wentzel, electus 21. januarii 1714, obiit aõ 1728.

Joannes Everardus Wolff, electus 27. aprilis 1728, obiit aõ 1748.

Joannes Fridericus Dornuff, electus 24. septembris 1748, obiit 5. novembris 1751.

Albericus Dornuff, electus 11. januarii 1752, resignavit aõ 1781, obiitque 3. junii e. a. 1781, aetatis 85.

Joannes Ludovicus Corden, ex Valle Ehrenbreitsteiniana, electus 22. februarii 1781, obiit 28. maji 1808. De eo habemus historiam oppidi, collegiatae et satrapiae Limburgensis, opus insigne et amplum.

CAPUT XXIX.

Ecclesia B. Mariae V. Wetzflariae.

Haec ecclesia transrhenanae Trevirorum dioecesis extrema est, in urbe imperiali, Loganae fluvio istic adsita, ubi Dillam rivum adoptat. Templum augustum, amplumque sedecim altissimis columnis innixum surgit, ac viginti ac octo quondam aris ad immolandam Deo hostiam sacrosanctam illustre, profanatis hodie ab invalescente haeresi universis, ternas aegre tuetur.

Structores operis, collegiique primos laudamus nobile par fratrum ex Alsatiae ducibus, Hermannum et Udonem, Carolo magno, cujus auspiciis suberant, hunc utique zelum promovente; monumentum vitae et mortis chorus templi medius, ubi quiescunt, his versibus complectitur, quod tamen a posteris adjectum, sublato primo, videtur:

Illustres duces ab Elsassen meliores,
Hermannus, Udo, quivis hic corpore nudo,
Gaudeat in coelis hoc construxisse fidelis
Templum, quo Domini laus exercetur ab omni,
Anno ter deno LX. cum septingeno
Herman Aprili moritur, sic Udo Novembri &c.

Annis igitur ante mortem sex, hoc est, DCCLXXXIV. ut ex monumentis domesticis venerabilis dominus decanus Joannes

Servatius Diederich, una cum suis capitularibus diligenti se studio investigasse testatur, hoc collegium magnifice ab his fratribus instrui, dotarique coeptum; verum cum absolutionem operis mors utriusque anno 790 antevertisset, illustris basilicae structura non nisi sensim provecta stetit, adeoque primum anno 897 pridie nonas octobris (sic domesticae ferunt literae) a Rudolpho Wirtzburgensi episcopo, cum consensu Ratbodonis archiepiscopi Trevirensis, rogatu Gebhardi comitis consecrata est.

Haec ecclesia olim summae auctoritatis praepositum habuit archipresbyterum, ab ipsis imperatoribus praesentatum, inauguratumque a Trevirorum archiepiscopis, cui longe, lateque in circumjacentibus agris pagisque juris dicundi potestas competeret. Fas etiam scabinos in urbe creandi, perque eos jus in cives, dum religiosior non nemo praepositorum criminali jurisdictioni abnuntians, in Nassovicos consentiente imperatore, hoc jus transferret, unde ad Hasso-Darmstadianos delatum transmigravit, et limitata hodiedum potestate obtinetur, cum Treverico electori fas sit, praetorem, exercendae pariter jurisdictioni, praeficere. Caeterum tribunalis sacri, praepositique instituendi investiendique jus sibi antiquitus Trevirorum archiepiscopus semper usurpavit, elisaque facile est Moguntinensis cathedrae praetensio ab Henrico Virneburgio, Moguntino praesule, nonnunquam excitata. Cunoni etiam archiepiscopo Trev. civitatis proceres anno 1368 sacramento addixerunt, nihil unquam ecclesiastici ab se juris usurpandum aut evertendum. Qua si posteri majorum fide stetissent, hactenus plus apud illos legitimi pastoris auctoritas, quam irrumpentes in hoc ovile alienigenae valuissent. Nunc ea invaluit novatorum licentia, et tolerantia orthodoxorum, ut sub augusti hujus ecclesiae tecto lutheranis et romanis cultoribus par sit societas, clavibus tamen penes decanum, capitulumque, uti et eligendi una cum senatu praedicantis acatholici potestate relicta, qui tamen jurata prius fide promittat, nihil se ab augustana confessione, exhibita quondam imperatori Carolo, alienum, nihil in catholicorum opprobrium traditurum. Qua electione nisi

senatus cum capitulo intra dies XXX. consentiat, institutio pastoris ad liberam archiepiscopi Trevirensis potestatem hoc ipso est facto devoluta. Hac rerum non civilium modo, sed ecclesiasticarum praecipue metamorphosi, quae ad religionis pessundatae mutationem est consecuta, hoc collegium adeo debilitatum est, ut nihil splendoris opulentiaeque et auctoritatis pristinae relictum sit, et apostolicae fidei propugnatores, canonici, vel in exilium ejecti, vel captivitate in vincula abstracti, nudatique majorum opibus, vix nunc ex spoliorum reliquiis ad paucorum subsistentium eo loci alimentum necessaria colligant, cum lautissima quaeque aut lutherani proceres, aut praecones ad suas possessiones derivarint, adeoque nunc vix quinque cum decano subsistant, ubi alias totidem supra triginta corus fuerat, quando praeter chorum octo et viginti altaribus ministratum est. Hic novatae religionis fructus est.

Nobili hoc collegium reliquiarum thesauro olim dives, quarum plerasque paucis ad observationem retentis in catalogo adhuc possidet, ac notarii, testiumque idoneorum fide anno 1576 Augustam Trevirorum in custodiam archiepiscopi transmisit. Quas in sacello aulae conservatas supra a me signatas reperies. Quod consulto factum; cum ex relictis partem Hollandi, partem Sueci, belli superioris tempestate, disjecerint; qui obsequium se Deo praestare autumant, cum in Sanctorum corporibus pessundandis eundem persequuntur.

Praepositi Wetzflarienses.

Harmundus, occ. aõ 1167.

Conradus, aõ 1214.

Burchardus. Ecclesiae Wetzflariensi contulit aõ 1242 decimam vini in Calsmunt et Garbenheim, ut ex ea canonicis coenam Domini celebrantibus, propinetur.

Gerhardus, aõ 125....

Arnoldus de Hollandia, qui simul regis Richardi protonotarius. Aõ 1258 missus Parisios, conventionem iniit cum rege Francorum, hoc praefixo titulo: Ego magister Arnoldus

de Hollandia Wetflariensis praepositus, protonotarius et procurator serenissimi domini Richardi Rom. regis illustris. Ablegatus postero anno Romam, dexteritate sua effecit, ut Alexander PP. IV. Richardum pro rege legitimo agnoscere non diutius haesitaret. His aliisque negotiis laude summa perfunctus, gradum conscendit altiorem, factus circa annum 1262 cancellarius. Richardum in Anglia morantem serutus est aõ 1264.

Henricus de Gymnich, occ. aõ 1282 et 1285.

Hartradus e dynastis de Merenberg, aõ 1296, 1305, 1308 et 1316.

Robinus, comes de Seyna. Aõ 1330 locavit particulam terrae ad praeposituram spectantis, Conrado de Katzenfurt. Aõ 1332 capitulo contulit omne jus praeposituræ, quod habuit in telonio novi annalis fori Wetzflariensis. Occurrit adhuc anno 1346 in literis monasterii Marienstatt.

Robinus de Covern, aõ 1340.

Rudolfus Rule de Friedberg, qui et protonotarius aulae imperialis. Vice prima occurrit in literis Caroli IV. imp. quas signavit. Aõ 1359 ab imperatore petiit obtinuitque sibi confirmari recognitionem Joannis de Garbenheim super eo, quod villam Bublinghausen a Rudolfo teneret in feudum. Aõ 1360 investivit Henricum Snaithart, civem Wetzflar. de dimidia parte decimae *an dem Steynbühel zu Wetsflar;* dando simul eidem exspectativam de altera dimidia, quam Joannes de Garbenheim hactenus tenebat: confirmatam aõ 1362 ab imp. Carolo IV. Norimbergae, die Valentini, ubi tali praedicato inducitur: *der Ersame Rudolphe von Fridberg Probiste zu Wetsflar, unser Paffe und heimlicher Diener.* Eodem anno Richolfus et Gerbertus de Dridorf, Wetzflarienses patritii, recognoscunt reversales *über empfangenes Lehen.* Aõ 1364 vendidit capitulo octavam partem decimae *auf dem Stoppelberg* prope Wetzflariam. Aõ 1365 factus est episcopus Verdensis, S. R. J. princeps et cancellarius, cujus occasione mutationis praeposituram verisimiliter resignavit. Obiit anno pontificii secundo, 1367.

Hermannus, comes de Henneberg, qui et canonicus Bambergensis. Aõ 1389 mandatum dedit Cunoni de Rudinckheim,

custodi, et Eckhardo Schuckmeister, canonico, conferendi investituras feudorum a praepositura descendentium. Aõ 1390 ipso die Georgii concessit Joanni de Franckenberg, vicario altaris S. Margarethae *uff dem Wendelstein in unserm Stifft,* successoribusque *ein Huss und ein Hoveche mit dem Garthen in der egenanten unser Probstie inwendig der Ringmuren zu Wetsflar gelegen uff dem Steynwege.* Aõ 1399 elocasse legitur praepositurae reditus, exceptis feudis et officio schulteti, pro 140 florenis auri. Aõ 1404 feria 4. ante festum solempne Corporis Christi, reditus feudales, obitu Richolffi et Gerberti de Dridorf dudum revolutos, incorporavit ecclesiae. Vice ultima subit aõ 1408 in vigilia Purific. B. V.

Petrus de Heltperg, qui et canonicus Eichstadensis. Aõ 1415 mentionem ejus facit R. Sigismundus in tabulis, quibus ecclesiae Wetzflariensis confirmavit privilegia, d. d. Constantiae, lunae post almam pentecostes 1423. Canonico de Rodenhausen jure feudi tradidit judicium in Dudenhausen, *das Gericht zu Dudenhausen bey Wetsflar und die Vogtey daselbst:* item locum vocatum *Bune, gelegen vor Wetsflar bey der obern Porten, als man ausreut, zu der lincken Hand.* Aõ 1432 arbitrum egit inter capitulum et vicarios, invicem dissidentes super anno gratiae, fer. 4. post exalt. S. Crucis. Obiit 1. febr. 1444.

Joannes de Eych, J. U. D. Praeter Wetzflariensem, possedit et praeposituram Eichstadiensem, ecclesiae cujus factus est antistes aõ 1445.

Petrus Knorr, decr. Dr. Aõ 1446 legationis functus munere pro Friderico Electore Brandenb. in conventu Francoford. Aõ 1458 Wilhelmus dux Saxon. et Anna Austriaca conjux eum ablegaverunt in Galliam ad tractandum super venditione ducatus Luxemburgici cum Carolo VII. Francorum rege, quod etiam negotium feliciter confecit.

Georgius, qui et praepositus Posoniensis, resignavit aõ 1482.

Ambrosius Peuscher, canonicus Frisingensis, praesentatus ab imperatore Friderico 31. januarii 1483, occ. adhuc aõ 1490.

Joannes de Teusbruck, occ. aõ 1494.

Joannes de Dalheim ex Comberg, sive Camberg, J. U. D., canonicus B. M. V. ad Gradus Moguntiae, nec non metropolitanae Coloniensis, Bertholdique, Jacobi Urielis et Alberti, archiepiscoporum Moguntinorum, cancellarius, juravit archiepiscopo Trevirensi 27. junii 1512, obiitque 7. decembris 1516.

Balthasar Merklin de Waldkirch, decanus S. Simeonis Treviris, juravit 7. januarii 1517, resignavit vero aõ 1518.

Joannes, comes de Leiningen in Westerburg canonicus Coloniensis, praesentatus per imperatorem 23. decembris 1518, confirmatusque 28. januarii 1519, obiit aõ 1524.

Wolfgangus, comes de Solms, Coloniensis canonicus. Ad praelaturam ille nominabatur 15. augusti 1424 a Ferdinando archiduce, ceu Caesaris vicario, capitulumque rem hac nominatione confectam putans, eum actu in possessionem immisit, sicuti et archiepiscopus Trevirensis ejus juramentum recepit 12. octobris 1524. Cum vero Carolus V. factam a locumtenente praesentationem per literas, d. d. Toleti, 10. novembris 1525, ratam non haberet, hinc Wolfgangus loco cedere se vidit adactum.

Balthasar Merklin de Waldkirch, secunda vice nominatus. Postquam enim imperator admissionem in persona Wolfgangi factam, reprobasset, voluntati caesareae se morem debite gesturum declarante capitulo, neonominatus Balthasar literas direxit ad canonicos, d. d. Sevilla, 28. maji 1526, in quibus eis nominationem suam notam facit: *Ich, als der so zuvor auch daselbst Brobst gewest.* Ceteroquin Balthasar non diu post longe altiores dignitatum conscendens gradus, praepositurarn abdicavit in favorem Tilmanni Kreich. In literis, sub dato *Closter Schuttern,* 3. julii 1528, Balthasar, electus Constantiensis, postulatus Hildeshemiensis et Melitensis episcopus, vicecancellarius imperii, pro causa resignationis allegat, *das er die Probstey diese verschine Jahr vielfälliglich gegen Graf Bernhard von Solms in Wiederwill und Zangk allenthalben verthedigt, der sich der* (nomine filii sui Wolfgangi) *nit begeben oder verziehen wollen.*

Thilmannus Kreich, S. caes. maj. secretarius, cantor D. Petri Moguntiae, decanus S. Victoris ibidem, et canonicus

Coloniensis metrop. juravit 31. augusti 1528, obiitque 28. decembris 1551.

Reinhardus, comes de Solms, praepositus Francofurtensis, Moguntin. et Colon. metropolitanarum canonicus, praesentatus 8. februarii 1552, resignavit ão 1579, obiitque ão 1580.

Theodoricus ab Horst, investitus 10. septembris 1579, resignavit ão 1609.

Joannes de Warsberg, canonicus, posteaque cantor, praesentatus 20. febr. 1609, introductus 29. junii 1611, obiit ão 1633.

(Arnoldus de Senheim) Homo laicus, adeoque beneficii ecclesiastici prorsus incapax, electus a capitulo tempore belli Suecici, urgente procul dubio necessitate, quo magis ecclesiae bona ab omni vi hostilis impetus sarta tecta manerent. Testimonium perhibent ipsius Arnoldi literae: Ich Arnold von Senheim, der Hochlöblichen Königlichen Crohn und Reiche Schweden Amptman zu Höchst, Hoff- und Hochheim. Füge hiermit meniglichen zu wissen; Demnach von Dechant und Capitul unser Frauwen Stiffts zu Wetzflar zu einem Probsten ermelten Stiffts unanimiter et communibus omnium votis eligirt, uff und ahngenohmen worden ꝛc. So geschehen Wetzflar den 12./22. Julii Anno 1633. An et quamdiu personatus iste praepositus se pro tali gesserit, fructusque perceperit, non liquet. Successor interea Warsbergii genuinus est, qui sequitur:

Franciscus Ludovicus Faust de Stromberg, Wirzburg. et Wormat. cathedralium canonicus, decanusque Comburgensis, expost vero praepositus major Wirzburg. occ. ão 1644, 1647, 1650, obiitque 22. octobris 1673.

Joannes Richardus de Frankenstein, Bamberg. et Wirzburg. canonicus. Imperatoris Ferdinandi III. gratia nominatus 4. maji 1651, provisione archiepiscopali praeposituram nactus est, qua se abdicavit ão 1670, seu potius 1668, si enim in instrumento publico de 3./13. aprilis 1668 legimus, „in nahmen eines „alhiesigen Stiffts Herrn Probstens Herrn von Frankenstein, „in alio instrumento, de 3. octobris, vet. styli, 1668, legitur:" Herr Joannes Dreßler, churfürstlich Trierischer Probsteyschultheiß zu Wetzlar.

Carolus Casparus a Petra, archiepiscopus et elector Trevirensis, praevia cum capitulo conventione, per Antonium Sohler, credentialibus literis de 26. maji 1671 instructum, ipsius praepositurae possessionem accepit, hanc in mandatis habente Ludovico Mentges, canonico regulari in Rommersdorf, parthenonis in Altenberg priore. Carolus Casparus obiit 1. junii 1676.

Joannes Hugo ab Orsbeck, archiepiscopus et elector Trevirensis. Sub illo praepositura Wetzflariensis per literas Leopoldi I. imp. d. d. Viennae, 20. novembris 1701, unita fuit mensae Trevirensi. Et hujus quidem adunationis causa erat, personas privatas, quales praepositi hactenus extiterint, nimis esse imbelles, praepositurae reditus ac jura ab insultibus senatus urbici, inhiantiumque aliorum, defensandi.

Decani Wetzflarienses.

Conradus, occ. ão 1214 et 1221.

Godefridus, vixit ão 1226 et 1237.

Hartmannus, ão 1239.

Conradus, ão 1241.

Giselbertus, ão 1242 et 1247.

Giselbertus II. de Guns, resignavit ão 1271, obiitque ão 1277.

Joannes de Linden, abdicanti Giselberto successit ão 1273, ex canonico hujate, et ad S. Castorem Confluentiae decano. Occ. etiam ão 1287.

Wigandus, occ. ão 1295 et 1305.

Wernerus, obiit ão 1309.

Conradus, comes de Solms, decanus ad S. Gereonem Coloniae eligitur ão 1309. An vero acceptaverit, dubitare licet.

Heidenricus de Dernbach, occ. ão 1314 et 1326, obiit vero eodem anno 1326.

Richolfus de Dridorf, electus ão 1326, ultimum occurrit 7. decembris 1362. Diem obitus necrologium refert ad X. kal. maji.

Nicolaus von der Crae, in Latino de Cornice. Cum ão 1381 obveniat adhuc ut canonicus, hinc intermedius aliquis videtur latitare. Qua decanus se sistit Nicolaus ão 1388—1404.

Joannes Schenk de Schweinsberg, occ. ão 1415 et 1418.

Waltherus Schwarzburger de Friedberg, occ. ão 1424 et 1439.

Joannes Bus, occ. ão 1457 et 1466.

Henricus Grumpel, ão 1477.

Eberhardus de Bicken, occ. ão 1486—1496, resignavit paulo post, obiitque 28. junii 1515.

Otto Schurge, obiit 12. junii 1501.

Joannes Loer, occ. in charta anni 1511, quo ipso etiam obiisse videtur.

Jacobus Fuseler, occ. 24. octobris 1515.

Joannes Born, occ. 1530—1547.

Jodocus de Bicken, occ. 1548, resignavit vero 27. maji 1551.

Casparus Franck, occ. 24. augusti 1551, resignavit ão 1572, obiit 9. decembris 1576.

Nicolaus Nittel obtinuit provisionem ordinariam archiepiscopi Jacobi, sub dato 9. junii 1572, diem vero extremum clausit in octava Nativitatis B. V. Mariae ão 1576.

Henricus Krae, sive Kroe, electus 20. septembris 1576, obiit ão 1582.

Paulus Boch provisiones accepit 25. maji 1583, officio perfunctus .... 1586, sorte non diu post mutata, ductus in custodiam Ehrenbreitsteinii, decanatum resignavit ão 1587, atque ão 1589 eo privatus fuit.

Joannes Servatius Cramer, electus 23. junii 1587, obiit 23. septembris 1616.

Balthasar Schurg, ex scholastico decanus ão 1616, obiit 30. novembris 1631.

Joannes Conradus Herstein, Andernacensis, electus ante 23. decembris 1631, obiit 4. octobris 1652.

Joannes Servatius Dieterich, electus 28. novembris 1652, obiit 13. aprilis 1673.

Otto Reinoldus ab Andrimont, episcopus Diocaesarenus et Stephaniensis, suffraganeus Pragensis, praepositus Hunfeldensis et Raudnicensis ad Albim, in decani coadjutorem electus 15. maji 1672. Obiit aut resignavit ante 4. maji 1680.

Joannes Franciscus de Gülpen, de decanatus administratione provisus 23. junii 1681.

Joannes Jacobus Deuren, nominatus ão 1685, vigore archiepiscopalis decreti. Obiit 2. aprilis 1725.

Fridericus Thederichs, nominatus 29. aprilis 1725, obiit 7. maji 1741.

Joannes Jacobus Deuren, nominatus 14. maji 1741, obiit 1. decembris 1749.

Joannes Henricus Fischer, occ. ão 1762, obiitque fine martii 1775.

Joannes Mayer, occ. 1776—1794.

CAPUT XXX.

ECCLESIAE COLLEGIALES, IN PAROCHIALES VERSAE.

Ecclesia Boppardiensis S. Severi.

Boppardiae, seu, ut veteres, Bodobrigae ad Rhenum, claro veterique municipio, collegium quondam nobile canonicorum, cujus jam ferme obliterata memoria, fortunis per bellorum, haeresumque, et neglectae religionis hominum injuria alio versis, distractisque. Templum elegans D. Severo sacrum, insigni turrium et campanarum apparatu, nunc a parocho et collegis sacerdotibus nonnullis possidetur, qui rem divinam administrant, et concionibus praesunt. Exordia collegii hujus ad annum Christi 1200 revocant, quando postero aevo campanarum maxima ibidem suspensa, his ejusdem aetatem per plura extensam saecula, versibus testatur, qui dorso inscripti sunt:

Millenus, ducentenus, quoque septimus annus,
Septenus fieri me fecit honore Severi.

Florentibus quondam rebus ao 1453 in ea collegiorum confederatione erant, qui onera a Jacobo Sirckio archiepiscopo, imposita detrectabant: nunc futuri feliciores, si cum onere pristinas opes, honoresque possiderent.

CAPUT XXXI.

Ecclesia Wesaliensis S. Martini.

Altera haec quondam fuit Wesaliae canonicorum ecclesia, in qua parochus decani seu praepositi etiamnum titulum possidet, interlapsis cum parte redituum canonicis. In colle haec extra muros non ignobili etiamnum specie basilica visitur, ejus clerus dudum sub rectore vixit, dum auctis piorum liberalitate reditibus, sacerdotiis adlecti plures canonicorum recepta disciplina ao 1303 coeperunt vivere. Conditores praecipuos Schönbergios censent burgravios.

Dietherus archiepiscopus religionem istic legibus temperavit. Nam et collationem sacerdotiorum inter Schönbergios in geminam Merbodonis et Henrici burgravii stirpem divisos, prudenter est partitus, ac hujus loci canonicos omnes ad procurandam salutem animarum presbyteros esse voluit. Praepositi constituendi jus sibi, Trevericisque archiepiscopis integrum fore statuit. Decano auctoritatem canonicos a patronis praesentatos investiendi abs se vel archidiacono, ubi fidem obsequii semel addixisset, tribuit. Hinc post obitum vel abdicationem Bertholdi de Catzenelenbogen, praepositi, et Henrici de Lichtenberg, decani, qui corpus fructuum soli possedisse ad id tempus videntur, distinctos, peculiaresque singulis seorsim sacerdotibus obvenire reditus jussit, salariumque rectori scholarum educandae cum fructu juventutis justum constituit. Quae Dietheri archi-

episcopi decreta, pactaque, sigillis patronorum communita, bono hujus ecclesiae recognovit Joannes de Schonenberg, hujus quondam ecclesiae decanus, rataque esse voluit anno salutis 1379 indict. II. Urbani papae VI. anno II.

Praepositi S. Martini.

Bertholdus, comes de Katzenellenbogen, occ. aõ 1303, obiitque 9. octobris 1316.

Joannes de Reynse, occ. aõ 1365, 1368 et 1370.

Joannes Boos de Waldeck, juravit sabbato post Lucie 1502, obiitque aõ 1508.

Petrus Lutern de Bornich, juravit 23. martii 1508, obiit 1515.

Wigandus Fuisten.

Richardus ab Eltz, praesentatus per D. Philippum ab Eltz, concurrenter cum Philippo a Stockheim, in cujus favorem Richardus denique, post varias contestationes, abdicavit.

Philippus a Stockheim, praesentatus per fratres Joannem et Fridericum de Schönberg, juravit 6. maji 1539, obiitque aõ 1548.

Godefridus de Walderdorf, scholasticus major Trevirensis, praesentatus aõ 1548 per Fridericum seniorem de Schönberg, obiit, archidiaconus tit. S. Agathae, aõ 1571.

Joannes a Schönenburg, praesentatus aõ 1571, expost, aõ 1581, archiepiscopus et elector.

Philippus Cratz a Scharfenstein, post antecessoris resignationem investitus die 14. februarii 1582.

Philippus Saxler, juravit 17. novembris 1646.

Antonius Vogt, nominatus mense augusto 1655.

Damianus Carolus Boos de Waldeck, nominatus 6. novembris 1753, obiit 20. martii 1787.

Josephus Ludovicus Beck, occ. aõ 1794.

Decani S. Martini.

Henricus de Lichtenberg, occ. aõ 1303.

N. Fulken, 1393.

Nicolaus de Malsen, occ. 1465.

Joannes de Francfordia, licentiatus juris canonici, officialis Confluentinus, occ. ão 1441, nec non 1450.

Cuno de Pirmont, praesentatus per patronum, D. Henricum de Pirmont, 7. dec., confirmatur 10. decembris 1478.

Jacobus Hoelen de Pirmont, juravit 15. decembris 1496, obiitque ão 1512.

Nicolaus Alberti de S. Goare, praesentatus ão 1512 per Eberhardum dominum de Pirmont, Ehrenberg et Reckheim. Juravit 30. aprilis 1512, cum praesentatus fuit 12. ejusdem, occ. 1515.

Gerardus ab Arscheidt, juravit 23. octobris 1525, obiitque ão 1556, frater Joannis, decani ad S. Cast. Confl. et quondam S. Goaris.

Theodoricus Schleichen, praesentatus ão 1556 per Fridericum ab Eltz, dominum in Ehrenberg, obiit ão 1568.

Damianus Quadt a Landscron, praesentatus 2. decembris 1586 a fratre suo Wilhelmo, archidiac. Trev.

Adamus Richardi, praesentatus ão 1568, juravit 13. novembris 1570, obiitque ão 1586.

Christianus Collenerus, praesentatus per dominum de Quadt 2. decembris 1586, investitur 15. januarii 1587.

Petrus Grandjean, Confluus, decanus et pastor nominatus ab archiepiscopo 1723.

CAPUT XXXII.

Ecclesia Montrealensis SS. Trinitatis.

Ecclesia haec Montis regalis ão 1210 sub Joanne I. Trevirorum archiepiscopo a comitibus Virneburgensibus, Hermanno nimirum, et Philippo de Saffenburg amplissimis dotata reditibus, florere coepit; primumque sub communi disciplina praebendati

plures incolere, et huic instituto pastoralem curam sociare visi: dum labentibus temporibus, rebusque, solo inter paucos parochiae nomine constitit. Bellum illa aetate felicibus in Oriente auspiciis pro religione Saffenburgici, hi quoque fundatores adierant, unde magno reliquiarum sanctarum thesauro locupletes reversi, hanc praecipue ecclesiam ditarunt, quibus bona fide probatis, Romanaque auctoritate firmatis, remissionis quoque certa accessit indulgentia, qua ad venerationem ecclesiae, Sanctissimaeque Trinitatis, ac Dominicae Crucis, quibus consecratione solenni dicata est, honorandumque in sanctis suis Deum, mortalium pietas excitatur.

CAPUT XXXIII.

ECCLESIAE COLLEGIALES PROLAPSAE.

Ecclesia S. Goaris.

Percelebri ad Rhenum oppido, quod a S. Goare, hospitali illic quondam Divo, nomen magis, quam religionem trahit; ecclesia quondam canonicis a Prumiensi abbate fundatis, habitata fuit. S. Goaris cellam, beneficentiamque, et sanctitatis in vita famam, annales nostri suis locis prosequuntur. Hujus quondam translatas Cardonam reliquias magna cura Goarenses repetitum venere, favitque ão 1320 Balduinus archiepiecopus, et effracto, quo condebatur altari, solenni comitatu cleri procerumque utriusque loci in suam, unde venerant, basilicam retulere, qui deinde in beneficii memoriam, et piorum operum societatem anno XI. pacti sunt, et Cardonensibus ad S. Goaris stationem commeantibus vini panisque peregrinis refectionem constituere, ipsoque anniversariae translationis certam ejus diei pecuniae in canonicos pro more distributionem, Cardonensi sese ecclesiae ad perpetuam beneficii agnitionem transmissuros

recepere. Quam fidem nunc pari diligentia neodoxi Goarensis ecclesiae possessores exequuntur, qua S. sui Goaris vitam honorant, et imitantur. Postquam enim haec ecclesia sub Jacobo Eltzio archiepiscopo ad Hassorum traducta dominium, principum suorum a Romana ecclesia aversorum, genium secuta, nihil priscae erga sanctos religionis tenuit, et nunc serenissimo illorum Ernesto principe ad proavorum orthodoxam fidem reducto, dispar esse mavult, quam ab illecebris blandi erroris deflectere. Tando facilior ad praecipitia descensus est, quam reditus.

Porro sacerdotiorum omnium hujus collegii conferendorum jus penes fundatorem ejus, Prumiae abbatem, ac deinde administratorem archiepiscopum translatum constitit, quod a resipiscentibus aliquando restituendum speratur.

Decani S. Goaris.

Henricus, occ. ão 1252.
Gerardus, ão 1306.
Adolphus, occ. ão 1371.

Ecclesia B. Virginis in Dietz.

Oppidum hoc perquam amoeno ad Loganam amnem tractu, olim Diethesse, nunc Dietz appellatum, comitatus amplissimi, quique ob rerum copiam aureus quondam nuncupatus fuit, caput est. Duae intra murorum ambitum rupes assurgunt suis arcibus coronatae. Ecclesia collegialis declivi intermedia consistit situ, traditurque, fundator ejus fuisse Gerardus comes senior, qui vita abiit ão 1343, sepultus juxta sacrarium, ejusque hoc institutum Boëmundus, primus ejus nominis archiepiscopus, collaudavit. Canonici Saltza quondam e satrapia Molsbergensi huc ad securiorem, magisque opportunum religioni locum translati feruntur. Verum et sathanas inter viros olim apostolicos sedem reperit, neque hic defuit, quando deserta fide catholica cum majorum institutis vectigalia et successores

amiserunt, Nassovicos temporalium istic rerum dominos secuti, quibus spiritualis pastor potior in religione esse debuerat. Sacerdotiorum in hac ecclesia erant duodecim.

Decani in Dietz.

Conradus, occ. aõ 1348.

Theodericus a Walderdorf, occ. circa 1380.

Joannes Giessen, obiit 22. maji 1501.

Theodoricus a Walderdorf, electus 26. maji 1501, resignavit 14. aprilis 1507, obiitque 30. septembris 1513.

Cuno de Brambach, electus 14. aprilis 1507, confirmatur 25. septembris 1507.

N. de Reiffenberg, obiit ante 1565, ultimus decanus.

Ecclesia Gemundana.

Gemunda oppidum in solo herbido pascuisque laetissimo, haud procul Westerburgo dissitum, comitibus Westerwaldiae de Leiningen subjectum est, Trevericisque quondam fuit addictum sacris. Collegiatam hoc olim ecclesiam cum apostolica religione amplexum, nunc lutheranam, Saxonici videlicet apostoli, praetulit, nulla veteris collegii imagine relicta.

Praepositi in Gemünden.

Baltmannus, occ. aõ 879.

Sigefridus de Runkel, occ. aõ 1326.

Sigefridus de Westerburg, praesentatur archiepiscopo Trevirensi per imperatorem Ludovicum, 16. septembris 1336.

Theodericus, aõ 1480.

Petrus Richwinus de Westerburg, obiit aõ 1538.

Petrus Reichwein de Gemünden, praesentatus per dominum Westerburgensem 18. martii 1538, juravit 29. aprilis 1538.

Joannes Theodoricus Bruerius, praepositus collegiatae S. Severi in Gemünden, juravit 9. novembris 1628.

Ecclesia Weilburgensis.

Hoc oppidum ad Wilae et Loganae confluentes undas sub Nassovici Saraepontis domini imperio situm, atque in dioecesanis Trevirorum indicibus spirituali horum archiepiscopo jurisdictioni quondam subditum, sub cujus auspiciis collegialis illic olim ecclesia regebatur. Nunc subtracta haec suo pastori ovicula solitudinem Romanae istic religionis praehabet, suaque novitate laetatur. Dicata fuit ecclesia haec S. Walpurgi, in eaque sepultus Conradus comes, pater Conradi I. regis, ão 905 in proelio occisus.

Praepositi Weilburgenses.

Piricho, occ. ão 913.
Huotcechinus, ão 1000.
Wolframus, ão 1048.
Wernerus, ão 1145.
Giselbertus, ão 1149.
B., 1249.
Reynboldus, occ. 1360, feria tert. post festum S. Luciae.
Ulricus, occ. 11. augusti 1407.
Fridericus Martorff, ão 1502, 1503, 1506.

Decani Weilburgenses.

Wigandus, occ. 11. septembris 1283.
Hermannus, occ. 1. julii 1317.
Roricus, 26. martii 1348.
Ludovicus, feria 3. post festum S. Luciae 1360.
Volbertus, 30. aprilis 1364.
Boemundus, 7. augusti 1366.
Godofredus, 1. septembris 1399.
Joannes Hochdorffer, obiit 1407.
Hermannus Piscatore, nominatus per praepositum 11. augusti 1407.

Joannes Schelt, occ. 8. novembris 1492.

Joannes Hell, qui obiit initiò saeculi XVI. Deinde, post vacationem multorum annorum, per archiepiscopum Trevirensem nominatus fuit, 1. decembris 1548,

Jacobus a Weilnau.

Ecclesia Idsteiniensis.

Idsteiniensis collegiata ão 1340 in honorem S. Martini a Gerlaco comite Nassovico-Idsteiniensi erecta fuit: reditibus vero a Cunone archiepiscopo Trevirensi ão 1381 adaucta. Perstitit ibidem officium divinum ad annum circiter 1585, quo invalescente Lutheri doctrina desiit, sex canonicis ad Lutheri vexilla transeuntibus. Hodie in ecclesia aeminet suggestus ex marmore nitidissimo artificiosissime concinnatus, quem Samson marmoreus lacertis suis suffulcit. Reditus extincti canonicorum collegii in alendos lycaei Idsteiniani professores potissimum erogantur. Quatuor pariter in ecclesia fundatae erant vicariae, S. Crucis scilicet, S. Catharinae, B. M. Virginis, et S. Andreae. Inter reliquas praerogativas, collegiata Idsteiniana gaudebat jure patronatus in ecclesia Ober-Lahnstein.

Decani Idsteinienses.

Nicolaus de Schwalbach, occ. ão 1431.

Loteranius de Itzsteyn, obiit ão 1452.

Joannes Dietzel de Oppenheim, confirmatus 6. decembris 1452, resignavit ão 1491.

Joannes Fabri de Werstorff, electus 22. augusti 1491. Praeter eum tunc temporis quatuor in capitulo erant canonici: Joannes Kirburg, Joannes Dietzel, Henricus Hernborn, atque Ibanus Lanthauwer. Joannes Fabri obiit ão 1494.

Joannes Kirburg de Idstein, confirmatus 22. maji 1494, obiit ão 1502.

Nicolaus de Swalbach, confirmatus 13. novembris 1502.

CAPUT XXXIV.

Coetus alii clericorum curionales.

Praeter supra dictos clericorum coetus alii per archidioecesin curionales sacerdotum instituti sunt, qui diversis templi ministeriis deputantur, alibi sacris, alibi curae animarum et parochialibus officiis destinati. In quibus facile primas obtinent, qui magnae Dei Genitricis aedi Treviris inserviunt, quos tanquam metropolitanae ecclesiae servitiis deputatos, eidem quoque superius adjunximus. Praeter quos tamen alios quoque e clero inferioris ordinis ministeriales praebendatos eadem major basilica censuit.

Bantini, hi fuerunt 12, hoc est oratorii S. Banti praebendati. Quod oratorium a Reinboldo Levita, canonico cathedrali ão 1124 inchoatum, dedicatumque honori Philippi et Jacobi apostolorum. Is cum anniversariae tum suae, tum aliorum defunctorum memoriae fundos ac reditus, qui duorum saxorum monumentis insculpti istic leguntur, assignasset, S. Banti patrocinio, cujus tum istic sodalitium certo numero condidit, fuitque ibidem locus hospitalitati, a qua nomen etiam duxit. Denique recenti parentum nostrorum memoria seminario cathedralis ecclesiae adjunctum est. Caeterum apostolicis jam pridem indultis clerici metropolitanae aedis collegio temploque ad divini cultus augmentum inserviunt. Qua de re amplissimum Leonis X. pontif. Richardo archiepiscopo diploma ão 1521 collatum possident.

Paulini olim Horreensi parthenoni accensiti, ubi modo parochia S. Pauli ostenditur. Atque hic ex Theofrido Epternacensi, in vita S. Irminae, liquet, jam inde a S. Willibrordi aetate 12 praebendatos (is enim multis numerus apostolicus placuit), una cum parocho rem divinam procurasse.

Rivulus B. Mariae infra Sirckium oppidum, praepositura et aliquot sacerdotiis frequentatus, ubi carthusiana familia, prius-

quam Rutilam concederet, locum habuit, et ante eam sub annum Christi 1415 sanctimoniales cisterciensis disciplinae incoluerant, quae inde Freisdorfiano parthenoni associatae sunt.

S. Nicolai ecclesia Lutzelburgi sub annum Christi 1120 inchoata, quae primariae parochiae vicem in oppido superiore sustinet. Etenim Weimerskircham, antiquitus S. Wimari ecclesiam, veterem S. Maximini possessionem, ut et castrum Lutzelburgi fundum, suburbanis agris, principem olim Lutzelburgiis parochiam extitisse, majores tradunt; quae memoria aetatis proximae auctoritate Joannis Schonenbergii archiepiscopi accessit, olim a S. Maximini abbate, jam a duce, ut ferunt, conferri solita.

Hospitale quoque id celebre fuit, quod Henricus comes, postea imperator, S. Joanni Baptistae illic condidit, quatuorque sacerdotiis adjunctis fundavit. Sedes modo Munsteriensis abbatis.

Bischofstenium, S. Nicetii sic dictum castrum, infra Carodunum, archidiaconi domicilio, sacerdotiis et oratoriis olim conspicuum extitit. Nunc sub pastoris cura ab accolarum agmine certis anni feriis supplicantium ritu frequentatur.

Coverna, Coberen, S. Lubentii sedes, apud inferiorem quoque Mosellam, templis et oratoriis quondam inclyta fuit, clero et religione frequens. Visuntur ibi sacella et arae S. Michaëlis, Trium Regum, Joannis Baptistae, sub castro, S. Petri, in valle, S. Matthiae, in veteris castri parietinis.

Antonnacensis castelli, nunc dicta Andernacensis ecclesia, infra Confluentiam, in spirituali jurisdictione Trevirensi archiepiscopo subjecta, ut fabricae decore, ita sacerdotiorum frequentia honorata est. Nam sub uno hic curione plures indies mystae, antelucanis etiam nonnullis horis sacris operantur. Oratoria quoque suburbica SS. Petri, Martini, Gervasii et Prothasii majores coluere. Praeposituram S. Genovefae Stabulensi monasterio subjacentem possident, ut alibi memorata de hoc loco praeteream.

Lintium, Andernacum inter, Bonnamque, ab altera Rheni ripa, non ignobile oppidum, inspectionis quoque Trevericae ecclesiam possidet, quamvis temporali jure pareat electori

Coloniensi; de cujus origine, sacerdotiisque, olim, ut videtur, copiosioribus, plura libuit, quam licuit communicare. Et hic terminus sacrae Trevirorum versus septentrionalem Rheni plagam jurisdictionis est. Australem ejus partem vero si visas, supra Confluentes, non paucas haeresum licentia paroecias, ut Brubaci, Rensae, Cubae, ad S. Goarem, Bacharaci et alibi profanatas reperies, quae templis, oratoriis, aris, nosocomiis excultae fuerunt. Ita ceu mare quoddam aestibus obnoxium sua religio incrementa ac decrementa sustinet.

CAPUT XXXV.

Equitum Teutonicorum et Melitensium in dioecesi Trevirensi domicilia.

Ad illustrium ecclesiarum censum jure vocantur, quae ordini militum Teutonicorum ac Melitensium addictae in Trevirensium dioecesi reperiuntur, praesertim cum primos Teutonicae adversus Saracenos militiae heroes Orienti terra haec nostra dederit, unde illorum ad nos posteritas transfusa est, quae altiore paululum indagine sunt vestiganda.

Balduinum Solymorum regem novimus saeculo Christi XII. magnam ex Lotharingicis, Trevericisque, atque inferioris Germaniae oris secum in Orientem, adversus Saracenorum potentiam, nobilitatis partem traduxisse, quae sub Crucis vexillis sanguinem vitamque pro terrae sanctae vendicatione datura, nullum militiae laborem contra juratos christiani nominis hostes defugiebat. Cessitque his conatus feliciter, Balduino in Hierosolymorum regem post triumphatos barbaros delecto. Verum dum ex Ptolomaide, quam Latini Acconam vocant, Saraceni variis terram sanctam excursionibus infestam habent, Occidentales hoc eos praesidio ejecturi, annua locum oppugnatione vix denique oppugnatum tenuere, ingenti Germanicae nationis

clade, quam aut hostile ferrum, aut infesta fames, luesque hauriebat. Unde ad levandam multorum inopiam xenodochium institutum, atque Acconae sive Anconae denique superatae illatum, quod jurata fide, collatisque opibus Germanorum nobilitas et fundandum et administrandum certis legibus institutisque praesidum suscepit. Atque illius xenodochii praefectus, societatisque seu ordinis primum caput Henricus de Walpot ex Bassenheim, Trevericae ditionis ac nobilitatis decus, electus est. Qui insigni diligentia ac pietate hoc functus munere, sub XII. saeculi finem vita abiit, Anconae sepultus. Nec multo post templum xenodochio adjectum est, quod sub titulo Deiparae Virginis fuit excitatum. Placuit Clementi III. pontifici haec Germanae nobilitatis pietas, sacramque hanc societatem sub titulo ordinis Teutonici apostolica auctoritate laudavit, regulamque divi Augustini indulsit. Quos subinde voto continentiae, obedientiaeque ligatos patriarcha Solymaeus, Romana sede probante, alba chlamyde, nigra cruce insigni, ornavit. Numerus primo ordinatorum ad laicos quatuor ac viginti, sacerdotes vero septem excurrit: quibus lorica indutis, gladioque accinctis fas erat ad aram facere. Barbam nemo tondebat, et stramineus pro lecto saccus erat, ut intelligeres militiae illos auctoratos; quanquam huic demum rigori non steterint obnoxii. Cruci nigrae ab Henrico Solymorum rege crux inserta aurea est. A Ludovico IX. Galliarum rege in Palaestina bellante, cornua crucis quatuor, honoris favorisque gratia, totidem sunt liliis illustrata. Coelestinus II. pontif. ordinem hunc votis ante dictis illigatum, legibusque D. Augustini adstrictum confirmavit.

Subinde ão 1200 Otto de Kerpena, cisrhenanae quoque nobilitatis vir, Henrico in magisterio surrogatus, cum Anconae etiam vitam absolvisset, post se duos Hermannos, alterum Bart, Olsacensem, alterum Saltzen, Misniensem, brevi temporis intervallo traxit. Sub quo ultimo Conradus marchio Thuringensis, tanto nobilium et auratorum equitum comitatu habitum suscepit, ut duo Hermannus facile militum censeret millia, qui per annos 30 praefectus, cum Hierosolyma a Saracenis recepta

Germani excluderentur, primus in Prussia ordinis magister praesidens Conradum successorem ac propagatorem religionis post se reliquit.

Cui Poppo ab Osternau, qui ad Livones etiam arma transtulit, huic vero Joannes a Sangerhausen, septimus ordine magister, surrogatus, qui Brutenis sub potestatem redactis, gloriose apud Treviros, quo suam jam Teutonici sedem transtulerant, extremum diem clausit. Non enim multo post, quam hic ordo inclarescere, atque amplificari, hospitalitatis praecipue exercendae gratia coepit, ab Oriente in alias terrarum oras, praecipueque inferiorem Germaniam ac Trevericum (unde quodammodo cum Walpotianis ortus erat) solum transfusus est, atque istic Confluentiam ão 1212 sub Joanne I. archiepiscopo receptus, sub Theodorico II. anno post quinto firmam sedem fixit, insigni beneficio collegiatae S. Florini ecclesiae, suum Teutonicae domui fundum transscribentis. Quo deinde loco illustri genere ac virtute usque ad hanc aetatem viri praesedere, et plures quidem ante haec tempora commendatorum provincialium officio, tituloque spectati, ut multorum epitaphia atque insignia vel ex templi parietibus suspensa, vel monumentis inscripta testantur, ex quibus Henricus Brunswicensis ac Lunaeburgensis familiae dux caeteris Teutonici ordinis ex Prussia cum magistro sui ordinis, Alberto Brandeburgico a fide Deo, hominibusque data, abeuntibus, rara fidei et ordinis servati integritate ão 1525 ad Confluentes transiit, atque istic, impari licet proventuum sorte, vitam ão 1531 clausit, sepulchrali ibidem titulo honoratus. Ita et Trevericae nobilitatis viros suis istic monumentis conditos, in quibus Georgius ab Eltz, mareschallus Trev. haereditarius, reperies terrae mandatos.

Treverim sub idem pene tempus ex Teutonica hac militia commendator (ut vocant) receptus, cui lauta et amoena in Bettingen, duabus infra Walderfingam, qua Treviri adeuntur, horis, possessio est attributa. Verum securitatis gratia, cum alteram in urbe domum possideant, intra muros plerumque habitationem eligunt, suoque hic templo ac sacerdotibus in-

structi, rem in illa divinam hymnodiamque statis horis persolvunt. Ut Confluentiae Westphalicae nobilitatis commendator, Joannes Beatus a Neuhoff, ita Treviris dioecesanae ibidem originis D. Lotharius Braun a Schmidburg praesidet, uterque humanitate sua, et ordinis sua cura laudatus. Et huic quidem vicaria principis commissa in urbe potestas, qua politicis rempublicam legibus tuetur. Nec interea rem suam domi negligit, sed egregio habitationem opere amplificat, atque ex ignobili ruina ad illustrem speciem erigit, jucundo Mosellam inter urbemque reliquam situ collocatam. Concludo locum hunc versibus in domo Bassenheimiana primo magistro inscriptis:

Walpot (1) ab imperio silvae deducite nomen,
    Accola cui nemorum paruit atque fera.
Prisca foresteros comites sibi Flandria legit,
    Nempe nemus patria voce foresta sonat.
Non procul abludunt et nomen Walpot et arma,
    Cum similes radii (2) Flandrica scuta rotent.
Deseruit sylvas, Solymas Henricus adivit,
    Hospitia instituens Teutona Walpot Eques.
Sic domui Walpot geminum decus, atque vetustis
    Extera majestas et sacer ordo favet.
Hoc meruit pietas, virtusque probata tot annis
    Utraque digna solo, nec minus apta polo (3).

Commendatores Confluentini.

Ludovicus, praeceptor, 1231.

Waltherus, occ. ão 1249, 1269 et 1281.

Walterus de Confluentia, praceptor inferiorum partium domus Theutonice, 1254.

Anselmus de Witzellembach, occ. 1281.

Matthias, ão 1292 et 1294.

Theodoricus de Hollandia, ão 1298 et 1302, »commanduyr van Covelentseñ, lantcommanduyr s'Duytsen Huys van Utrecht,« 28. julii 1303.

---

(1) Latine nemorum praefectus, alias foresterus, Förster.

(2) In insignibus.

(3) Hic versus illegibilis ex conjectura additur.

Winricus de Baswilre, occ. 24. maji 1315, 14. febr. 1318.

Alexander, vice-commendator, ão 1331.

Jacobus, commendator, occ. ão 1338.

Everardus de Monheim, 1341.

Joannes de Langenrech, occ. ão 1343 et 1344; ão 1344 una cum Wernero Schonhalz, commendatore domestico.

Christianus de Binsfeld, commendator domus Confluentinae, occ. ão 1354 et 1356.

Rutgerus, ão 1363.

Winricus de Rheindorf, ão 1400.

Albertus de Thunen, ão 1409.

Gerardus de Benesis, commendator domus, 1420.

Philippus de Kendenich, commendator domus, 1433.

Everart Rhyn a Slenderhaan, commendator domus, 1433, 1444.

Nicolaus de Gylstorf, commendator domus, ão 1447, 1454.

Everardus von der Wegge, commendator domus, 1451.

Fr. Everardus von der Warhaus, commendator, nec non Fr. Joannes a Königsdorf, Schellmeiser domus Teut. apud Confluentes, 1451.

Heitgin de Mile, commendator domus, 1463.

Wernerus Overstolz, ão 1473 et 1479.

Philippus, comes de Solms, commendator provincialis, 1480, obiit 1500.

Joannes Scherffgen, ão 1486.

Fr. Adolfus ab Hall, commendator domesticus, et Fr. Henricus a Rennenberg, conventualis, 1486.

Fr. Michael ab Andernach, Zinsmeister, et Heiman, Fr. conventualis, 1496.

Wernerus Spies de Büllesheim, occ. 1497, nec non 1518.

Ludovicus de Seinsheim, commendator provincialis, occ. 1502, 1510 et 1523.

Ericus junior, dux Brunswicensis, 1525, 1531.

Wernerus Forstmeister de Gelnhausen, commendator domesticus, ão 1536, obiit, teste Gudeno, III. 988, 2. Nov. 1512.

Waltherus de Heusenstamm, commendator provincialis, occ. ão 1531 m. T., 1544 et 1545, una cum coadjutore suo, Wilhelmo Halber de Herger.

Wilhelmus Halber de Herger excommendator provincialis, occ. ão 1547, 1550 et 1552.

Antonius Weyher de Nikenich, commendator provincialis, ão 1548 et 1556.

Gerardus de Boyneburg, dictus Honstein, commendator provincialis, ão 1560, 1573.

Rheinhardus Scheiffart de Merode, commendator domesticus, ão 1573, m. T.

Otto de Guns, qui ão 1552 et 1569 commendator domesticus Confluentiae, occ. ão 1574 qua commendator provincialis.

Rheinhardus Scheiffart de Merode, commendator provincialis, ão 1576 et 1580.

Adolfus a Bongard, commendator, ão 1584.

Henricus ab Eltz, commendator Confluentinus, nec non in Breidbach.

Wernerus Spies de Büllesheim, commendator provincialis, occ. ão 1641.

Joannes Wernerus a Bongard, commendator domus, 1626.

Christophorus a Luzerath in Clarenbeck, occ. ão 1626—1647.

Carolus Otto a Koppenstein.

Goswinus Scheiffart de Merode, occ. ão 1650, 1660 et 1662.

Henricus de Reuschenberg, commendator provincialis, occ. ão 1662 et 1671.

Casparus Christianus, baro a Neuhoff ex Elbruch, occ. ão 1663—1677, obiitque 30. julii 1677.

Joannes Henricus a Metternich in Rodendorf, obiit 20. decembris 1678.

Joannes Wilhelmus a Metzenhausen in Linster, Obrist-Lieutenant, occ. 1679—1698.

Joannes Fridericus Mohr de Wald, 1703, obiit ão 1704. Memoriae herois consecrata fuit inscriptio, parieti sacelli Confluentini affixa, sequentis tenoris: Aeviternae memoriae

R^mo Peril^li et Excel^mo d. d. Joanni Friderico l. b. de Mohr Walt in Echternach Teutonici ordinis equiti, Confluentiae commendatori etc. Qui vita potissimum armis trita, gradatim sublimior, pedestris tandem legionis sub circulo Franconico colonellus et generalis major, in generoso assultu montis Schellenbergii ad Donawertam, e globo lethaliter saucius, dum Marti gloriose praeluxit exercitus altum luxit, quippe post dies XXII ex eo vulnere, martialis heros gloriose secessit ad astra, in sacello domus Teutonicae Donauwerdae anno MDCCIV. die XXV julii tumulatus. — hoC DebItI honorIs epItaphIVM saCratVr ora pro eo. R. i. p.

Henricus Wilhelmus a Mirbach, occ. 1706—1721.

Carolus Godofridus a Loe, commendator provincialis, occ. ão 1712, obiit 22. martii 1715.

Josephus Mauritius a Droste, commendator provincialis, occ. ão 1720, 1730, 1733 et 1752.

Fridericus Christianus a Mengersen, 1752 et 1753.

Ignatius, comes de Wurmbrand, commendator domesticus, occ. 1754—1791, obiitque 16. septembris 1791.

Ignatius Felix de Roll in Bernau, commendator provincialis, occ. 1754—1794.

Carolus Franciscus Fridericus Forstmeister in Gelnhausen, coadjutor commendatoris provincialis de Roll ão 1784, nec non ão 1786 commendatoris domestici de Wurmbrand, occ. qua commendator domesticus ão 1791, qua commendator provincialis ão 1794, nec non ão 1798.

Wenceslaus, comes de Colloredo, commendator provincialis, occ. ão 1805.

Commendatores Trevirenses.

Jacobus de Orreo, commendator provincialis, 1306.

Henricus, occ. ão 1316, 1323.

Joannes a Fels, qui commendator provincialis (Lotharingiae), occ. ão 1568.

Jacobus ab Enschringen, commendator provincialis, obiit aõ 1580.

Jacobus ab Eltz, qui et commendator provincialis.

Lotharius Braun de Schmidtburg, qui et commendator provincialis Lotharingiae, occ. aõ 1658, 1661 et 1667.

Joannes Philippus a Stein-Callenfels, occ. aõ 1752, obiit Treviris, 10. novembris 1752.

Fridericus Casimirus Boos de Waldeck, fuit, uti ejus praedecessor, commendator provincialis, occ. aõ 1763, obiitque 13. februarii 1781.

Josephus Leopoldus Sebastianus Zweyer de Ebenbach, commendator provincialis, occ. 1781—1796.

Commendatores in Lutzenburg.

Carolus Casparus a Metzenhausen, aõ 1690.

Josephus Leopoldus Sebastianus Zweyer de Ebenbach, expost commendator provincialis Lotharingiae, occ. aõ 1781.

Wilhelmus Ludovicus de Dienheim, occ. aõ 1784—1794, expost commendator in Meinsiedel. Supremum diem clausit in Valle Ehrenbreitsteiniana 12. junii 1812, aet. anno 72.

Franciscus Sigismundus Zweyer de Ebenbach, occ. 1796—1805.

Commendator in Waldbreidbach.

Clemens Augustus Maximilianus Maria, comes de Kreuth, occ. 1763—1796.

CAPUT XXXVI.

Melitensium domus Treviri.

Nec equestris Melitensium ordo Treverica exclusus sede est, verum in urbe ad portam, quam a Mosellano ponte vicino

nuncupant, receptus, suo istic instituto per submissum e militia commendatorem vivit. Hos a singulari erga D. Joannem Baptistam honore Joannitas etiam nuncupant, et Rhodii olim dicti equites fuere, quod hanc insulam cum supremo ordinis sui magistro jam olim per annos ducentos ac duodecim incolentes, adversus juratum christiani nominis hostem fortissime propugnarint. Verum denique vi et armis anno salutis 1522 ejecti, Cretam deinde, quam nunc Candiam dicunt, post Niceam, demum Syracusas in Sicilia, ac postremo Melitam, Caroli V. favore ac patrocinio admissi sunt. Quo tempore exile hoc quidem, sed natura loci munitissimum contra Turcarum vim, et insolentiam propugnaculum insederunt. Unde ductum hoc saeculo nomen, rara pugnandi felicitate et fortitudine apud exteras gentes, eximium cum virtute christianis digna tuentur, Turcis quaqua ingruant, licet exili navium apparatu, numeroque formidandi, quorum magis spoliis, quam insulanorum opibus abundant. Nam praeterquam quod arcta admodum insula sit, quae vix 30 in circuitu milliaria, in latitudine duodecim passuum millia complectatur, solo lignorum, ac frumentorum sterili, quodque supra petram vix senis assurgat pedibus, ubique sternitur, ut illa aliunde ex Sicilia petenda sint, tantumque herbis, frugibusque humilioribus et pecoris copia alatur. Quocirca ad opes viresque contra Turcam firmandas, aliunde a regionibus, domiciliisque exteris subsidia petuntur, suumque commendator quivis pro facultatum suarum mensura tributum pendit.

Caeterum trium omnes votorum observantia, hoc est castitatis, obedientiae, atque paupertatis lege certa tenentur. Neque enim illa, quae possident, nobilium fundationum bona, nisi ad arbitrium supremi magistri licet usurpare, et sicubi excessisse gravius comperti fuerint, spoliati ordinis insignibus, vel carcere vel exilio mulctantur.

Hac disciplina multas per Europam provincias occupant, et per Belgium Germaniamque inferiorem 40 facile diversarum possessionum domiciliis recepti sunt. Inter quae Treviris nostra ad pontem eisdem in praedio, temploque S. Joannis sedem indulsit, quam modo e superioris Germaniae nobilium agmine

Casparus Christianus de Rochenbach, strenuae, exercitataeque virtutis eques occupat.

Magno hi olim Treviris numero consederant pia nobilium virorum liberalitate fulti, tantumque fide, gratia, atque auctoritate apud cives valuere, ut claves illius, quae trans pontem ducit, portae domus rectori anno salutis 1318 creditas ad liberum domesticorum usum indulserint; uti literis ea de re editis compertum est, ex quibus etiam Joannem Helfensteinium commendatorem id temporis praefuisse constat.

Commendatores Trevirenses.

Joannes de Helfenstein, occ. ão 1312.

Joannes de Brunshorn, ão 1317.

Joannes, ão 1343.

Joannes, ão 1386.

Adolphus de Breidbach, occ. ão 1480.

Jacobus de Sierich, ão 1531.

Hugo Cratz a Scharfenstein, decanus major, occ. ão 1608, resignavitque 21. augusti 1613.

Henricus Mauritius de Wolframstorf, occ. ão 1658.

Casparus Christianus de Roggenbach, occ. ão 1667.

Carolus Eusebius Truchsess de Rheinfelden, occ. ão 1781—1796.

Josephus Wilhelmus de Pfürdt, occ. ão 1805.

Membrum Breysich, quod domui Trevirensi unitum, quondam fuit templariorum. Aõ 1285 occ. Cunradus, commendator templariorum in Breysich.

CAPUT XXXVII.

Canonicorum regularium nobilium monasteria.

Quos arctior vitae communis regula adstrinxit canonicos, hos ex juris, vulgique consuetudine, regulares dicimus. Late hoc olim diffusum vitae genus, plerosque canonicorum, qui hodie soluti communitate vivunt, suo instituto complectebatur, quod a D. Augustini exemplo imprimis propagatum, nunc pauciores antiquae pietatis vestigiis inhaerentes comprehendit. Sed nos vetustius illud, quod Romae a Laterano et in Italia passim multis locis susceptum, excultumque fuit, ad mores nostrorum accomodare negligimus, gnari posterius e Galliis, et Parisiis nominatim, hanc, de qua nos agimus, manasse disciplinam; meminit Volaterranus sub Gregorio VII. ad annum Christi circiter 1080 in ecclesia Belluacensi, Ivonis, postea Carnutensis famosissimi praesulis, religione atque sapientia hujus instituti morem instauratum. Aliique tota mox Gallia observant ex Lugdunensi ecclesia Arnulpho abbate et episcopo Rufo curante transfusum in alia loca. Parisiis Hugo, et Richardus, ambo Victorini, hinc mox gemelli sideris instar eminuere. Regula S. Augustini ex apostolorum moribus expressa, et triplici sponsione voti adstricta, hujus ordinis canonicos a caeteris separavit.

Porro cum tres augustinianae familiae canonicorum congregationes longe fama caeteris anteierint, S. Rufi Lugdunensis, Victorina, et Aroasiensis a Jacobo Vitriacensi plurimum laudatae, hanc Trevericam interpretor Lugdunensem, quae Paschalis II. temporibus circa annum Domini 1107 exordium sumpsit, primum Richardo auctore, et instituto peculiari aemulatam, mox superveniente Absolone, Parisiis concessisse in celeberrimae jamtum victorinae leges. Ex tribus vero domiciliis, quae majores agnovisse videntur hujus instituti, unum modo quod famam religionis suae tuetur, conati sumus illustrare. Nam

Schiffenbergium, trans Rhenum, Loganae tractu, Balduino archiepiscopo annuente, Teutonicis Marburgi in Hassia cessit. Meginensi in oppido hoc quondam vitae genus complexi, nunc vulgarem canonicorum vitam sectantur; Balduinum hi tamen cum S. Florini oppidi Confluentini canonicis conditorem agnoscunt. Quippe Balduinus ex Loneche eosdem ad viam publicam hospitalitati liberalius indulgentes, jamque plerarumque rerum indigos ad urbem Mayen, recens a se muris vallatam, traduxit, claustroque et arctiori disciplinae adstrictos, frugalius vivere inter rem lautiorem docuit, monasteriumque a Beata Virgine Maria nomen ferre voluit. Domicilium et vectigalia nonnulla S. Florini collegium attribuit, firmata donatio Henrici Paffendorfii, Cardunensis archidiaconi, testimonio, assensuque Joannis de Nassovia, S. Florini praepositi, tum decani, caeterorumque collegarum suffragio, ão 1326. Vid. etiam quae de collegiata ecclesia Meginensi scripsimus, cap. 21, pag. 250—252.

CAPUT XXXVIII.

Springiersbacensis abbatia.

Hujus origines et ornamenta magnam partem illustri collocavimus annalium loco. Abstruso nemore recedit a Mosellae conspectu, irriguis agris et compascuis laeta; et etymon arguit a rivo saliente venisse loco nomen, unde non rarae inundationes mansioni superfusae. Conditores, Benigna locuples foemina, Bruno et Adelbero, Treverici praesules, Wilhelmus, palatinus comes, qui sine haerede moriens, clientelaria Conrado regi ex caeteris plurima huic monasterio cessit. Anno 1110 Bruno archiepiscopus, animae suae remedio, cleri totius consensu, in plena Treviris synodo, Benignae fundos a decimis absolvit. Aõ 1119 Calixtus II. clericis his canonicam vitam secundum Augustini regulam professis, tutelam addicit, et

privilegio concesso patrocinium eorum suscipit. Similiter Honorius II. ão 1128 institutum approbat, et praecipit, ne quis proprium quid possideat, ne se loco moveat injussus, aliaque id genus. Hinc Wilhelmus palatinus munificentiam suam explicare coepit, Contelium nemus cum agris et pascuis, inde Crovia, Rilaque, mox in plurimis Mosellae vicis fundos et vineta donans sub annum Christi 1136. At Adelbero Wilhelmi morte recuperatis, universam paroeciam montis, quem Mosella flumen in Hammone circumluit, monasterio attribuit, edito in colle Cellarum oppidi matrice constituta, cui Pondericham, Keimetam, Cellam, Merlam, Cureiam, ceu filias subjacere voluit. Ipse vero, ut loco traditum est, monasterii basilicam ão 1136 S. Dei Genitricis honori dedicavit. Brunonis ex autographo literas adjiciemus.

De origine et fundatione monasterii, ejusque subjectione literae archiepiscopales.

»In nomine sancte et individue Trinitatis Bruno Dei »gratia Treuirensis ecclesie archiepiscopus. Omnibus tam fu»turis quam modo uiuentibus in Christo notum esse cupimus »qualiter quedam bone memorie femina Benigna nomine, bonis »parentibus orta, mortuo cui nupserat Rukero marito suo, ad »ecclesie limina confugere, Deoque uiduitatem suam dicare »cum omnibus que pro anima sua dare posset constituit. »Itaque bonum a Deo placitum cogitans, locum solitarium »proposito suo aptum eligere, cellam in episcopatu nostro in »silva Contel in loco qui vocatur Thermunt in ea parte silve »que sua erat, licentia & permissione Sigefridi palatini comitis »ad honorem domini Salvatoris construxit, in qua clericos »canonicos seculo abrenuntiantes, quorum pars Deus est, se»cundum instituta regule a beato Augustino conscripte, locari »voluit, quorum precepto et consilio reliquum vite sue duceret »& admissa corrigeret. Cum igitur rogatu ipsius ad confec»tionem ejusdem celle uenissemus, destinauit eam cum omnibus »que illuc contulit, in presentia palatini comitis & omnium

»qui aderant, ecclesie beati Petri Treueris contradere et sub- »jectam facere. Quod ita factum est. Nam cum nos postea »in uilla Altereia pro nostris negotiis una cum nostris fidelibus »uidelicet ipso palatino comite & aliis multis convenissemus, »tradidit eandem cellam beato Petro per manum ejusdem domini »sui aduocati uidelicet ecclesie nostre majoris, quem etiam celle »aduocatum a nobis constitui rogauit, in presentia Richardi fra- »tris sui filiorumque suorum & filiarum maritorum, nullo con- »tradicente, nullo prohibente. Vt autem traditio ejus secundum »leges seculares & ecclesiasticas rata semper esset & inconuulsa, »Treveris eam in generali synodo nostra tercio confirmauit, »ubi rursum tradidit eandem cellam ad altare beati Petri per »manum sepe dicti palatini comitis Sigefridi, astantibus & asti- »pulantibus Richardo fratre suo, filiis & filiarum maritis, de- »terminata donationi sue conditione uidelicet, ut in eo loco »nullam habeat corepiscopus aliquis uel decanus tractandi »negotii potestatem. Sed siquid forte quod absit, ortum fuerit, »quod a fratribus deffiniri non possit, ad episcopum referatur. »Ipsi autem inter se abbatem libere eligant, et archiepiscopo »Treuirensi, si in gratia & communione Romani pontificis fuerit, »consecrandum representent. Nullus eis ab episcopo nisi juxta »electionem ipsorum aduocatus constituatur. Nullus ex here- »ditate aduocatiam eius loci querat, nisi fratrum adsit peticio. »Proinde hanc eius traditionem tanta deuotione factam & »corroboratam, banno etiam nostro confirmatam, siquis quod »tamen minime credimus, infringere, infirmare, immutare, ui »uel arte, aut aliquo malo ingenio uoluerit, fiat ei sicut Jude »traditori, sicut Dathan et Abyron, dispereat de terra memoria »eius, cum judicatur exeat condempnatus, comedat eum uermis »qui non moritur, urat eum ignis qui non extinguitur. Acta »sunt hec Treueris anno dominice incarnationis millesimo cen- »tesimo VII. indictione XV. regnante Heinrico Romanorum »imperatore V^{to} anno regni eius II° episcopatus autem nostri »VI^{to} in generali synodo, testibus his. Ramberto maioris »ecclesie nostre preposito. Godefrido corepiscopo & preposito. »Brunone archidiacono. Item Godefrido corepiscopo & preposito.

»Theoderico corepiscopo. Capellanis, Marcuardo; Burchardo. »Widegone. Sigebodone. Laicis liberis. Sigefrido palatino comite »per cuius manum hec facta sunt. Heinrico comite de Lemburch. »Wilelmo comite de Lucelenburch. Theoderico de Ara. Adalberto »de Dille. Emechone de Smitheburch. Ludowico de Arinstein. »Gerlaco de Rumeresdorp. Adelberone de Dune. Hermanno de »Uirneburch. Cunone & Adelberone de Mathelberch. Hessone de »Rutiche. Wirico de Walecurt. Ministerialibus nostris Ludouuico. »Gundolfo. Alwico. Rudolfo. Item Ludowico. Friderico. Engel»berto. Ministerialibus autem palatini comitis. Richardo fratre »eiusdem supramemorate mulieris. Godefrido filio ipsius. filia»rum maritis. Dudechino. Theoderico. Wernero. Hermanno. »Giselberto. Wecelino. Richolfo. Meginhardo. Tithmaro. Balde»wino. Cunrado. Heinrico. Item Wernero & aliis quam plurimis »laicis & clericis astantibus & constipulantibus.«

Nunc ut loci ejusdem antistites, quorum vel ex chartis vetustis, vel ex recenti nobis recordatione memoria suppetit, paucis lineamentis repraesentemus, adlaborandum est.

1. Richardus, Benignae filius, primus abbas, vita innocenter, sancteque traducta, clarissimus, cujus non in hoc uno canonicorum excitando collegio, sed virginum aliquot coetibus et congregatione quadam nova condenda, lumen aliquod divinae sapientiae, ardorque religionis singularis exsplenduit. Diu ille praeclaris operibus superstes, multorum Romae pontificum et apud Treveros omnium ordinum gratiam meruit. Diario veteri principis ecclesiae mentio ipsius ad XI. kalend. novembris: *Obiit sanctae memoriae Richardus abbas.* Eugenii III. pontificis aetatem attigit, a quo Christi anno 1145 ordinis sui canonici et omnium utriusque sexus monasteriorum, quae tunc ab se instituta excolebat, confirmationem obtinuit, pervenitque ad annum 1158, quando ab archiepiscopo Hillino magnifice sepultus, apud suos quievit. — Sed et Wilhelmus palatinus comes Mosellanus benefactor, pie moriens in Springiersbacensi basilica aeterna memoria ante primarium altare tumulatus est, quem obiisse ão 1143, aut non multo secus, ex Conradi regis scriptura quis conjiciat, qui in diplomate, quod ão 1144 dedit,

Wilhelmi defuncti, et haereditatis ad regnum devolutae meminit, unaque loca exprimit, ubi vineas, domos vel agros monasterio reliquerit, ut in Baingnivl (Bengel), Crovia, Reila, Trauendrebach, Enkircha, Borga, Pondreka, Speia, Biscouesalluen, apud Stam Aldegundem, in Bremba, Nogera, Clothena, Withelika &c. quae pleraque in vulgus adhuc usurpata vernaculo sono nota sunt.

2. Richardus II. junior, ex sorore nepos, in locum deinde surrogatus, ão 1158, pie, feliciterque per duodecennium res monasterii administrasse legitur.

3. Godefridus, (1170) Richardi nepos, patruum religionis, et honoris vestigio secutus. Aviam ei Benignam fuisse, de monasterio praeclare meritam, Fridericus I. imperator eo diplomate testatur, quo majorum dona rata esse jubet ão 1171.

4. Absolon, vir divinarum rerum scientia, et integritate vitae juxta spectatus. Qua vero declamandi, hortandique facultate praestiterit, sermones ejus in lucem dati facile testantur. Celebrat viri sanctimoniam Caesarius, qui canonicam vitam egisse Parisiis meminit apud S. Victorem, accendisse vero de isto igne hic novum lumen, et fluentes canonicorum mores severius alligasse, sublato quoque carnis usu et adipati cibi; id, quod Jacobus Vitriacus in Occidentali historia solenne victorinae congregationi fuisse scribit, ut carnes in refectorio non manducaret. Legimus Henrici VI. tabulas, Boppardiae ão 1193 datas, quibus Absoloni abbati Conradi, et aliorum caesarum privilegia confirmat, sequentis tenoris:

»In nomine sancte et individue Trinitatis Heinricus diuina »fauente clementia Romanorum imperator augustus. Imperatorie maiestatis a Deo nobis creditum est officium, ut quod »suum est unicuique in jure suo conseruemus, et quecunque »predecessores nostri diui reges atque imperatores ecclesiis »contulerunt, et collata confirmaverunt, in robur perpetuitatis »renouemus, et auctoritate nostra confirmemus. Eapropter »imperatorie pietatis animum ad ecclesiam de Sprenkirsbach »clementer aduertentes, priuilegium quod predecessor noster »felicis memorie rex Cunradus eidem ecclesie contulit, refor-

»mamus, et auctoritate nostra sibi confirmamus. Quod ut »euidentius innotescat, diuine retributionis intuitu, et affec»tuoso venerabilis eiusdem loci abbatis Absalonis interuentu »seriatim subscribendum censuimus, cuius forma hec est et »continentia. Justicie diffinitio est constantem ac perpetuam »habere uoluntatem tribuendi unicuique quod sibi competit, »quam cum omne hominum genus colere semper et exercere »oporteat: precipue tamen regie dignitati conuenit talem »animi habitum immutabiliter induere, et eam humane socie»tatis portionem singulari protectionis gratia defensare, que »spreta mundi huius proprietaria possessione, elegit sub re»gulari instituto communem uitam ducendo terram uiuentium »possidere. Proinde fidelium nostrorum tam future quam »presentis etatis industrie notum esse uolumus, quod ueniens »ad nos Richardus venerabilis abbas monasterii Sprenkirsbach »dicti, quod monasterium mater eiusdem abbatis Benigna »nomine, et presentis abbatis Godefridi auia, in propria here»ditatis sue possessione hedificare cepit, et ad Treuirensem »episcopatum ex consensu Sigifridi palatini comitis, cuius mini»sterialis erat, sine ulla census uel cuiuslibet generis pensione »contulit, a nostra serenitate interuentu domini Wibaldi venera»bilis Stabulensis ecclesie abbatis obtinuit, quatinus idem »monasterium cum suis pertinentiis sub nostre et omnium »successorum nostrorum regum videlicet seu imperatorum »ditione ac speciali protectione accipere, et collatas ibidem »possessiones regie maiestatis auctoritate confirmare, atque »auctentica precepti nostri pagina communire dignaremur. »Quorum piam ac religiosam petitionem clementer admittentes, »eundem locum Sprenkirsbach cum suo ambitu acceptis limi»tibus sub regie sublimitatis manu et defensione in omne »tempus stabilimus, ita scilicet ut nullus archiepiscopus, nullus »episcopus, nullus dux, aut comes, seu vicecomes, nulla eccle»siastice secularisue dignitatis persona eundem locum hospita»tionibus uel exactionibus, sive aliquo prorsus incommodo in»quietare uel molestare presumat, sed pace perpetua et com»moda libertate ad serviendum Deo pertinenter eiusdem loci

»habitatores fruantur. Quod eo a nobis etiam preter regni »excellentiam firmioris rationis constantia statuitur, quod de»functo bone memorie Willelmo palatino comite omnia eius »allodia iustis modis in regni proprietatem iure deuenerunt. »Eam igitur partem nemoris Contel prefato monasterio adia»centis, quam predictus Willelmus palatinus comes ibidem »contulit. id est in longitudine a fonte Eluerichisburnen usque »ad agros supra nominate ecclesie pertingentem in latitudine »autem ex tranuerso a riuulo Sprenkirsbach usque ad riuulum »Vilirisbach cum siluis, agris, et omnibus utilitatibus acquisitis »uel acquirendis, memorate ecclesie confirmamus. Preterea »fundos tres quos sepedictus palatinus manuscripto suo ab »omni placito, seu servitio et exactione aduocatorum uel uillici, »aut publicorum officialium emancipauit, scilicet curtem unam »in uilla Crouia, cum capella que ibidem hedificata est, et »alias duas in uilla Rile, unam iuxta ecclesiam, alteram in »extremo uille sitam, sub plene libertatis, ut prescriptum est, »immunitate, ab omnium hominum dominio et inquietatione »absolvimus. Insuper theloneum quod in castello Cochema »eadem constitutione prefatis fratribus remissum est, eis per»petua donatione remittimus, ut naues iam sepedicto monasterio »pertinentes, et res, frumentum uel uictualia uehentes, nullum »in descensu uel in ascensu fluminis seu ripe, theloneum, aut »publicam seu priuatam pensionem persolvant. Porro uniuersa »que eidem uenerabili loco hactenus uotis fidelium contradita, »uel deinceps iustis modis tradenda sunt, pari defensionis et »patrocinii privilegio communimus. Agros videlicet quos pre»dictus palatinus in mortis sue articulo pro anime sue remedio »largitus est, in uilla Baingnivl dicta, in descensu usque ad »agros ecclesie, vineas et agros in uilla Crouia, vineas in »Respa, in Trauendrebach curtem unam, agros, uineas, prata, »in Enkircha uineas, in Borga curtem, agros, uineas, et prata, »in solitudine super Mosellam in loco qui dicitur Molun, agros, »vineas, cum exitibus et ingressibus suis, in Rila vineas et »agros, in Pondreka curtem unam, vineas et agros, in Bridal, »in Keimetam, uineas, in Speia domum et uineas, in Biscoues-

»aluen uineas. Apud Stam Aldegundem domum et uineas. »In Bremba, in Nogera, uineas. In Clothena domum, agros et »uineas. In Vlkebach domum cum uineis, agris, pratis. In »Withelika domum, agros, prata et uineas. In Nouigento »uineas. In Alflo curtem, agros, molendina duo, siluas, prata. »In Engramenrode curtem, agros, prata, molendinum unum et »siluam. In Winkela curtem, agros et prata, molendinum unum »et siluam. In loco Scheida curtem cum agris, pratis. In »loco Hussa curtem cum agris et pratis. In Dochwilre cur»tem, agros et prata. In Hunresdorf mansos persoluentes tre»decim solidos Coloniensium denariorum, et molendinum unum. »In Rora curtem, agros et prata. In Lotzebura curtem, agros »et prata. In loco Summunt curtem et agros. In loco Wervvis »domum, agros et prata. In Othinga, que ibidem possidere »uidentur. Ad hec ut ecclesia in Keimetam a pie recordatio»nis Adelberone archiepiscopo Treuirensi contradita predicte »ecclesie, robur firmum et inconcussum obtineat, imperialis »nostre sanctionis pagina, eidem traditioni auctoritatem ad»hibemus. Preter hec etiam imperiali auctoritate confir»mamus eidem ecclesie, in Cunisberch curtem unam et »molendinum unum, in Steguenach curtem unam, in Sade»vvilre curtem unam, in Wolmerode et Waguenhusen curtem »unam, in Drucesberch curtem unam, in Prenke curtem unam, »in Struna et Scheicevvilre agros, prata, et mancipia, in »Mulechen curtem unam et molendinum unum, in Hunteim »census quos ibi possidere noscuntur. Hec omnia que supra »scripta sunt, et cuncta que postmodum legitimis rationibus »fratres sepedicti monasterii Sprenkirsbach acquirere quarum»cunque personarum donatione cum iuris suffragio poterunt, »in nostrum videlicet regum et imperatorum patrocinium in »omne tempus accipimus, nec liceat alicuius conditionis persone »in uillis uel locis ubi possessiones habuerint, introitus uel »exitus eis interdicere, non aquam uel siluam communem, uel »pascua, siue publicum rerum usum ullatenus prohibere, non »transitum, nec pontaticum ab ipsis uel ab ipsorum rebus »exigere, sed sub imperatorie tuitionis beneficio quietam eis

»uitam cum omni libertatis prerogatiua liceat agere. Et ut »hec omnia deinceps tempore rata et inconcussa permaneant, »hanc cartam inde conscriptam sygilli nostri impressione in- »signiri iussimus, et testes qui presentes aderant, subternotari »fecimus, quorum nomina hec sunt. Johannes Treuerensis archi- »episcopus. Bertrannus Metensis episcopus. Henricus Worma- »ciensis episcopus. Cunradus decanus Aquensis. Willelmus »decanus Treuerensis. Conradus comes palatinus de Reno. »Albertus comes de Dasborch. Gerardus comes de Lon. »Emmecho comes de Liningue. Theodericus comes de Hostade. »Vlricus comes de Nurberch. Gerardus comes de Are. Robertus »de Durne. Cuno de Mincemberch. Marchuardus dapifer. Sifridus »marescalcus. Hermanus de Numage. Henricus de Dune. »Fridericus de Merla. Fulchnandus de Leia. Garsirius et »Nicholaus de Arraz. Rodulphus de Ponte. Et alii quamplures. »*Signum Domini Heinrici sexti Romanorum imperatoris* »*inuictissimi. Acta sunt hec anno dominice incarnationis* »*MCXCIII°. indictione XI. regnante domino Henrico sexto* »*Romanorum imperatore gloriosissimo. Anno regni eius* »*XXIIII. imperii uero III°. Datum apud Bopardiam IIII.* »*kl. Maii.*«

Caeterum Absolon humili conditus tegula ad dextram extremi templi quiescit in sacello S. Michaelis.

5. Warnerus, Wernherus, ut ex Cardonensis ecclesiae monumentis colligimus; hic in sequenti saeculo ad annum Christi 1210 abbas regimen obtinuit (erroneum id, cum Warnerus abbas jam aõ 1196 in literis visitur), et synodo Treviris a Joanne archiepiscopo tunc celebratae, interfuit.

6. Godefridus II.

7. Godefridus III.

8. Henricus, cujus item ex Cardonensis ecclesiae archivo memoriam vindicavimus; nam aõ 1272 ipse, totusque conventus ordinis S. Augustini curtes in Pomeren et Predin Henrico de Bolandia, Cardonensi archidiacono, vendidit.

9. Nicolaus, quem sepulchrali illustrem titulo, e tenebris extraximus: *anno Domini millesimo trecentesimo septimo obiit*

Nicolaus pie memorie abbas Sprinkirsbacensis septimus non. kalend. octobris. qui ecclesiam suam rexit laudabiliter annis multis.

10. Richardus II. ut ex vitreis templi specularibus conjecturam duco, nisi quis ea ad primum Richardum referri malit: in his legitur:

> Abbas incipiens cancellum posco Richardus
> Christe tui sitiens: non ad bona sis mihi tardus.

11. Henricus, occ. aõ 1320.

12. Eustachius opus fenestrarum contescit, id quod iisdem deprehendetur vestigiis:

> Anno ter CMXX. post hos quoque septem,
> Abbas perficiens hunc Eustachius Deus ad te
> Confugiens .... sis mihi posco pius.

et altero disticho:

> Istum cancellum complentem Christus in aevum
> Supplico me famulum salvet ut Eustachium.

Eustachius occurritque aõ 1329.

13. Matthaeus inde successit nec ne in ambiguo est, lapidis attriti vestigia abbatis, incertum quo nomine, obitus annum signant 1352, Matthaeum vero, quem in scriptis reperio de annis 1358 et 1364, humana reliquisse aõ 1374, infra vigiliam pentecostes, ex epigrapha sepulchri pro explorato traditur.

14. Paulus de Loinstein, ipsis feriis natalitiis BB. apostolorum Petri et Pauli vita migravit anno 1396.

15. Theodoricus a Wittlich, usque ad quartum decimum saeculum aetatem protulit, vigilia paschae 1400 defunctus.

16. Simondus vel Sigemundus, obiit in vigilia Ascensionis Domini, aõ 1434.

17. Philippus.

18. Petrus, aõ 1462, V. kalend. julii vivere desiit.

19. Conradus de Metzenhausen, Rebdorfo accersitus, quod coenobium apud Eistadium, arci episcopali proximum, a Beatrice, Friderici I. imperatoris conjuge, fundatum, inde

collapsa disciplina solutum, anno Domini 1458 a Joanne de Quercu (ab Eich), Eistadiano episcopo, correctum et priscis legibus restitutum fuerat, plebeis etiam et non tantum, ut hic, nobilibus patefacto loco. Interim Conradus commendatus Joanni archiepiscopo, eidem majorum exemplo addixit obsequium. Juravit 5. augusti 1462, vixitque usque ad annum 1493, die 20. junii mortalia deserens.

20. Joannes Print de Horcheim, cognomento Brole, juravit 8. julii 1493, atque decessoris imitatione magna priscae frugalitatis excitandae cura familiam moderatus est. Morienti 20. februarii 1529 more Trev. surrogatus est,

21. Daniel Schilling a Lahnstein, electus 25. februarii 1529 more Trev., qui triginta amplius annis praefectura functus, excessit vita 31. maji 1560.

22. Casparus a Schutzbar, dictus Milchling, oeconomia multis annis feliciter administrata, 4. junii 1560 abbas electus est. Inde senecta et labore fractus, abdicavit 14. aprilis 1578; vita functus 9. aprilis 1585.

23. Petrus a Scheidt cognomento Weschpenning, in ejus locum communi suffragatione capitularium successit 14. aprilis 1578, civili modestia, prudentiaque spectatus, aestimatusque praesul, qui ad annum salutis 1593 clavum cum vita deposuit. Obiit 9. januarii 1592 m. T.

24. Joannes Fridericus Auwach a Wittlich, uno comitiorum sensu cooptatus est 20. januarii 1593. Qui mitrae et infularum honorem, quo hactenus sola pedi usurpatione contenti majores caruerant, Romam ipse profectus, impetravit a Paulo V. et Lothario archiepiscopo probante, anno 1605 S. Nicolai feriis assumpsit, caeremoniam ornantibus Georgio, suffraganeo Trevirensi, Lacensi et Himmerodio abbatibus, qua de re chronodistichon hoc nobis lectum:

QVae DeDIt aVwaChIo soLennes InfVLa honores,
NICoLeI InVICti LVX erat ILLa patrIs.

Denique officio atque honoribus cum laude perfunctus, in pace decessit anno salutis 1621, die 18. januarii.

25. Joannes Everhardus a Deusternach subinde abbatiali mitra, usitato suffragiorum jure potitus, ex vetustis monasteriorum ruderibus ad praesentem imaginem insigni aedificio excitavit, vitaque inter has aliasque monasticae disciplinae curas ad Domini annum 1638, diem 20. decembris propagavit. Obiit 3. januarii 1639.

26. Hermannus a Cortenbach ad idem laboris, honorisque officium substitutus, cum honore onus conjunctum esse, sensit. Nam diversa bellorum tempestate sub Suecico, Gallicoque armorum et dominationis infestae jugo ultro citroque jactatus, diversisque tandem cladibus enervatus, vita ac munere defunctus, obiit 16. augusti 1657.

27. Franciscus Wilhelmus a Gulicher ex Eylen, consuetis suorum comitiis sustinendae demum huic dignitati aptissimus visus est, quem ad munus diu, digneque administrandum Deus sospitet. —. Franciscus Wilhelmus electus fuit 31. augusti 1657, juravit 7. septembris 1657.

28. Theodorus a Roest, condictus Entzenbroch, juravit 14. aprilis 1695, obiit 9. januarii 1711.

29. Joannes Balduinus de Berg a Durffendahl, juravit 5. martii 1711, obiitque ão 1728.

30. Joannes Henricus de Wassenberg, electus 14. junii 1728, juravit 13. julii 1728; occ. etiam ão 1742.

31. Carolus Casparus ab Holtrop, juravit 9. novembris 1758, obiitque ão 1789, ultimus abbas. Nam ão 1791 abbatia mutata fuit in ecclesiam collegiatam, solis nobilibus destinatam, cujus unicus decanus occ. ão 1792 et 1794,

32. Wilhelmus Adolphus a Dunkel.

Ecclesia nobilis hujus asceterii Lothario imperatore regnante, a Treverorum antistite supremo Adelberone, auctoritate legati sedis apostolicae freto, consecrata ritu solenni est, ac sanctissimae Trinitatis, piissimaeque Dei Genitricis honori dicata, aliorum quoque Sanctorum patrocinio addicta. Odeum hic comprimis venerandum S. Aprunculi, Trevirorum pontificis, sacras exuvias post aram summam complectitur. Cujus praecipua corporis portio Adelberonis huc beneficio, tempore dedi-

cationis, translata est. Caeterum plures diversorum Sanctorum reliquias, ut quasdam de SS. Petro, Jacobo et Matthia apostolis, dignamque memoratu S. Crucis partem, ne multa recenseam, hic locus religiose custodit. Sunt et virginum monasteria quatuor, huic olim congregationi addicta, sed quorum duo temporum injuria intercidere; paucis tamen vestigia nobis singulorum lustranda sunt.

Ser^mi Archiepiscopi et Electoris Clementis Wenceslai ordinatio transmutationem abbatiae Springirsbacensis in ecclesiam collegiatam equestrem stabiliens.

A visitatione caenobiorum abbatialium, quae in terris nostris electoralibus Deo famulantur, ad vos conversi, apostolici nostri gregis devota in Christo portio, dum, quae sit vestra conversatio in domo Dei per delegatum archiepiscopalem inquirebamus, vestra etiam vota melioris disciplinae et consilia benigne audientes, non sine gravi dolore intelleximus, esse inter vos, qui, quum ipsi liberrima voluntate elegerant normam sanctitatis, ac regulam, ab ea non uno in capite deflexerunt. Neque tamen spem dimisimus, et hos, si lapidem offensionis sustulissemus, e divortio reversuros in viam patrum suorum, et caeteros quoque eandem viam alacrius ituros, si de instituto regulae ad eum modum, qui in electoratu nostro per nostram indulgentiam nunc tenet, vobis quoque aliquid per clementiam remisserimus.

Quam ob rem ut non minus aberrantes a vocatione, qua vocati sunt, quam religioso in stadio currentes paterno adfectu complectimur, sic hanc nostram ordinationem, quam potestate archiepiscopali ordinaria sancimus, promto obsequii studio accipite.

Ac primum cum disciplinae monasticae vigor apud vos inde potissimum languescere atque enervari coeperit, quod, quem vobis priorem regularis olim abbas dederat, et nostra auctoritas confirmaverat, quidam pervicaci ingenio aspernarentur, et ceu illegitimum caput in regia curia, cum gravi

dispendio rei oeconomicae et contemtu auctoritatis archiepiscopalis, loco movere contenderent: hinc ab eodem capite et reducenda disciplina est, et labenti rei, ne penitus diffluat, succurrendum.

Itaque

1.

Ad legem pacti, quam cum serenissimo principe, duce Bipontino, vestro nunc territoriali domino iniistis, post decessionem abbatis commendatarii, regularis abbatis eligendi jus vobis esto, sic, ut ex tribus electis et serenissimo duci praesentatis candidatis ipse, quem velit, in abbatem denominet.

Huic autem electioni vestrae commissarius archiepiscopalis praesideat, adsidente commissario ducali, si quem princeps ad observandum jus suum in temporalia ad eam electionem delegare voluerit. Denominatus a principe in abbatem nobis pro impertienda confirmatione et benedictione secundum canonica instituta offeratur.

2.

Quod vero inter praedictum serenissimum ducem, vosque porro convenerat, ut interim, dum abbas commendatarius in vivis sit, *coadjutor* eligeretur, istud quidem NB. et idem serenissimus dux, rebus vestris abundantius prospecturi, communicatis consiliis sic immutandum putavimus, ut in locum ejus, qui hactenus vobis prior datus erat, quique huic officio pro bono pacis liberrime renuntiavit, *prior* itidem eligeretur, secundum illam scilicet normam, quae in electionibus abbatum placuit, ut praesidente commissario archiepiscopali, et eo, quem territoriali domino huc quoque ablegare integrum est, adsidente, tres a vobis electi candidati eidem serenissimo duci praesententur, ex iisque unus, quem is proferre maluerit, nobis ad confirmandum et installandum offeratur. Volumus autem, omnibus capitularibus, nullo excepto, priori quoque, tametsi ab hoc officio, provido scilicet consilio, ne lapis esset offensionis, et nostra concomitante voluntate abierit, salvam esse vocem non solum activam, sed etiam passivam. Veruntamen quod de priore eligendo hic ordinatum est, *temporarium* solum et eatenus

solum observandum est, quamdiu regulari abbate carendum vobis erit. Deinceps enim non tres a vobis, sed unus definite eligetur, per *canonicam,* ut vocant, electionem, quemadmodum id pro ceteris quoque abbatiis nostri archiepiscopatus in ordinatis sancivimus §. 119, praesidentia, adsidentia, confirmatione et installatione, ut supro, salvis.

3.

Capite constituto ad abusus tollendos, qui in Dei servitio, et conversione morum, quae finis est monastici instituti, apud vos invaluerunt, adfectu paterno convertimur, dilecti filii, nihilque optamus intensius, quam, ut haec praecepta salutis penitus ad animos vestros descendant.

Sequuntur ex ordinatis abbatialibus §. 4.—11. inclusive.

Humaniores vestrae de 7. aprilis nuperi varia movent dubia circa saecularisationem praenobilis abbatiae Springiersbachensis, quae ex ordine, et punctatim hisce solvere conabor.

Primo. Libellus supplex nomine serenissimi ex foliis, quibus titulus est: *Expositio causae,* conficiendus, et sanctissimo patri exhibendus est; et ut huic majus addatur pondus, ad votum vestrum, literae serenissimi nostri adjiciuntur, in quibus erectio abbatiae in collegiatam *equestrem* una cum saecularisatione religiosorum seu liberatione eorundem a votis humillime petitur, ita, ut hi non ad alia monasteria transferantur. Sed ii ipsi simul sumpti deinceps corpus novi capituli erigendi efficiant: et hinc serenissimus modernos, nempe priorem (abbate jam ante annum vita functo) custodem, et cantorem in dignitatibus suis confirmatos vult, ita tamen, ut electio eorundem imposterum a capitulo dependeat; nihilominus dignitatis vestrae maturiori judicio relinquitur, expostulandi, ut, si abs re fore judicet, hoc punctum arbitrio serenitatis nostrae committatur.

Ad *primum,* quae ex synopsi statutorum eruuntur, respondeo, a concipiente in supposito solummodo petendae confirmationis, positum fuisse: *authoritate episcopali cum scitu, et approbatione sedis apostolicae,* cum vero serenissimus noster totam rem voluntati sanctissimi patris subjiciat, illud

in descriptione statutorum expungendum et sic corrigendum erit, ut loco exordii ibidem dicentis, quod archiepiscopus authoritate archiepiscopali, cum scitu et approbatione summae sedis transformaverit abbatiam Springirsbacensem in saecularem equestrem, ponatur, quod archiepiscopus hanc transformationem a sancta sede humillime petierit, et sua sanctitas precibus ejusdem annuens ex motivis canonicis eandem transformationem clementissime decreverit, et ordinaverit. Post haec autem manere poterit, quod archiepiscopus novo capitulo sequentia statuta praescripserit, quia omnia statuta in collegiatis Trevirensibus ab archiepiscopis semper praescripta fuerunt.

Secundo. Alternativa respectu duorum canonicorum in servitiis archiepiscopi vel ducis Bipontini non particulare quoddam privilegium ducis contra canones innuitur; et hinc juxta stilum curiae Romanae simpliciter peti potest, ut duo canonici in servitiis archiepiscopi ad ejusdem dispensationem habeantur pro residentibus.

Tertio. Nominationem praebendarum archiepiscopi Trevirensis, et ducis Bipontini tali pacto alternativam, ut juxta casum vacaturae alternis vicibus primo archiepiscopus, dein dux nominare debeat, minime repugnare judico concordatis Germaniae, eo quod haec non beneficia noviter erigenda, sed tunc temporis solummodo erecta afficiant: et hanc quidem eisdem qua fundatoribus adeoque titulo juris patronatus ipsa aequitas adjudicat, ut dignitas vestra bene animadvertit, et ex publica charta Brunonis archiepiscopi Trevirensis de ão 1107, et Wilhelmi comitis palatini de ão 1136 oculo liquidius constat, quod archiepiscopi Trevirenses, et comites palatini per donationem plurimae partis bonorum, pro fundatoribus hujus abbatiae rite haberi possint.

Quarto. Cum electio abbatis in Springiersbach non a sede apostolica, sed ab archiepiscopo confirmata fuerit, de decani confirmatione nulla moveri poterit quaestio fundata, cominus, quod nemo decanorum in nostra dioecesi, etiam in illis capitulis, ubi praepositura locum non habet, uti ad s. Florinum Confluentiae; in Palatino ad B. M. V., Kilburgi ad

B. M. V., Prumiae &c. confirmari soleat a summo pontifice, sed a solis archiepiscopis Trevirensibus.

Transmissio status redituum non videtur necessaria, cum sufficientiam eorundem pro erigendo novo capitulo authoritas archiepiscopi per timoratos commissarios rigidissime inquirentis et illam attestantis caveat; et maximum apud sanctam sedem habere debeat pondus ad haec: cum status specificus, et exactus ex pluribus voluminibus in lingua vernacula exaratis consistat, non tam transmissione, quam translatione ejusdem in linguam latinam, descriptione, et legali vidimatione dicto monasterio graves causarentur sumptus, totaque res in magnum monasterii praejudicium quoad oeconomiam suspenderetur et protraheretur. Interim tamen pro casu necessitatis et pro privata notitia adjicitur status summarius omnium redituum demptis oneribus, uti et distributionis eorundem. Relationes commissariorum concernebant solummodo praefatam specificationem bonorum cum suis justificationibus, et continebant momenta canonica pro transmutatione abbatiae praenobilis in ecclesiam collegiatam equestrem militantia; quae etiam in foliis, quibus titulus est, *expositio causae,* ad amussim adducuntur. — Sublatis jam, ut reor, omnibus dubiis et difficultatibus dignitatem vestram enixe, ac instanter rogo; ut omnem impendat operam; quatenus negotium isthoc religioni aeque ac statui adeo proficuum ex voto serenissimi succedat, et sine ulla tergiversatione, moraque ad felicem perducatur exitum.

Canonici capitulares ão 1794: Wilhelmus Adolphus a Dunkel, decanus. Maximilianus a Dunkel, custos. Casparus Conradus ab Hall, cantor. Carolus Josephus a Breidenbach, cellerarius. Joannes Wilhelmus Maria Josephus Joannes Nepomucenus a Brakel in Breitenau. Wilhelmus a Syberg. Carolus a Reichlin. Michael Josephus a Pidoll.

CAPUT XXXIX.

NOBILIUM VIRGINUM MONASTERIA SUB DISCIPLINA D. AUGUSTINI, SPRINGIERSBACENSIBUS PLERAQUE SUBJECTA.

S. Mariae juxta Andernacum, vulgo S. Thomae.

Perantiqua hujus parthenonis, siqua annalibus hujus monasterii fides, ad Modoaldi Trevirorum archiepiscopi, et Dagoberti regis aetatem origo sese porrigit, ac primis hujus archidioecesis virginum asceteriis inserenda est. Siquidem Milone anno Christi 719 Treverici jam pedi usurpatore, hoc monasterium virginibus, opibusque florens, avidum hominis animum cupiditate tantarum possessionum fodicavit, qua victus denique parthenone dissipato, episcopali bona mensae vendicavit. Cui deinde per tria facile adhaerere saecula, donec Popponis archiepiscopi indulgentia, ad Radbodum, consanguineum, ejusque demum filium Lupoldum, non iniquae mentis virum, devoluta sunt. Evenit enim sub annum Christi 1129, ut cum Richardo, Springiersbacensium abbate, Meginherus Trevirorum archiepiscopus, dioecesin oberrans, hunc forte in locum incideret, ab eoque monasterii in solitudinem versi causas, originemque disceret, ac postquam non sine animi dolentis vulnere rem totam accepisset, Richardo loci instaurandi provinciam demandavit. Ipse vero curam Lupoldi ad restitutionem inducendi sibi sumpsit, adeo quidem secundo eventu, ut hic explorato rerum statu, ultro, lubensque bonis ad se delatis cederet, propriae etiam munificentiae liberalitate augeret. Illustri igitur viro hoc, ac Richardo conspirantibus, novum brevi monasterium cum aede sacra ex priscis ruderibus in non contemnendum decus revocata, nobilium aliquot virginum sacro contubernio aptata sunt. Quibus religiosioris jamtum vitae consectatrix Taxwinda, Richardi soror, magistra praefecta est,

cui abbas alterum ex sua disciplina coenobiarcham, prioris titulo, virum probatae virtutis, ad spirituale magisterium inprimis, tum vero etiam temporalium quandam bonorum curam addidit, quem Conradum Isenbertum dixere, egregia cum vivum, tum morientem virtute spectatum. Sepulchralis illius lapis in sacello S. Michaëlis ibidem his versibus inscribitur:

Qui mare, quique solum clarus virtutibus ornat,
Conditus hoc tumulo, Isenberto nobilis ortu,
Ordine divi Augustini, qui laude perenni
Exornat sese et gestis praestantibus orbem
Ac veluti speculum nitido splendore coruscans
Cernitur ingenti fulgere in lumine lumen
Angelus aeternae cohonestans gaudia vitae
Miraclis complet mundum, virtute superna
Dum caro mutatur, cum Christo glorificatur,
Discedens felix, in dextra parte locatur.
Esto memor nostri, qui te cum laude precamur,
Ut tecum ...... (1) matres, puerique, senesque regamur.

Quo versu ultimo beneficia sanitatum multis ad ipsius sepulchrum, praesertim pueris phtisi correptis impendi solita, indicantur, quanquam fugientibus pleraque literis, et impositione, affrictuque morbidorum attritis, aegre legantur. Solent enim laborantes sepulchro imponi, ac plerique post novendialem comprecationem institutam sanantur, aut a concepto malo brevi interea morte absolvuntur.

Locus quidem monasteriumque S. Thomae Cantuariensi patrono addictum; ecclesia tamen a Meginhero archiepiscopo praecipuo, patrocinii titulo B. Mariae Virgini consecrata, addictaque, quamvis in territorio Coloniensi, mitrae Trevericae legibus et sanctione olim utrimque recepta tribuitur. Sub Hillini denique archiepiscopi anno primo, hoc est, 1152, Eugenius III. Rom. pontifex, diplomate apostolico, quod ipse cum Tusculano et Hostiensi episcopis, ac 13 cardinalibus ritu solenni consignavit, harum sanctimonialium institutum, fundationemque approbavit. Cui etiam hac aetate nostra Innocentius X. suam anno salutis 1645 confirmationem adjecit, cum non levi dis-

(1) *regnent*, quidam, minime feliciter, supplent.

crimini in publica imperii et archidioecesis Trevirensis perturbatione objicerentur.

Magistrae a Taxwinda usque ad modernam, Sophiam Agnetem ab Ahr, plures, illaeque virtutis eximiae censentur, praeter quas recentis memoriae priorissa celebratur ab eximia devotione, Christina de Metternich ex Müllenark, quae jam octoginta et unum annos nata, Christi ão 1660 extincta est, cujus in demortuae pectore ter sacrosanctum IHS et semel huic subjectum nomen MRÆ vivacibus characteribus impressum deprehenderunt, argumentum non obscurum, quem suo in animo viva thesaurum condidisset. Rolshausana quoque praenobilis familia plurium hic magistrarum recordatione celebris. Quarum Maria, cum ão 1624 invita caeterarum suffragiis vocaretur ad regimen, Deum enixe precata, ut vita atque honore illo indignam se eximeret, quae ex voto eodem anno decessit, coelo quam terra dignior, cum rarum in foemina sit, honorem demissionis studio subterfugere, tantoque avidius regat, quanto minus ad hoc nata est.

Debet hoc monasterium corpus S. Serbandi martyris, Alexandro VII. pontifici, in legationis olim munere hisce locis obito illud invisenti, quod in pii affectus testificationem praenobili adolescenti, D. Henrico Christophoro a Wolframsdorf, e collegio Romanorum Germanico ad sorores hoc in parthenone receptas, invisenti, transferendum indulsit. Recens ego monasterio illatum, capsaeque etiamnum portatoriae inclusum, ac sacro quodam odore spirans, coram veneratus sum.

Magistrae nobilis coenobii B. M. V. (S. Thomae) extra muros Andernacenses.

(Ex docum. domest.)

1. Texwindis, comes de Sponheim, 1127, obiit 28. aprilis 1149.
2. Jutta, comes palatina, obiit 28. aprilis 1155.
3. Hedwig ab Isenburg, obiit 24. martii 1160.

4. Gerbirg de Waldeck, obiit 27. martii 1167.
5. Texwindis de Nassau, obiit 3. februarii 1178.
6. Irmgard de Weda, obiit 13. februarii 1187.
7. Ida de Landscron, obiit 22. februarii 1190.
8. Benigna de Fayen, obiit 5. aprilis 1192.
9. Claricia de Virnenburg, obiit 7. septembris 1199.
10. Aleidis de Cottenheim, obiit 1216.
11. Sophia, burggravia de Hammerstein, obiit 1249.
12. Gertrudis ab Isenburg, obiit 11. junii 1255.
13. Lucardis de Coverna, obiit 13. octobris 1275.
14. Mechtild, burggravia de Rheineck, obiit 28. martii 1292.
15. Hildegard de Virnenburg, obiit 1303.
16. Cunegundis, occ. 1311, in festo S. Dionysii martyr.
17. Adelgundis, comes de Weda, obiit 1317.
18. Hildegardis de Trys, obiit 1330.
19. Sophia de Colonia, dicta de Spiegel, obiit 1342.
20. Hildegardis ab Indagine, obiit 1344.
21. Catharina de Kempenich, obiit post 4 menses, 1344.
22. Nesa (Agnes) de Kempenich, obiit 1367.
23. Bela de Monreal, obiit 1397.
24. Elsa de Scheiden, obiit 1417.
25. Beatrix de Spiegel, obiit 1429.
26. Hildegardis, Hilla de Senheim, occ. 1437 et 1452, obiit 1461.
27. Catharina de Selbach, obiit post 7 menses, 1461.
28. Agnes de Selbach, obiit 1467.
29. Gertrudis Mant de Limbach, obiit 11. junii 1499.
30. Margaretha, comitissa palatina Rheni, postulata ão 1499 ex coenobio S. Agnetis Trev., reformat coenobium.
31. Magdalena de Schönhals, obiit 1528.
32. Anna ab Esch, obiit 26. decembris 1532.
33. Christina Print de Horcheim dicta de Brohl, obiit 31. julii 1557.
34. Anna de Brambach, obiit 19. aprilis 1562.
35. Catharina a Deusternach, abbatissa per 32 annos, resignavit 13. septembris 1594, obiit 16. februarii 1596.

36. Maria Haust ab Ulmen, electa 13. septembris 1594, obiit 22. julii 1612.

37. Anna Elisabetha de Flersheim, obiit 10. febr. 1623.

38. Maria a Rolshausen, electa 1624 et defuncta 7. junii anni ejusdem.

39. Anna Maria Catharina Schilling de Lahnstein, obiit 9. junii 1631.

40. Anna Haust ab Ulmen, obiit 28. martii 1635.

41. Sophia Agnes ab Ahr in Golzheim, occ. 1667, obiit 10. octobris 1674.

42. Anna Sidonia de Wolframsdorf in Westgrussen, electa 23. novembris 1674, obiit 1692, 8. martii.

43. Juliana Catharina Christina Schütz de Holzhausen, electa 1692, obiit 26. augusti 1707.

44. Lucia Catharina Breidbach de Büresheim, electa 3. octobris 1707, obiit 27. julii 1718.

45. Isabella Maria Rosina de et ab Hees, electa 29. augusti 1718, obiit 24. julii 1757.

46. Josepha Carolina Nagel de Loburg, electa 29. augusti 1757, obiit 11. julii 1777, aetatis anno 71.

47. Maria Sophia de Boyneburg ex Lengsfeld, electa 12. augusti 1777, obiit 8. martii 1792.

48. Amalia Truchsess de Wetzhausen, electa ão 1792, obiit Leudesdorpii, 30. decembris 1811, aetat. 63 annorum, 2. januarii 1812 sepulta. Ultima conventualis ad S. Thomam, Theresia ab Reichlin in Meldegg, Ratisbonae nata, obiit Leudesdorpii 11. jul. 1853, aetat. 86 annorum.

Ante templum supra magnam portam visitur:

1. S. Joannes Baptista.
2. Texwindis virgo hoc lemmate inscripto:
   Texwindis veniam petit hic prostrata Mariam.
3. Bertus (forsan hujus loci praepositus):
   Rogo te flos virginitatis respice me gratis.

In domo capitulari haec epitaphia:

a) Hic jacet in tumba nulli probitate secunda
Quae dux prima gregis docuit moderamina legis
Texwindis dicta, sit in aeternum benedicta.

b) Conradus fulsit vita quasi gemma polita
Istud ovile regens hic multo tempore degens
Felix migravit, quem grex suus hic tumulavit.

CAPUT XL.

Mariaeburgum.

Nobilium virginum olim sedes in excelso monte, quem Mosella fluvius utrinque velut ambiens, et in se recurrens, Meandrum imitatur. Ad occasum triangulari turri loco speculae et templo bene capaci tum semirutis monasterii muris editior mons conspicuus est. Declivi hinc diametro Keimetam, frequentem vicum in crepidine versus orientem amplectitur, qua et prospectat Cellarum oppidum. In rescripto Eugenii pontificis, quod B. Richardo Springiersbacensi aõ 1145 dedit, appellatur ecclesia de Keimeta sita in monte, qui dicitur castrum S. Mariae, ut dubitari possit, num eo tempore virginum ibi coetus coaluerit? Illud minus cunctationis habet, aõ 1157 monasterium coepisse nuncupari, datamque parthenoni originem a Wigando, ut loquuntur, fideli ministro S. Petri, unaque tunc Hillini archiepiscopi auctoritate ex monte Cellensis oppidi, matricis ecclesiae et paroeciae totius dignitatem translatam in monasterii basilicam, quam Hillinus tunc XV. kalend. novembris (18. octobris), indict. VI. epacta VII. in honorem gloriosissimae Virginis Mariae dedicavit.

Aõ 1515, paulo ante Lutheri ortum, virgines S. Augustini regulam aliquot saeculis professae, parum vigilante majorum

disciplina diffluxere, nec offerente se, qui reflecteret, rectoribus oeconomia loci mandata, qui ad Jacobi archiepiscopi tempora ibi quoque durarunt. Ottilia a Kesselstatt fuit ultima magistra. Petrissa, magistra, occ. āō 1342.

CAPUT XLI.

Vallis Martyrum, vulgo Marterthal.

Ecclesia Vallis Martyrum āō 1145, Eugenio III. sedente, condita fuerat, ut literae testantur, ab eo pontifice Richardo abbati super ea re datae, meminitque possessionum, et amplae dotis, quae virginibus olim contigerit. Monasterium id in Eiffliae limite, tractui tamen Mosellano viciniusque, prope a Caesaris-Eschio, Treverici juris oppidulo, conditum fuit; custodiunt apud Caradonum Joannis archiepiscopi literas ab anno 1212, quibus ex Maspreti parochiae fundis, Caradonensem ecclesiam sublevans, meminit prope istic extitisse coenobium Martyrdal, et in eo tum vixisse sorores, sed praeter humile sacellum, et monasterii rudera, nihil ibidem nunc temporis visendum occurrit, et grandaevi senes recordantur vixisse istic moniales.

CAPUT XLII.

Insula S. Nicolai, vulgo Stuba.

Hanc insulam Egelolfus, vir locuplex et nobilis, capella, domo, vinea instructam, Richardo abbati donum obtulit, et Springiersbacensi ecclesiae hac conditione subjecit, ut Giselae

filiae et vitae sociis virginibus, sive viduis, ibi cella conderetur, quae spretis hujus mundi oblectamentis pauperem Christum pauperes sequi vellent sub regula S. Augustini. Porro cum haeredum Egelolfi et Richardi liberalitate, curaque ad justam domicilii formam excessisset, plurimaeque jam virgines in unum coiissent, Albero Trevirensis archiepiscopus, et Innocentii pontificis legatus insulam et omnia circum loca immunia ab advocatione pronuntiavit, donationem factam stabilivit, virgines ultra centum istic habitare vetuit. — At quae olim insula, hanc jam Mosellae contrariam ripam appetens a tergo deserit. Varia hujus monasterii censentur in annalibus ornamenta, in quibus Graecanica supellex praecipuum decus meretur. Statua S. Nicolai hic in veneratione, apud quam et multa morborum genera profligata, et energumeni praesertim domiti, liberatique. Crucis etiam interdum loco motae, et in priorem fidem sponte sua reversae, clara apud virgines memoria. Cunonis Portuensis episcopi, sedis apost. legati indulgentias, Coloniae huic templo datas, observavimus anno 1226, III. idus januarii. In bene meritorum albo, praeter episcopos Trevericos, ex nobilitate legimus Ulmenanos, Neveos, Surenos, Brunshornios, Strüngeros.

Magistrae in Stuba.

Aleydis, occ. ão 1364.

Francisca a Metzenhausen, ão 1558.

Margaretha a Metternich.

Anna Margaretha Cratz a Scharfenstein, occ. ão 1647, obiit ão 1654.

Ottilia Anna ab Ahr, electa 15. aprilis 1654.

Anna Elisabeth ab Eltern, obiit ão 1725.

Anna Margaretha de Wolfskehl ex Vrillingen, electa 20. februarii 1725.

Anna Charlotta ab Eltz-Rodendorf, Sternkreuzordensdame facta 1740, obiit 22. novembris 1755.

Maria Ferdinanda de Maffei de la Serra, ultima magistra, occ. 1760—1787.

CAPUT XLIII.

Lutere dominarum, sive Frawelutre, Fraulautern.

Adjiciendum superioribus monasterium nobilium virginum Frawelutre. Quod licet non subsit directioni Springiersbacensium, instituto tamen nobilitatis haud multum dissimili, ex regula D. Augustini administratur, sanctissimae Trinitatis cultui singulariter dicatum, sub cujus etiam titulo basilicam possidet. In Lotharingicae illud ditionis finibus, haud procul a Walderfangio oppido, juxta Saravi fluenta erectum jam olim fuit, prima vix satis origine exploratum. Caesarius in lib. 8 miraculorum illustrium, cap. 51, sub magistrae illud quondam imperio directum meminit, nunc abbatissis subditum: ubi piam suae aetatis duarum virginum contentionem exponit. Quarum altera D. Joannis Baptistae, altera D. Joannis Evangelistae merita, sanctitatemque praeferebat. Sed utraque per suum patronum admonita, displicere hanc litem, aemulationemque superis, ideoque a se invicem delicti veniam jussae suppliciter postularunt. Collapsam hujus loci disciplinam sub finem superioris saeculi, nobilis domina, abbatissa Joanna a Wiltz instaurare aggressa, et frena licentiae adstrinxit, et contubernium auxit. Hac aetate iisdem Ottilia Braun a Schmidtburg, provecta virtute et annis domina, praesidet.

Abbatissae in Fraulautern.

Gudela, occ. ão 1363.

Eva Hubenrysserinnen, obiit ão 1516.

Margaretha de Ellenbach, electa 10. martii 1516.

Margaretha de Wolffstein, obiit aõ 1522.

Gertrudis Breder de Hohenstein, electa 8. januarii 1523, juravit 30. martii 1523.

Margaretha de Bubingen, occ. aõ 1574.

Joanna a Wiltz.

Ottilia Braun a Schmidtburg, occ. aõ 1667.

Anna Maria de Geispitzheim, electa 5. augusti 1720, obiit 7. decembris 1730.

Maria Theresia de St. Ignon, nominata per regem Galliarum 1. maji 1731, obiit aõ 1744.

Maria Helena de Rathsamhausen, electa mense januario 1745, obiit mense aprili 1773.

Maria Sophia de Neuenstein, electa 8. augusti 1773, nominata per regem Galliarum 22. januarii 1774, occ. adhuc aõ 1794.

LIBER III.

CAPUT I.

Monasticae ac regularis disciplinae Trevericae dioecesis notitia, ac praecipue patrum benedictinorum.

Post dioecesis ordines, copiasque pro facultate lustratas, monastices nobis rationem quoque ducendam vel maxime putavimus; tum quia seminarium illa virtutis olim perfectioris viros in omni functione cleri, munerisque sacri praestantissimos saepe dedit; tum quia generis graduque suo tam ecclesiae passim universae, quam huic dioecesi magna ornamenta virtutis ac ingenii, praesidiaque disciplinae contulit.

I. At si domesticarum laudum hic privatim quispiam appetentior, majorem diligentiam atque operam in hoc scribendi genere deberi sibi postulet; is velim intelligat, nullum a nobis locum relictum pervestigandi, quo pietas ac religio veterum coenobitarum ac monachorum justae germanaeque laudis plenissima apud seros etiam nepotes perennaret ac viveret. Quam ob rem si minus pro voto cernat hic omnia copiose tradi, neque in illa, quam optet, luce collocari, a nobis velim negligentiae culpam removeat, et ad hos potius transire patiatur, quibus multa antiqua sepulta, quae erui poterant, longius infra terras amandare, et in tenebras abdere, quam cum perennis memoriae fructu foras dare et in medium conferre placuit. Quos suo parum gratiae apud posteros silentio occupaturos credimus, abunde hoc dedecore mulctandos, quod inter alios gloriosis viris, factisque eminentes ipsi inglorie lateant, neque majorum suorum laudatissimis exemplis in-

clarescant, atque ad aemulationem zelumque coelo dignum provocentur. Quibus tamen si illustria praedecessorum facinora desunt, ignoscimus, utque ipsi digna annalibus praestent, hortamur; si vero suppetant, jure indignamur, exprobramusque negligentiam publicae, privataeque non gloriae minus, quam virtutum incitamentis obstruentem. Nisi fortassis, ut fert vitae humanae inconstantia, et historiae requirit integritas, labem subinde aspersam bonae famae reformident, malintque ignorari apud posteros, quam cum aliqua etiam ignominia innotescere. Hoc judicio lectori relicto, rem ipsam, licet tenui filo, pertexemus.

II. Monasticae institutum praecipuo studio jam inde ab apostolorum aetate excultum in Oriente est, frequenta tumque tota passim Syria, Aegypto, atque Thebaide; ita serius in Occidentem, adeoque in Galliam hanc nostram post Constantini magni tempora pervenit. Monachi vero nomen, quam usus obtinet hodie significatu, patuit olim angustius, nam Dionysius in hierarchia, quem et Cassianus sequitur, monachos vocari tradit, quod rebus dividentibus abdicatis, ultimi terris, citimi coelo, uni monadi, nempe Divinitati placere, probareque se contenderent, omnemque in ea mentis agitatione vitam ponerent, quae theoria nobis, seu contemplatio dicitur. Quo in numero censent eos, qui aut cassinensium, aut cistertii, aut denique carthusianorum vitae genus sequentes, submoti rerum inanium curis, plurimum cum anima sua conditoris omnium imagine, ipsoque totius universi conditore Deo versari solent. Hac etiam re factum intelligimus, ut Sanctorum Francisci, atque Dominici, aliorumque id genus coenobitarum familiae, quae velut ambi dextrae utrasque scilicet agendi, contemplandique partes suscipiunt, ac tuentur.

III. Caeterum appellatio et institutum monachi, ut ascetarum et therapeutarum a functionum diversitate profectum, licet a Graecis Latinisque patribus haud raro usurpatum; tardius tamen monachi nomen Occidenti innotuisse B. Augustinus auctor est, quando monasteria et xenodochia novis, ait, appellata nominibus, res autem ipsas fuisse ante sua nomina.

Nam ut βίον ἀσκητικὸν et θεραπευτικὸν priscorum optimi laudibus extollunt, ita Dionysio areopagitae et Eusebio familiare monachos teurapeutas, Basilio, Nilo, Marco nuncupare ascetas, sive communem, sive solitariam vitam degerent. B. Hieronymus de Philone essenos attollente: »in nostrorum,« inquit, »laude versatus est; eorum habitacula dicens monasteria. »Ex quo ait apparere talem primo Christo credentium fuisse »ecclesiam, quales nunc monachi esse cupiunt et nituntur; ut »nihil cujusque proprium sit, nullus inter eos dives, nullus »pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur, »et psalmis, doctrinis quoque et continentiae, quales et Lucas »refert primum Hierosolymis fuisse credentes.«

IV. At essenos certe Marci discipulos, et christianos extitisse, Eusebius, Epiphanius et Cassianus, monachos etiam fuisse, opinati sunt. Gentem, Plinio teste, solam, et in toto orbe praeter caeteras miram, sine ulla foemina, omni Venere abdicata, sine pecunia, sociam palmarum; ut castos, paupertatis et eremi cultores fuisse, vel hinc agnosceres. Unde etiam D. Hieronymi testimonio monachos sic vulgo dictos recolimus, ceu solis in secessu vivendum esset. Ipse ad Heliodorum: »quid facis in turba, qui solus es?« Et Rutilius Gallus praefectus, licet alioquin, ut in religionem christianam, sic et in monachos improbus, canit tamen:

Processu pelagi jam se Capraria tollit
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod soli, nullo vivere teste, volunt.

Porro tametsi visum nonnullis, Paulum vel Antonium monachorum potius omnium censeri primos, ab ipsis tamen caput instituti non profluxisse, sed altius accersendum, theologis exploratum est. Et S. Athanasius in Antonii vita, multos ante eum narrat extitisse monachos. Non enim tam ipse ante omnes, quam ab eo omnium incitata sunt studia, ut Hieronymus. Quod et de Paulo sentire licebit, quia primus in Aegypto scilicet eremicula, et expers humani consortii vere μονάζων ad finem usque vitae perseveravit. Originem igitur hujus

disciplinae altius omnino, quam ab Hieronymi, et Ambrosii temporibus repeti par est. Cum jam ante Antonius auctor, et propagator horum examinum Scythiam, Nitriam, utramque Thebaidem, universam Aegypti solitudinem coloniis monachorum implesset. Constetque licet tot annorum ante spatiis Matthaeum Iphigeniam, Clementem Domitillam Deo dicasse virgines, et a Tertulliano, ac Cypriano de Christo velandis virginibus, integros etiam relictos commentarios. Coenobium tamen ac disciplinam ipsam in Occidente, non illa tam accurata constitisse, magistratuum, et legum temperatione dispositis cellis, atque monasteriis ante Constantini, et filiorum ejus tempora, vel uno teste Hieronymo, hujus instituti ejusdem, et acerrimo vindice, et cultore flagrantissimo doceamur.

V. Marcellae quippe laudes oratione persecutus ponit inter alia. *Cum antea ignotum esset Romae monachorum propositum, nec auderet quisquam propter rei novitatem ignominiosum, ut tum putabatur, et vile in populis nomen assumere; Marcellam, quae a sacerdotibus Alexandrinis, ipso Athanasio, Arii metu in exilium expulsis, Antonii adhuc superstitis, et monasteriorum Thebaidis disciplinam didicisset, non erubuisse profiteri, quod Christo placere cognoverat. Quare cum in suburbano agro monasterium instituisset, ejus imitatione crebra virginum coenobia et monachorum innumerabilem multitudinem esse coepisse, ut prae eorum frequentia, quod prius fuerat ignominiae, esset postea gloriae.*

VI. Subinde ergo cum Pammachius vir patricius et insigni claritate inter Romanos, adeoque Paulae gener, primus inter primos Romae monachus esse coepisset, magnificis verbis ad eum B. Hieronymus inter alia: *Nostris,* inquit, *temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit, nascentis ecclesiae rudimentis, rari sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis* ἀρχιςράτηγος *monachorum.* Id quod iterum atque iterum eidem ingerens. *Primus,* ait, *inter monachos in prima urbe primum sequens patriarcham.*

Ac deinde frequentiam monachorum hujus saeculi contestatus Bethlehemiticum suum obrui memorat turbis monachorum, istuc de toto orbe confluentibus.

VII. Inde caetera post Italia mirabiliter hac ratione vivendi exarsit, celeriterque monasticen amplexa est. Etenim Martinum accepimus, qui sub Constantino juniore inter scholares tyro versatus est, cum ageret annum aetatis duodecimum, vehementer eremum concupiisse; cumque aetatis imbecillitas ab insito solitudinis ardore puerum revocasset, animum tamen ejus semper vigilasse aut circa monasteria, aut circa ecclesiam intentum, idque adeo vitae genus jam inde a puero meditatum ratio suadet; quod Ticini intra Italiam educatus, non rari utique istis tum locis occurrentis exempli pulchritudine amare puer monasteria didicisset. Quin a baptismo suscepto, cum sub Christi nascentis annum 360 discessu S. Hilarii Pictavorum episcopi, quem ad exilium Arianorum vis coëgerat, turbatam ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium ipse statuit, quod obtinere tamen per Auxentii ariani praesulis vexationes, a quo et urbe demum pulsus est, diu non potuit. Jam vero postquam Ambrosius ad Mediolanensis ecclesiae gubernacula anno Christi 374 Gratiano III. et Equito Coss. accersitus est, in summo apud Mediolanenses honore monastice fuit. »Et erat (verbis Augustini loquimur) »monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis »moenia sub Ambrosio nutritore.« Martinus deinde Turonum sedem iniit. Is Galliam pene totam monasticae vitae praeclaris exemplis accendit, cumque urbani tumultus vitans frequentiam, loco secreto et difficili, quo rarior aditus esset, ad Ligerim amnem contextam e lignis cellam constituisset, protinus ad octoginta magistrum secuti, tumultuario structurae genere saxo supervecti montis pertuso, atque cavato indidem receptacula sibi condidere; qui, quibus ibi vixerint institutis et legibus, haud siluit Severus Sulpitius, Martini alumnus et discipulus.

VIII. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur, non emere aut vendere quicquam licebat;

ars ibi, excepta scribendi, nulla habebatur, cui tamen operi minor aetas reservabatur, majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam contingebat egressus, nisi quando ad locum orationis conveniebant, cibum una omnes post horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, nisi infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur. Mollior ibi habitus pro crimine erat. His igitur rudimentis imbuti, atque ad omnem virtutem instructi hujus aetatis monachi, magno populorum atque urbium certamine passim ambiebantur; ambitionis ipsi prorsus expertes, et trahebantur ad cathedras inviti. »Quae enim civitas, ait ille, aut ecclesia, quae non »sibi de Martini monasterio cuperet habere sacerdotem.« Verum non unius domicilii praeclaris institutis contentus Martinus, universam mox Ligeris oram excisis et eversis gentilium aris, aut frequentissimis ecclesiis excoluit, aut monasteriis occupavit.

IX. Eodem hoc flexu temporum Belgica nostra cogniti, receptique monachi. Neque vero, quod ambigamus, est, cum edacitatis arguerentur hujus regionis monachi, ab Orientalibus, vel praecipue cum reprehensionis aculeum sensisse Belgas. Hinc cum B. Hieronymus scripto publicato, vehementius etiam hoc nomine Gallos esset insectatus, id perinde nemo molestius ferre visus, quam Belgicus, ut qui doleret edacitatem, seu vitium in gente sua notatam, quae potius, ut in Graecis gula, sic in Gallis ob aëris temperiem, esset natura. Sed hujus rei testis quoque locupletior B. Paulinus Nolanus suppetit, fama sanctitatis et opulentiae tam coelestis, quam humanae praeclarus. Is ad Victricium Rothomagensem praesulem, B. Martini familiarem et sub Juliano ex milite nobilem confessorem, scribens, extollit mirifice in remotissimo Nervici littoris tractu, et in terra Morinorum situ orbis extremo Victricii opera, *ubi quondam deserta sylvarum ac littorum, pariter in tota advenae barbari, aut latrones incolae frequentabant; nunc venerabiles et angelicos sanctorum choros, urbes, oppida, insulas, sylvas ecclesiis ac monasteriis plebe numerosas, pace consona celebrare, atque ex hac adeo disciplina illi in pauliniano contubernio praestantissimi viri conservuli, non vestibus pictis*

superbi, sed horrentibus ciliciis humiles, chlamyde curta linei, sed sagulis palliati, nec baltheo, sed recte succincti, nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem caesi, et inaequaliter semitonsi, et destituta fronte praerasi, et ornatu pudicitiae inornati, et decenter inculti, et honorabiliter despicabiles. Ut de suis monachis adversus Marracinum fastidiosum Thrasonem scribit ipse B. Paulinus. Nec inspicere omitto ascetas hos sagulis palliatos; cum ut philosophis, sic et monachis tandem insigne fuerit pallium, ut monachorum vitam, et **ἄσκησιν,** merito Graeci patres philosophiae nomine cohonestarint. Et agmina palliata monachorum in funere S. Martini laudavit Sulpitius Severus.

X. Treviris illustre quoque dat apud Augustinum Pontianus susceptae, cultaeque monastices hoc testimonium, quod suburbano rure, casis licet humilibus abditi, vixerint tamen Antonii magni aemuli monachi, prius etiam quam Augustinus per sacrum lavacrum Christo nomen dedisset, aut id vitae genus omnino cognovisset. Quin et Felix Trevirorum archiepiscopus, quo loco S. Paulini basilica stat, sibi construxisse traditur monasterium, quod in sera quoque saecula nomen id retinuit. Ergo et in Italia, et in omni Gallia monastice per id tempus vel inprimis floruit, et in summo apud omnes pretio, ac honore fuit, ut ne ipsius quidem laus saeculo Christi quarto, quintoque barbarorum cladibus licet infelicissimo offuscari, aut laetissimum ejus germen opprimi potuerit. Quin viros omni genere scientiarum ac virtutis eximios quam plurimos efferret.

XI. Horum vero plerique ex insula Lirinensi tanquam colonia quadam propagati Galliam universam, adeoque Trevericam ecclesiam magnitudine virtutum impleverunt. Nam juxta Prosperi chronicon anno 28. Honorii et Arcadii imper. Honoratus, Minervius, Castor, Jovianus singulorum monasteriorum patres in Galliis florent. Lirinus autem insula Lero sociata in ea Narbonensis Galliae parte est, quae Provincia dicitur; contra Antipolim oppidum, mari Mediterraneo adjacens. Hic S. Honorato conditore, qui postea fuit Arelatensis episcopus, florentissimum cultu prisco stabat monasterium, quod

Sidonius palaestram congregationis eremitidis et senatum Lirinensium cellulanorum appellavit, qui parsimoniae saltibus etiam assequi contenderent Memphiticos, et Palaestinos archimandritas. Hinc Principius Suessionensis; hinc Lupus Tricassinorum, doctor nostri Severi, hinc Maximus et Faustus Reienses: Honoratus et Hilarius Arelatenses et scriptis in ecclesia sua nobiles, Eucherius Lugdunensis, ipsaque ab insula cognomentum ferens Lupi frater Vincentius prodiere. Neque dubitat quicquam B. Caesarius Arelatensis insulanam hanc palaestram extollere, ceu quoddam episcoporum Galliae seminarium. »Haec, inquit, »est, quae eximios nutrit monachos, et praestantissimos per »omnes provincias erogat sacerdotes ac si quos accipit filios, »reddit patres, et quos nutrit parvulos, reddit magnos.« Et grandiore quidem hinc sono Apollinaris Sidonius Fausto Reiensi accinuit:

— — — Quantos illa insula plana
Miserit in coelum montes, quae sancta Caprasi
Vita senis, juvenisque Lupi; quae gratia patrem
Mansit Honoratum, fuerit quis maximus ille
Urbem tu cujus, monachosque antistes et abbas
Bis successor agis celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.

Certe Ennodius in vita S. Epiphanii cum Nepotis Augusti legatum Tolosam ad Euricum Gothum seu Enarigem regem sub annum Domini 474 adiisse memorat, in reditu visisse scribit singula sanctarum habitationum loca. Medianas insulas, Cycladas, Lerum, ipsamque nutricem summorum montium planum Lerinum; singulos vitae flosculos ex omnibus hisce monachorum asceteriis decerpsisse, quos in se boni germinis fomes insereret, et ad maturitatis tempus gravida pomis coelestibus arbor adduceret. Ergo non Lerino tenus, sed pelagi vasti pluribus insulis, quas in collationibus suis Cassianus agnovit praealta mari propagata monastice, et Lerinus veniente in Galliam Mauro, S. Benedicti instituto, ut alia pleraque monasteria concessisse putatur. Laudat et in antiquis Apollinaris Sidonius Jurensia monasteria, scilicet in Jura monte sita, quae Gregorius Turonensis in vita Lupicini et Romani, inter

Burgundiam, Allemaniamque Aventicae civitati proxima Jurensis deserti appellabat secreta. Quorum facile princeps memorant extitisse, S. Eugendi, quod S. Claudii nomen postea tulit.

XII. Subiit saeculum inde quintum cum Franciae, Austrasiaeque regibus populisque in Christi fide et salutifera religione jam fundatis, et egregie stabilitis nova fax orbi occiduo illuxit, S. Benedicto jamtum in Italia efflorescente et felices operum meditante colonias. Hic quipe Sublaci sub Romano abbate rudimentis asceticae militiae depositis anno 520 Cassinum montem novis monasticae severitatis exemplis et institutis frequentare coepit. Momentàque per Italiam duodecim omnino coenobiis fusa atque propagata magni patris disciplina. Caeterum postquam alumnis jam leges suis condidisset, scripsissetque regulam, ut verbis dicam B. Gregorii, discretione praecipuam, sermone luculentam, Mauro, Faustoque in Galliam atque Germaniam, Placido in Siciliam dimissis, tantos tamque uberes mox ille fructus pietatis et religionis omnem in partem sparsit, et effudit, merito ut Occidens illum non velut monasticae reparatorem, et clarissimae familiae patriarcham, verum ut parentem atque fontem praedicaret omnigenae sanctitatis. Et vero ex hujus profecti disciplina sunt innumeri, qui rem christianam, aut morum innocentia ornavere, studiisque doctrinarum, aut publicis sacrorum functionibus, consiliisque egregie sustentarunt, aut denique periclitantem coelestibus quibusdam fulcivere praesidiis.

XIII. Illud vero caput rei dignissimum est, quod non praetereatur; quicquid scilicet borealibus in locis ultra, cisque Rhenum, Albim, Visurgim, vicinisque regionibus nationum, populorumque ad Christi imperium fidemque traductum Romanae quondam ecclesiae accessit, id omne profecto B. Benedicti discipulorum assiduo labore quaesitum, sudore partum, religione conservatum prorsus fatendum esse. Hinc tot illae nimirum erectae doctrinarum, religionis, et virtutis officinae, horrea populi christiani et egentium hospitum ubique parata solatia subsidiaque. Hinc illa quoque olim, utinam hodieque Gallia, Germaniaque tota tam numero monachorum, quam

virtutis ac prisci rigoris fama celeberrima monasteria, quorum amplissima latifundia, agrique, ut centesimum olim suis reddebant quamlibet multis alumnis, ita in hac communi temporis iniquitate versis jam moribus et religiosorum fortunis nempe sterilescunt, possessoribus aeque ac raptoribus damnosi ac infoecundi. Porro S. Benedicti quidem accurata disciplina Occidentis provincias benigne complexa terras, illas longe lateque insigni meritorum, ac recte factorum gloria complevit. At Treviris etiam vehementer expetita, cum a teneris adolescere coepit, tum ea paulatim virtutis et census incrementa habuit, quae si ad posteros integra manassent, paucis extitisset aut monasticae perfectionis laude, aut vectigalium opportunitate secunda. Sed cum monasteria suas item in classes editis abbatum nominibus strictim digerere nobis propositum sit, ab iis quae familiae benedictinae, quarum principatum tenet sane Maximinianum, exordiri placet. — Hactenus Browerus, qui cum imperfectum opus relinqueret, atque illa, quae de abbatiis perscripserat, cum iisdem communicasset, Bucelinus PP. benedictinorum abbatias integro complexus tomo, has ut Browerus collegerat, acceptas in suum opus transtulit, Browero jam defuncto, ut ex collatione scripti, impressique operis manifeste comperi, ratus opinor Browerum sua non vulgaturum, quod ipsum, nisi fallor, professus est, ut vitio verti non possit. Archidioecesis autem habet, seu potius habuit duodecim abbatias ordinis S. Benedicti.

CAPUT II.

S. Maximini abbatia et monasterium.

Ad urbis latus septentrionale S. Maximini fuit antiqua sedes, cujus quoad licuit olim antiqua vestigia rimati sumus. Neque enim ut in magna rerum vicissitudine una loci facies

situsque mansit, qui jam juxta civitatis quidem valde diminutae moenia angusto in orbe descriptus cernitur, ubi ex lege S. Benedicti nobile stat phrontisterium. Altius arcessenti originem religionis et loci veterum tabularum literarumque Dagoberti et aliorum non vulgaris autoritas oblata, quae docebat saeculorum intervallum, quod ab usque Constantino ad Francorum regum aetatem defluxit, magna caruisse monumentorum luce, unde posteritas de vetustis rebus ad liquidum explorati vix quicquam erueret. Adeoque Francorum exurgente imperio praeter antiquas schedas arundini implicatas, vix aliud memoria dignum regi Dagoberto potuisse exhiberi a Memiliano, loci abbate, cujus haec admodum fuerit relatio. In originibus reperiri monasterii sedem quondam Constantini magni fuisse regale templum (1). Ejus nutu jussuque S. Joannis Evangelistae honori ac memoriae ab Agritio primate dedicatum. Hinc Helenae augustae matris munificentia aggregatos eundem in locum Orientali disciplina Christi famulos (2), hisque Joannem Antiochenum monachum, qui cum Agritio Trevirim accesserat, impositum rectorem, commendasse vero Constantinum successoribus loci tutelam. Atque haec ibi in pervetusto codice legebamus, quorum pleraque, ut et ipsum Dagoberti regis diploma, aliaeque antistitis et monasterii praerogativae, in monasteriorum Germaniae illustrium centuria prima, publico donata sunt, et ex eo nuper ab Auberto Myraeo in originibus benedictinis repetita. Nos cum sanctiora hic spectemus, ne justa laude majores fraudasse videamur, meminerimus, quod prope amissa haec ornamenta sero vindicemus. Antistitem clientibus olim suis illustribus stipatum, postquam opulentiae, quam religionis major in imperio Germanico census extitit, clarum obsequiis, ut Fuldensis archicancellarium imperatricis, ita archicapellanum se gessisse ejusdem augustae legimus;

(1) Palatium interpretor, nam templum esse coepit non ante, quam ab Agritio dedicaretur.

(2) Pauperes allusisse videtur. Msp. ad locum S. Augustini Confessor. 8. c. 6: casaubi habitabant quidam servi tui spiritu pauperes &c. Consule Reginonis chron.

quae quidem honoris insignia, cum sine dispendio vectigalium, magnorumque sumptuum non haberentur, fundis tandem disperditis et alienatis, et abeunte retro imperatorum fortuna, prope in nihilum reciderunt. Clientes tamen se S. Maximini profiteri fas jubet Lutzelburgicae et Boicae stirpis duces, comites Dietzios, quorum Nassovii-Saraepontani successores, Manderscheidtios, Silvestres et Rhenenses, et complures antiqua prosapia nobiles et illustres viros, quod obnoxii beneficiis et feudis huic monasterio antiquitus fidem et obsequia debent. Atque horum stemmata titulosque laquearibus ab se nuper instaurati templi, Reinerus abbas incidi quoque voluit. Agmen ducit inter abbates majorum traditione, si tamen illam monasticae caniciem exteri Treviris indulgebunt:

1. Joannes Antiochenus, qui hoc monasterium (an cleri coenobium?) legibus Orientalibus administrasse proditur, sed ejus ut adventus nulla certa temporum, et adjunctorum notatione finitur, ita et successorum praeter ipsa nuda corruptaque, ut apparet, nomina, posteris nihil fere literis dignum est relictum. Quod vero ad Reginonis sententiam, qui libro I. chronici ad annum 243 narrare videtur, sub *Constantino* Treviris inchoatum coenobium servorum Dei ejusdem principis assensu, inter contiguos urbis muros [1], cui Joannes abbas, mirae sanctitatis vir, initia dederit, et cujus quoque B. Augustinus in libris confessionum meminerit; de hac inquam sententia, ait Browerus, in annalibus, judicium olim protuli meum, scilicet a Reginonis prototypo et pervetusto ms. Prumiensi codice longe abesse eam narrationem, sed recentiore manu adscriptam. Nec in hujus loci celebritatem, illam convenire Augustini casam, quae per hortos civitatis tunc amplissimae, muris contiguos temere vagantes palatinos excepit. Regulam vero S. Basilii hic ullo tempore receptam, veterum, quod sciam, nemo affirmat, nuperi conjiciunt forte, quia Orientalium disciplina Joannes hic cum suis vixerit, sed longe ante S. Basilii leges enatas. Successores Joanni dantur;

(1) Hortos, ut S. Augustinus, lib. 8, cap. 6.

2. Fibicius, Vibicius, Felicius.
3. Odilardus, Odilradus, Vtilardus.
4. Tranquillus.
5. Emerentianus.
6. Maurelianus, Aurelianus.
7. Honestus.
8. Remigius.

9. S. Fibicius II. (Vibicius) quem tradunt inde factum archiepiscopum. — S. Asterioli martyris pervetustam memoriam huic item monasterio debemus, at non optima fide custoditam. Fuerunt, qui inter Thebaeos milites, et lectoris titulo, referrent. Sane in domestico martyrologio hujus loci ad XV. kalend. septembris legebam: »ipso die S. Asterioli lectoris et martyris, »cujus corpus in cryptâ S. Maximini inter trecentorum mar»tyrum Thebacae legionis corpora sepultum est.« Idem in rituali quodam, sed restrictius. In crypta ordinetur missa de S. Asteriolo, quia ibidem inter Thebaeos creditur esse sepultus. Verum dum ego omnia diligenter circumlustro, ne lituum quidem augures mihi tam accurate regant, ut regionem inveniam, unde S. Asteriolum ex tam densae noctis tenebris eripiam. Forte, ut non facile majores fictas suscitant sententias, viam hic aliquam sternit conjecturae Gregorius Turonensis, lib. 3. hist. Franc. c. 33, qui Asteriolum consiliis, et auctoritate clarum senatorem in aula Theodeberti, Austrasiae regis, et rhetoricis artibus imbutum, dolis Secundini aemuli, periisse narrat; unde martyris et forte rhetoris (pro lectoris) nomen, in Treviris humatus, apud posteros meruerit.


10. Volmarius, Folmerus.
11. Rodingus.
12. Hundilandus, Gundilandus.

13. Memilianus, Aemilianus, sub Dagoberto rege vixit, cujus beneficentia monasterii hujus res locupletata fuit. Asserunt in archivio S. Maximini (vid. Monast. Germ. Casp. Bruschii) ejus donationis testes literas, characteris genere non absimili Graeco scriptas, Dagoberti regni anno XII. Moguntiaci datas, in quibus, ut et plerisque omnibus insequentis aevi,

annos Christi praetermissos observavimus, consuetudine neque tum obtinente, ut adscriberentur. Caeterum praedia istic nominatim expressa, hodieque in monasterii censu perdurant, Kannis, Cressiacum, Lunevicum, Regiodola, Vallis, Polichum, Budeliacum, Talavanca, Loania. Ipsum hoc loco diploma inseruisse juverit, cum ei archiepiscopales opposito Dagoberti ejusdem diplomate, quod suo in annalibus loco exhibitum est, contradicant, vendicentque sibi atque ecclesiae D. Petri supremam in praedicta loca jurisdictionem. Sic igitur habet:

»In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti omnium christianorum noverit industria, qualiter ego Dagobertus rex potentissimus convenienti consilio episcoporum meorum comitumque legatos de mea parte ad abbatem Memilianum direxi mandans, ut diligenter inquireret, mihique per se ipsum indicaret, quibus auctoribus illud monasterium S. Maximini constructum vel cujus imperio a pristinis temporibus esset subjectum. Hanc legationem abbas cum fratribus solicite percipiens, perlectisque in eodem loco pervetustis quibusdam chartulis, inventum est ipsum monasterium Constantini imperatoris fuisse regale templum, atque jussu ejus dedicatum fore in honorem S. Joannis evangelistae a S. Agritio venerabili archiepiscopo. In quo videlicet templo, ut idem pater monasterii nostrae regalitati certa relatione patefecit, Helena sacra famula petente et favente, supradictus imperator pauperes Christi congregavit, eisque virum Dei Joannem proposuit, ut in servitio Dei semper vacarent et pro se orationibus insisterent. Et insuper illius loci habitationem alterae personae noluit subdere, nisi suae, successorumque imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituo, atque firmissima jussione praecipio, ut nullus unquam proterve illud monasterium, in quo abbas supradictus praeesse videtur, audeat inire vel ullam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur ut assidua recordatio mei meorumque parentum maneret, in praedicto monasterio ipsorum Sancti Maximini praebendariorum victualia, sub praememorato imperatore constituta, additis mea ex parte praediis, augere curavi, quorum nomina haec sunt:

Kannis, Cressiacum, Lonckwick, Regiodola, Vallis, Polich, Budeliacum, Talevant, Loania. Haec loca ad regiam curtem, quae dicitur Decima, pertinent, quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid praedii habere visus sum, a fluvio, qui nuncupatur Rubera, usque ad sylvam quae dicitur Jeder, S. Maximino praesuli in perpetuam haereditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio et rogatu meorum principum, catervis inibi Deo servientibus, hanc legem firmiter, ac perpetualiter impostrum habendam decrevi, scilicet ut centenorum ibidem summa monachorum semper integra maneat et inconvulsa, excepto si imperatorum, principumve per saecula succedentium benevolentia praediis augmentetur vel thesauris. Et si propter paganorum vel infidelium christianorum devastationem eisdem Christi servitoribus penuria ultra modum ingrueret, et per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis, et mei, meorumque successorum habeant licentiam alodium cum familia a fidelibus illo contraditum dandi et vendendi, antequam Dei destruantur servitia, et ut istius chartulae confirmatio firma in aevum permaneat, describi eam praecepi et nostro sigillo eam inde firmavi. Actum pridie nonas aprilis, anno regni nostri duodecimo Moguntiae feliciter, Amen. Signum Dagoberti Regis.«



14. Bernardus, Gervardus.

15. Herinus, Herwinus.

16. Basinus, qui infulas et ornamenta pontificia, et ut praescribitur, mitram, dalmaticam, sandalia, sibi posterisque a Gregorio II. pontifice quaesivisse traditur, quod tamen sub isto Gregorio accidisse, ad fidem est difficile; cum anno Domini 715 (714, secundum Baronium), quo demum Gregorius iniit, mortuo Basino, ejusque successore Ludwino, Milo jamtum

ecclesiam Trevirensem gubernaret. Porro Basinus ex abbate creatus archiepiscopus sub annum Domini 680, titulum sanctitatis in antistitum ordine et Maximiniana crypta cum veneratione tuetur. Equidem cum diligentius hoc Gregorii diploma introspexi, quo et alia privilegia de libera abbatis electione et tutela loci sanciuntur, reperi obliterata signa, et titulos annales, et attestationem hanc adjici: »Scriptum per manus Bene»dicti, scrinarii S. R. E. in mense januario, indictione XII.« — Hiatus aliquis hic est successionis. Et vero quod familiare regibus hujus aetatis suspicari proclive sceptris potius, quam mitris interibi paruisse, coactum monasterium. Lego in Pipini junioris rescripto: »denuncio me habere sub potestate regali »quoddam monasterium, ubi S. Maximinus Dei praesul est »corporaliter sepultus, constructum in suburbio Treveris, atque »dedicatum in honorem S. Joannis Evangelistae &c.«

17. Vtilardus, qui sub Martelli filio Pipino effloruit, cujus diploma vidimus anno regni 14. in palatio publico Moguntiae Vtilardo datum, cujus regiam loci tutelam, quam mundiburdium ipse vocat, et eligendi munus abbatis confirmat. — Ericus, Alemannus, S. Maximini beneficio a cacodaemonis infestatione liberatus, ejus se patroni perpetuum cultui devovet.

18. Weomadus, nota vir sanctitate, qua et pontificatum Trevirensem, coelitibus adscriptus, meruit. Weomado abbate B. Hildolphus, archiepiscopus, cum recte factorum laude suscitata, tum disciplinae novato cultu, auctisque vectigalibus S. Maximini sedem ornat et reparat, ita ut centum monachi liberali constituto alimento velut alter monasterii hujus fundator insigni commentario celebretur, qui de vita S. Hildulphi conscriptus extat in bibliotheca S. Maximini et alibi. Weomadum vero monasticae haud diu praefuisse, vel inde colligas, quod sub annum Domini 768 abdicanti Hildulpho sit suffectus. Hildulpho autem eremum petente, ex S. Maximini asceterio eum in Vogesi solitudinem, vitae sanctioris studio, secuti Spinulus, tum Joannes et Benignus, germani fratres, qui sanctimoniae magna opinione inter anachoretas hujus aetatis in Vogesi montanis floruerunt.

19. Heberardus, Everhardus.

20. Werinolfus, qui regni Caroli magni anno quadragesimo tam de regia tutela, quam libera abbatis electione, ab ipso Carolo, Paderesbornae, diploma nactus. Et Carolo posteri accepta ferunt Comiciacum, Steinselam, et in valle Alsontiensi, cujus in vicinia notum Lutzelinburgum castellum, Wimarikircham. Ada, Caroli magni soror, familiae et coetui S. Maximini accensita, meritorum et virtutis causa sepulturam ibidem accepit, de qua in vetusto rituali ita legebam: *XI. maji &c., Pie memorie Ada. ancilla Xp̃i, que multa bona ecclẽ S. Maximini contulit.* Ipsius quoque in frontispicio libri donationum titulus, cum ducissae elogio, dona fundorum Alceja, Appula cum appendicibus expressa.

21. Helizachar, cui anno regni IX. Ludovicus pius honorificas de electione abbatis libera, et exceptionibus monasterii literas dedit. Eum celebrat Amoinus, lib. IV. de gestis Francorum, cap. 15, cum Helisacharem, presbyterum et abbatem sub annum Domini 827 missum a Ludovico scribit, cum aliis, ad motus Hispanici limitis, qui Aizonis transfugae, et Saracenorum novo bello turbatus, sedandos. Erkanfrida, illustris matrona tractus Arduennensis, salutis suae et senioris sui, puta mariti, Nitholdi, causa, possessiones suas monasterio, ubi S. Maximinus cum reliquis duobus, Agritio et Nicetio, quiescit, consecrat, cum ingenti numero mancipiorum, quae in pago Wabrinse, valle Lutzelburgica, loco, qui dicitur Marisch (Mersch hodie), cum ecclesia S. Michaëlis, obtinebat, regnante Lothario, anno reparatae salutis 853, praesente Alardo comite, et fratribus.

22. Wilherius. — Circa annum Domini 870 in partitione regni Lothariensis Ludovico Germaniae regi cum urbibus et comitatibus ac monasteriis hujus nostrae dioecesis obvenerunt S. Maximinus, Ephterniacum, Horrea: Amoin. lib. V. historiae Francorum, cap. 25.

23. Hattobaldus.

24. Waldo, qui Nortmannicae cladis acerbitatem, ingenti suorum vulnere, et abolitione rerum omnium, ipsiusque monasterii, sensit. Ejus memoriam fastorum libri ad III. kalend.

novembris sic exprimunt: »Waldonis abbatis, ad quem S. »Lupum de Trecis vitam S. Maximini nonnulli scripsisse memorant.« Sed de Trecensi vel Tricassino Lupo falluntur, cum, Suario teste, Lupus, auctor vitae S. Maximini, scripserit ão 839. Caeterum Waldonem hunc monachum eum esse interpretor, quem a Ludovico Germaniae rege contra Bertulfum archiepiscopum (qui a parte Caroli calvi assumptus erat) allectum ad archiepiscopale munus circa annum Domini 870 Flodoardus, in Rhemensi historia, lib. 3. cap. 23, meminit, qua spe dejectum, probabile est, a Ludovico deinde abbatiae S. Maximini fuisse praepositum.

25. Erkenbertus, cum ad eversas monasterii facultates restituendas gratiam et benevolentiam Arnulphi regis sibi comparasset, eam quidem ão 888 munificam adeptus, veteres fortunas haud mediocri vectigalium accessione cumulavit. Etenim in comitatu Meinifeldiae Rivenachum praedium, quod olim nos, a Ripanis, Ripaniacum interpretabamur, impetravit, addidit et Vennam rex, obscuro jam situ in marca Windinga collocatam, literis, Megingaudi comitis intercessione, Regina civitate, anno regni primo, indictione VI. datis anno Domini 888. Sed Hatto, archiepiscopus Moguntinus, ex Augiensi olim disciplina profectus, ad Normannicae cladis ruinas resarciendas, apud Arnulphum collegio fratrum in monasterio S. Maximini die ac nocte servientium, plurimum auctoritate sua profuit, cum ipsius rogatu Arnulphus praedia vel nova donavit, aut vetera recuperandi jus dedit, III. idus februarii anno 893, indict. XI. anno VI. regni, Dietmaro archicapellano subscribente. Locorum vero, quae cum decimationibus salicis in usum monasterii, pauperum, hospitum et peregrinorum cessere, nomina haec erui: Apula, Evernesheimium, Prichena, Aschebach, Holtzhausen, capella in Magontia, Ribenacha, Lovena, Decima, Kannis, Alsontia, Embiloco (Emmelde), Tavena, Beschum (Bessis, Bescha), Burnechum, Matrisdorf (Martisdorf), Fulina, Everlinga, Bustatum (Buschstat), Meroldivilla, Marisch, Wimari ecclesia, Cruta, Scrama, Steinsele. Verum non diuturna haec monasterio vectigalia fuere, censusque praediorum, quorum hic expressa pars

minima, quippe Erkenberto vita decedente, S. Maximini familia, cum opibus, in Zuenteboldi regis et ducum potestatem concessit, et praepositis in abbatis locum surrogatis, monastica disciplina fere concidit. Zuenteboldi extant, quas etiam inspeximus, literae, quibus Radbodi archiepiscopi rogatu, ão 897 elegendi praepositi copiam facit coenobitis. Mansit autem in summa monachorum licentia magistratus is ad annum usque 934, quo ipso et ecclesia S. Maximini turbine eversa procidit. Reperio in precariae tabulis, ão 909 signatis, usumfructum Rorico cuidam attribui Eselingae in pago Bedensi (Bedengau postea), comitatu Widrici, Eberardo duce ipsam abbatiam tenente, et praeposito Albuino. Rursum ad annum 926 Giselbertum comitem, a quo Lutzelburgicae stirpi lucem et originem feneres, indict. IV. praefuisse lego commutationi, qua nobiles viri, Nortboldus et Franco, in comitatu Magnacensi, hodie Meinfeldia, in Brula et Caradona agros S. Maximino assignant: ipsi ab eodem in comitatu Nachgowe, qui tractus ad Navam flumen est, loco, qui Bergen dicitur, juxta ripam Kirae munitioni excitandae, rupem accipiunt. Gestum hoc regis et Rutgeri archiepiscopi auctoritate docet attestatio. Nam signarunt Giselbertus et Wolmarus, quem Henricus auceps nuper Wormatiae monasterio S. Maximini advocatum dederat. Et Rutgeri quoque metropolitani nomen citatur. — Caeterum monachi, ut additamentis chronici Reginonis proditum est, ob vitae solutionis licentiam, tandem coenobio pulsi sunt. Plura his de rebus in annalibus reperies.

26. Ogo (Hugo), factus ex praeposito abbas, vir ob praeclara, tam ingenii quam naturae ornamenta, meritaque praestantium operum eximiis hujus monasterii abbatibus annumerandus. Nam, quod priscae literae testantur, numerum coenobitarum ad 70 amplificavit, monasterium, et ecclesiam S. Maximini solo pessumdatam a fundamentis strenue erexit, et convocato antistitum coetu, magno eam adparatu, nitori antiquo restituit, translatis in novam aedem Sanctorum Agritii, Maximini et Nicetii corporibus, atque ad hunc modum: *Anno Incarnationis Dominicae 942 dedicata est nova basilica, in*

honorem S. Joannis Apostoli et Evangelistae apud urbem Trevericam a venerabili Pontifice ipsius urbis Rotberto &c. Vidi nomenclaturam veteris psalterii prolegomenis forte insertam, cujus epilogus hic erat: *Isti 70 monachi fuere hic sub abbate Ogone, qui monasterium reparavit, et ut magistri profectum agnoscas, in eo discipuli successores nominantur tres insequentes.* Caeterum Ogo religiosissimus abbas, ut eum salutavere majores, duodecim in suo munere consumptis annis, rebus monasterii in optimum statum revocatis, ão 945 in Richardi defuncti locum accersitus est ad episcopatum Leodiensem, de quo Aegydius Aureavallensis in actis Leodiensium episcoporum: *Huic successit amor plebis, tremor Hugo potentum, clarus avis, clarus studiis, recreator egentum.*

27. Willerus, cujus aliquam, rudem licet, ex ipsius epitaphio memoriam eruo. Etsi pervetustis fastorum libris de eo proditum est, post Ogonem monasterium et claustrum perfecisse, aureamque tabulam ante altare posuisse:

Hac est Willerus fossa pius abba sepultus,
Quem bonus a puero nutrivit episcopus Ogo,
Et successorem sibi dignificavit herilem,
Qui bona quaeque studens, fuit omni dogmate prudens.
Et sibi subjectis praebens documenta salutis,
Fit miserando pater, condescendendo minister.
Nonis octobris persolvit debita mortis.

Eo tempore Magdeburgum recens ab se conditum, Otto, caesar, nobili monasterio benedictini coetus, S. Joannis honori exstructo, ornavit, posuitque eo in loco, ubi hodie cathedralis ecclesia ostenditur. Primum loci antistitem prodit Tritthemius Annonem, monachum S. Maximini, virum literis tam divinis, quam humanis longe praecellentem, et non minus sapientiae studiis, quam vitae integritate venerabilem. Alii Wormatiensis ecclesiae praesulum adscribunt catalogo, quippe ex Bergensi monasterio, quod tum extra Magdeburgi civitatis muros, evocatum ab Ottone circa annum Domini 950, Vangionum episcopatum obtinuisse, et annis sedisse 24. Sepulchro titulum hunc inscriptum:

Anno vir justus, primo dilectus Othoni,
Ergo virum multa concumulavit ope.
Anno magis regi summi sed amatus Olympi,
Quocirca coeli regna beata colit.

Willero abbate, quem eruditum admodum virum prisci nuncupant, templi nuper instaurati opera fuisse perpolita reperio, altaribus anno 949 S. Cruci, B. Gregorio papae, et S. Stephano erectis; et ão 952 aris crypta superiore positis, ac dicatis Ruotberto archiepiscopo praesulatum disponente. Aõ 950 Willero lis fuit cum Ruotberto archiepiscopo super potissimo jure monasterii. Etenim Ruotbertum ferunt Reginonis supplementa, adiisse Ottonem regem, quaestumque injustę sibi, ecclesiae suae abbatiam ablatam; sed caesarum interventu et rogatu germani sui, archiepiscopi Brunonis, et Conradi ducis, petitiones et querelas Ruotberti archiepiscopi infirmasse, et ab eo jure, quod petebat, repulisse, sibique ipsi monasterii tutelam adscivisse. Quod Ottonis factum alibi in annalibus expenditur. Porro Willerus vita decessit anno Christi 957, successit,

28. Wikerus, qui impiger in augenda sui monasterii dignitate, ão 962. Ottonem Romam usque comitatus est, quando imperii insignia ibi obtinuit, et ab eodem tum stabilimenta facultatum, tum ecclesiam Theodonisvillae cum decimis omnibus impetravit. Sed et Tavenam, ad Saram fluvium, monachorum coloniam deduxit, de quo in veteribus fastis ad diem obitus ejus, VIII. idus maji: »Wikerus sacerdos et abbas, »nostrae congregationis monasterium apud Tavenam construxit, »et praedia eidem loco delegavit, et 20 fratres praebendarios »ibidem constituit.« Denique castellum Lutzilinburgum ão 963 comiti Sigifrido (an Gisilberti filio?) tradens, perpetuam illi provinciae, quae ab eodem castello nomen fert, sui memoriam relinquet (1). Sub eo Adelbertus ad summum decus effloruit, ex S. Maximini disciplina monachus, et Ruthenorum apostolus, inde Weissenburgensis amplissimi ad Vogesi radices,

(1) Ad Willerum referunt male in hist. Luxemb. concambium illud.

in emunitu, monasterii abbas, ac demum Ottonis magni studio primus creatus Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus. Unde in vetustis hujus ecclesiae ritualibus scriptum ad XII. kalend. junii: »Adelbertus archiepiscopus nostrae congregationis, obiit »966, datusque successor ei.«

29. Adolfus, legatione obita ad Agapitum II. papam, pro monasterii libertate clarus, qui cum tantum perannasset in eo magistratu,

30. Tietfridus monasticen abbas tractare coepit, qui Ottonem imperatorem in Italia secutus, Ravennae degens, ão 970 navalem evectionem immunem quovis flumine consecutus est, sed et quadriennio post amplum privilegium obtinuit, de curtibus ecclesiarum pagi Nachgowe, qui Navae flumini praetenditur. Extat precariae formula, qua Tietfridus abbas Wiefrido S. Petri diacono Trevirensi, pago Aifflensi, in comitatu Herimanni, ecclesiam in Ochisheim attribuit. Ipse ad Aram fluvium ecclesiam in villa Rifresceidt, unde illustris Eiffliae prosapia fert nomen, accepit, fidejussoribus datis, quos tunc saliburgiones appellabant, anno Domini 975. Duodecim annis administrato monasterio, vitam reliquisse dicitur, diaconi gradu contentus, ão 979.

31. Ogo II. excessit humanis rebus ão 987. Ramuoldus, ex Henrici archiepiscopi capellano S. Maximini monachus, ob asceticae vitae excellentem laudem Treviris Ratisbonnam a B. Wolffgango evocatus, ibi abbas S. Emmerani constituitur.

32. Folcardus (Volemarus, vel Folmarus), ut constat ex inscripto ejus nomini epigrammate, virtutis amans et religionis, carusque suis, vixit maxime regno Ottonis III.; labri ad usum aquandi a Gosberto et Absalone, monachis, ex aere facti, variisque versibus et eclogis exornati, monumento notus. In his duorum monachorum epigraphe, abbatem suum per hemistichia laudantium:

Vitae sectator, virtutum verus amator,
Abbas natorum, dulcis Folcarde tuorum,
Recte vivendi tu nobis forma fuisti.
Perpes in arce Dei maneat tibi sors requiei,
O quisquis spirat, sic te, Folcarde, requirat.

Folcardo abbate, Sigefridus comes I. Lutzelburgensis, ão 993 donatione facta ex Marischensi fundo, anniversariam sibi memoriam et sepulturam cum Hadewige conjuge apud D. Maximinum quaesivit. In ephemeride defunctorum legebam: »XIX. kalend. septembris. Sigefridus comes, qui contulit »nobis Mersch. Giselbertus comes, qui dedit Suvepsingam et »Letzenich.«

33. Ostradus, qui monetae, signandaeque pecuniae jus ad monasterii veteres fortunas adjungens, pervenit ad annum Christi 1000.

34. Winricus, cujus memoria sacello omnium Divorum honori exstructo vivit, ejus quippe rogatu a Poppone Trevirorum archiepiscopo ão 1018 id oratorium consecratum invenio.

35. Haricho, Hericho, qui spectata domi forisque industria ão 1023 synodo Seligestadiensi cum Eberwino, Toleiano abbate, interfuit. Eo sedente, seu quod monastice et oeconomia ob antistitis senectam non commode gereretur, seu quod mole publicorum servitiorum res, et amplissimae monasterii facultates sponte ruinam traherent, Henrici S. imperatoris auctoritate consilioque Popponis Treverensis, Aribonis Moguntini, Piligrini Coloniensis archiepiscoporum, aliorumque procerum anno salutis 1023 ingens vis praediorum et mansorum abbatiae detracta et loco beneficii certis dynastis assignata, vicissim ad compensationem levata monasterii onera, et ab armatis expeditionibus vacatio abbatibus impertita. Caeterum religionis, an poenitentiae studio Haricho, quamvis aetate gravis, Hierosolymam profectionem suscepit; in qua apud Myram, juxta gloriosam B. Nicolai memoriam, tumulum anno circiter 1024 sortitus est.

36. S. Poppo hinc multorum monasteriorum instaurator et tota Gallia, Belgioque hoc nomine, ut et sanctitatis, ac virtutis merito clarissimus Stabulensis abbas. Huic item collapso jam et vitiis suis laboranti domicilio, Henrici imperatoris jussu, leges dedit, et magnum ea causa vitae discrimen adiit; ipse vero compositis dissolutorum moribus, successorem sibi legit Joannem, alioque transiens, anno demum 1048 miraculis

et sanctitate juxta conspicuus, humana reliquit ad VIII. kalend. februarii, coelitum numero venerandus.

37. Joannes II., S. Popponis nepos et successor, cujus epicedium legitur:

Fundite corde preces, putret hic pius abba Joannes,
Heu gravis illa dies, te pater hinc rapiens!
Ecclesiae paucis hic postquam profuit annis,
Ψυχὴ judicium, σῶμα subit tumulum,
Idibus in quinis, dum fervet julius arvis,
Translatus medio redditur in tumulo
Hunc pie παντοκράτωρ vitae non mortis amator,
Poscentum votis, coetibus adde tuis.

Joannes vero, ut et successor Bernardus, ambo in aedis primariae fastis grata memoria; iste ad V. idus julii, hic ad XIII. kalend. septembris defunctorum albo adscripti.

38. Bernardus; et is Poppone adhuc superstite praefuit, bienniumque vix abbas, moriens ad Popponem denuo munus relegavit; idque ita futurum, Poppo divinitus praeceperat. Caeterum brevi post metam laboris ipsomet adepto Poppone,

39. Theodoricus I. Theodorico, viro nobilissimo, satus, atque ab incunabulis religioni a parentibus consecratus, intermortuis B. Popponis pene vocibus, abbas nominatur, monasterio locupletato et adversus cupidorum injurias vindicato non obscurus. Nam a Leone IX. pontificatus ipsius anno II. dominicae incarnationis 1051, amplissimum diploma impetravit, quo repetita ecclesiarum, decimationum salicarum, praediorum, ac possessionum longa serie, quae a regibus et imperatoribus Dagoberto, Pipino, Carolo, Ludvico, Arnulfo, Henrico, Cuonrardo, et tribus Ottonibus mirifice quondam ad usum coenobitarum, et hospitalitatis onera levanda, donata sunt, bona haec omnia, inquam, ab aliena jurisdictione eximi, et a monasterio libere administrari sancit. Aõ 1072 indict. X. dedicatum est oratorium in honorem S. Benedicti (quod nunc S. Blasii dicitur) a venerabili Trevirensi archiepiscopo Udone. Theodoricus moritur circa annum 1080.

40. Henricus I., obiit 1097. Clarescere vitae sanctimonia, et multiplicis doctrinae ingenio coepit B. Wolffhelmus, Brauwilerensis abbas, qui ex S. Maximino prodiens, Gladbaci praesul, et mox tertius a condito Bruvilerensi coenobio, in Coloniensi dioecesi, lectus antistes ão 1091, sancte vitam clausit; ejus nomen defunctorum albo apud S. Maximini inscriptum: »X. kalend. maji Wolffhelmus piae memoriae Bruwilerensis »abbas.«

41. Henricus II. de quo in ephemeride: »Idibus decembris Henricus junior, abbas nostrae congregationis.« Obiit circa annum 1100.

42. Folmarus II. Sub eo Henricus IV. anno circiter 1101 gravem in aegritudinem lapsus, simulque dolore tactus ablati quondam D. Maximino peculii, restituit, quae eripuerat, literis hac de re, quae hodieque leguntur, confectis. In defunctorum albo hoc mnemosynon relictum: »Henricus IV. rex ão 1084 ordinatus est in imperatorem a Clemente papa, ipse die Paschae, XI. kalend. aprilis, in qua ordinatione quam diu viveret, fratribus hujus loci caritatem constituit ex curtibus Suabeheim, Everinsheim, Briccenheim, quas S. Maximino sibi in viso apparenti, magna necessitate constrictus, ablatas reddidit, et Henrico filio post mortem suam, ipsam caritatem in anniversario suo fieri Folcmaro abbati praecepit, et coram principibus haec sigillo confirmavit.«

43. Beringosus, Berengozus, libello *de laude et inventione salutiferae Crucis,* aliaque id genus argumento conscripto, atque nostra memoria luce donato, clarus; superstes adhuc ipse fuit ão 1127. Legitur Henrici V. imperatoris diploma, ão 1113, VIII. idus aprilis Wormatiae datum, quo Brunonis archiepiscopi Treverici et aliorum imperii procerum interventu, bona, quae Emicho (de Leiningen, seu potius de Smideburg) comes et Gerlachus filius injuste possidebant, Berengozo restituta sunt. Sed et aliud longe prolixius, Spirae datum ão 1118, extat in Lintburgensis ecclesiae monumentis, quo interponentibus autoritatem suam Brunone Treverensi, Friderico Coloniensi, archiepiscopis, multisque aliis proceribus

utriusque ordinis, praedia duo transrhenana, scilicet Brechinam inferiorem et Selteriss, ab Anselmo Molesbergae domino, occupata, recuperavit. In Leonis IX. diplomate, altera villarum Brichina dicitur, in Enrichae pago sita, scilicet trans Rhenum; sed fundorum istorum quae inde vicissitudines extiterint, suo loco exposuimus. Tabenensis cella, seu praepositura, ob duorum Sanctorum, Autoris, episcopi, et Quiriaci, presbyteri, istic quiescentium, memoriam, Beringozo abbate magna religione floruit. Tabulae Henrici IV. ab anno 1112, indict. V. imperii ejus I. leguntur, quibus fratribus SS. Quiriaco et Autori famulantibus, fundos relaxat in Druchdildinga, et in capella Aichspeltia, annuente Wilhelmo comite et Henrico fratre, ut interpretor, Lutzelburgiis.

44. Gerardus, parum feliciter administrato S. Maximini patrimonio, accusatus apud Innocentium II. et anathemate ictus, magistratu abiit. Siquidem monasterii ac disciplinae pristinae status, opesque, tanta majorum industria longo pacis usu congestae, dum copiis militaribus et appositis armis jus avitum aliena manu protegitur, pessum iere. Ac debellato tandem advocato ex vicinia conductus, institutusque novus praelatus est.

45. Sigerus abbas electus ão 1143, quo et Adelbero soluta viventes disciplina monachos septis exegit. Eorum discessu magna veterum diplomatum jactura facta est. Cumque subinde ex Lacensi florente tum religione coenobio graves piique monachi improbis et dissolutis fuissent suffecti, illi et juris et privilegiorum minime gnari, advocatorum et ministerialium, ut fit, avaritiae praeda fuere. Porro Sigeri chirographum in annalibus exhibuimus, quo ipse Adelberoni, ejusque successoribus, fidem addicit et obsequium, unde diplomati de immunitate, quod ante triennium Innocentius II. pontificatus sui anno XI. indict. III., Christi anno 1140 prolixum illi dederat in urbe Laterani, ipse derogasse videtur. Bucellinus hoc loco Sigerum cum monachis ab Adelberone injuria ac vi pulsum memorat, atque hos postea ão Christi 1169 rediisse ad pristinam stationem docet. Sed huic sententiae D. Bernardus, id tem-

poris Adalberonis suffragator, nimium adversatur. Quanquam suis hos postea locis cum obsequio debito credere receptos, nihil vetet.

46. Arnoldus, qui item Hillino archiepiscopo chirographo manus, quod in antiquo ecclesiae cathedralis rituali legitur, promisit obsequium et subjectionem.

47. Conradus, occurrit etiam ão 1181 et 1200.

48. Anselmus, vixit sub Joanne archiepiscopo, ão 1210 et 1211; acquisivit bona in Kempt et Uerzig.

49. Bartholomaeus, cujus eximia in veteribus diplomatum chartis colligendis sparsim per diversa literis in unum corpus contrahendis enituit solertia, quippe circa annum Domini 1217 in membranis ea scite transscribi et codice nobilis operculi, quod laminarum pictis parergis et epigraphis, nec non textu lapillorum, et eburneo ascensionis Christi schemate collucet, voluit includi. Librum hunc appellant aureum. Frontispicio exterioris operimenti haec sese offert imaginum et inscriptionum series:

S. Joannes Evangelista, Constantinus Imperator Merche dictum.
Helena Regina. Fundus S. Joan. Evangel.

S. Maria . . . . Salvator
Arnolfus Imp. . . . . Dagobertus Rex.
Revenach . . . . decimae cum appendiciis.

Ascensionis Dominicae Trev.

Henricus Rex (1) . . . . Pipinus Rex
Theodonis villa . . . . Remihe Tavene
Maximinus Archiepiscopus
Karolus. Rex. Cumic̃. (2) Steinsel. Wimeriskirch.
Ada. Ducissa. Alcei. Appula. cum appendiciis.

(1) Primus.
(2) Cumicianus.

Bartholomaei vero abbatis magnam deprehendi sedulitatem in cultu quoque sacrorum instaurando, et procuranda religione, quam ut florentiorem haberet, multa mensae suae detracta, vel parsimonia quaesita in victum et annonam congregationis erogavit, et ex iis altarium patrocinia et luminaria templis debita restituit. Quantum vero et gratia et auctoritate apud principes ecclesiae primores valuerit, ex hoc memorabili inito, datoque a majore clero pietatis et amicitiae foedere, obscurum esse non potest.

»Conradus Dei gratia praepositus, Wilhelmus decanus totumque majoris ecclesiae Treveren. capitulum, dilectis in Christo fratribus, viro provido et discreto Bartholomaeo abbati monasterii S. Maximini Trev. et eorum successoribus in perpetuum. Cum vestrum monasterium sit membrum nobile ecclesiae Trev. propter magnae antiquitatis dignitatem et loci religionem, vobis debitum honorem libenter impendimus, et vos in nostram assumimus fraternitatem, ita ut obitus fratrum vestrorum de caetero celebrare debeamus, ut nostrorum. Vobis et dilecte frater abba, vestrisque successoribus hunc tribuimus honorem, ut, quando placuerit in refectorio nostro sedere (valeatis), cum praelatis refectionem sumentes, quantum largitor omnium bonorum, Deus, eo nobis tempore ministrabit. Anniversarium et diem obitus vestri d. abba celebrabimus cum debita solennitate et propinatione. Supplicamus etiam discretioni vestrae, quatenus intuitu Divinae remunerationis nostrorum defunctorum obitus celebretis de caetero ut vestrorum.«

Vixit autem Bartholomaeus (electus ão 1216), ut ex tabularum monumentis liquet, ão 1225, quo Theodorico archiepiscopo annuente, ad B. Agritii anniversariam memoriam honestandam, sancitum est, ut trium collegiorum clerus, puta majoris ecclesiae, S. Paulini, et B. Simeonis, in D. Maximini basilicam, ad sacra rite celebranda, conveniret. Atque hinc nobilitatis quoque in hoc monasterio praecipuus respectus extitit.

50. Henricus III. Bruchius, 1230, qui titulum fert a dominio, quod ecclesiae Trevirensi hodieque paret. Ipse ão 1237 xenodochio pauperibus in vicinia constituto, Arnoldo archiepiscopo ad Innocentium IV. honorifica legatione impetrato pallio posteritati memorandus, sed et monasterii parte flammis nuper absumpta, ut potuit, reparata, et insigni celebritate ão 1245 dedicata, clarior decessit ão 1257.

51. Henricus IV. de Duna, ex Silvestrium comitum, ni fallor, prosapia, Fridericum II. imperatorem contingens sanguine. Epitaphium ejus quam pridem in lucem exiit. Lego in defunctorum albo, Conrardum comitem Silvestrem et Gillam, conjuges, qui censu in Hessingen constituto, anniversarium promeruerunt.

52. Antonius I. electus ão 1284, exili reditu bis centum frumenti modiorum alienati, memoria perstrictus est.

53. Godefridus de Holfitz (Houfalize, Hohenfels?) diem clausit ão 1303, sacra luce S. Valerii. Epitaphii ipsius evulgati exordium est: *Heu vir multorum mortem subiit meritorem.* Et in ephemeride, ad IV. kalend. februarii: »Godefridus abbas nostrae congregationis de Hoheweilsch.«

54. Theodoricus II. a Brunshorn, qui 1352 exiit sponte longaevo 52 annorum magistratu, et obiit sexennio post. Brunshornia vero gens feudis imperialibus, quae ecclesiae tandem Trevirensi cesserunt, in Ellentzia, Poltersdorfio, Bilsteinio, longe celeberrima fuit.

55. Otho de Genepe, Theodorici nepos, ex praeposito Werdenensis monasterii, Coloniensis dioecesis, Clementis pontificis nutu submissus, quindecim annos afflixisse magis, et helluationibus exhausisse scribitur, quam sublevasse rem monasterii. Vitam ad annum usque 1367 extendit.

56. Roricus de Eppelborn, magna adversus coenobium meritorum gloria, possessionibus Caroli IV. favore stabilitis, domicilio (Vertzrich dicto) in urbe Treveri, et velut rebus male securis perfugio quodam constituto, floruit; ejus non solum domi, sed apud diversae familiae religiosos spectata benignitas. Virginum S. Barbarae in Treverensi suburbano

levandae inopiae, anno uno ante obitum Dalheimensem ecclesiam cum decimis et fructu, congregationis suae assensu, liberaliter attribuit. Cupidus ipse, venerationem patroni, S. Maximini, longe latiusque proferendi, aõ 1377 penetralia cryptae, in qua S. praesulis corpus humatum quiescit, pridie SS. Trinitatis, clam noctu subiit, et ademptum inde caput thoracidae argenteae fusili opere venuste includendum curavit. Vitam reliquit aõ 1411.

Memorabilis illa congregatio seu abbatum conventus extitit, qui jussu et bullato decreto Martini V. pontificis, ex omnibus, utriusque metropolis Trevericae et Coloniensis, quam late ab Lotharingia, usque ad oceanum in Hollandia patent, nigrorum monachorum, id est ordinis S. Benedicti monasteriis coaluit, anno Domini 1422, indict. XV., anno pontificatus Martini V. papae quinto, mense octobris, in hoc celeberrimo S. Maximini monasterio. Affuere ex omnibus hisce provinciis abbates, vel eorum procuratores, primum Treverici, ex scriptis hisce nostris noti, ex suffraganeorum dioecesibus, Tullensi, Senoniensis, S. Mansueti, S. Apri, Mediani monasterii; Metensi, Busonisvillae, Gortziensis, Hornebachius, vel S. Pirmini: desiderati non sine animadversione ex ipsa civitate, abbates S. Arnulfi, S. Symphoriani, S. Clementis, S. Laurentii, S. Martini, alii, ut S. Naboris et Glandariensis. Ex Virdunensi affuere S. Agrici, S. Vitani, de Bello loco, S. Michaëlis, et prior Nanceianus.

Conveniendi concilium Martinus pontifex diserte explicavit, edita bulla, qua post restitutam ecclesiae, sublato schismate, pacem partium suarum et in votis antiquissimum ostendit, florentissimo olim ecclesiae membro, sed majorem jam in modum languenti medicinam adhibere et majorum suorum leges, familiae S. Benedicti praescriptas de capitulo generali ex triennio in triennium celebrando, aliasque constitutiones de reformandis collapsae disciplinae moribus instaurare ac revocare. Quapropter severa interposita censura pro imperio quoque abbatibus his, S. Maximini, S. Matthiae, Gortziensi et Tholeigiensi edixit, ut coëundi et convocandi initium facerent, omnem eis coërcendi et animadvertendi tribuens auctoritatem,

et praescripto et formula constitutionum, quas Bonifacius VIII. et Benedictus XII. hac de re publicarunt. Itaque omnibus ad conventum, sive capitulum ineundum mature deliberatis ac constitutis, die 18. octobris, quae S. Lucae sacra, affuere Treveris abbates, et de communi sententia praesedere consessui Lambertus S. Maximini, Joannes S. Matthiae, Thomas S. Mauritii in Tholegia, quibus accensitus ex Leodiensi dioecesi Carolus, abbas monasterii S. Joannis Baptistae Florinensis. Atque prima disquisitio circa absentes, in quos ubi animadversum est, et rationes una expensarum subductae, proponi coepere necessaria correctu summa rerum capita, quae cum ex sacrorum canonum, tum observatione peculiaris usus, tum potissimum ex Innocentii III., Clementis V., Bonifacii et Benedicti decretis, tum literis apostolicis a Martino V. tum praepositis, posita sunt. Atque exceptis quidem iis, quae de visitatorum munere, qui quos deberent inposterum adire et inspicere mutuo; de carnium esu prorsus abolendo, canibus et instrumento venatico tollendo ex monasteriis; mendicantibus in familiam S. Benedicti non coaptandis, constituta sunt; omnia ferme celeberrima illa decreta hic fuere praerogata, ac praefinita, quae postea ad annum Domini 1439 concilium Basileense per ejusdem instituti abbates ex ipsa patriarchae regula et Benedicti XII. constitutionibus excerpta proposuit et in 39 articulos, prout jam apud Tritthemium leguntur, digessit. Extant in Treveris hoc titulo: *Statuta reformationis nigrorum monachorum, ordinata in provinciali capitulo ordinis S. Benedicti provinciarum Coloniensis, et Treverensis, in monasterio S. Maximini extra muros Trever. celebrato anno Dominicae Incarnationis 1422.*

At quis legum opportune conditarum, quis salutarium praeceptorum fuerit exitus, conjicere ex eo liceat, quod hoc eodem anno, cum Otto Treverorum archiepiscopus, bene constituta revocare parat ad usum, pertinaciam sit eam expertus coenobitarum, ut cervices inflectere, et suavi colla jugo subdere plerique recusarint. Unde et ex alumnis S. Maximini nonnulli gravi coercitione mulctati, alii in diversa deducti ac dissipati

sunt. Ac de irrito hoc Trevericae reformationis eventu, queri Tritthemius videtur oratione V., quam ão 1496 in capitulo Reinartzbornensi recitavit, ubi cum laudatissimas majorum reformationes collapsas deplorat, etiam Trevirensis meminit. Lambertum abbatem pontifici Martino probatum fuisse, et inter tot illustrium abbatum exempla et meditamenta virtutis sapuisse ad tempus crediderim, donec ab Ottone archiepiscopo anno salutis 1427 ob contumaciam noxae deditus est, et secuta disciplinae instauratio. Spatium ei vivendi sat justum contigit, quod annum usque 1449 produxit. Observavimus ab hac aetate S. Maximini veteri haereditate plurimum dispersa, et ab alienis vi, doloque detenta, sero demum vindiciarum, et recuperandarum rerum actiones susceptas, et in hanc rem sedis apostolicae, sed frustra fere, opem imploratam. Extant hujus argumenti Martini V., Calisti III., Sixti IV., Innocentii VIII. diplomata. In Cunonis archiepiscopi gestis annotatum, ejus auctoritate camerarii quoque dispendiosum et inutile munus ão 1369, id rogante et volente cum abbate, congregatione, fuisse sublatum.

57. Henricus de Seina,

58. Henricus Mull de Novo castro,

59. Lambertus a Sassenhausen, simul praelaturam invasere. Nam dum tetra ambitionis lues infesta S. Maximini familia suffragiorum calculos varie distrahit, scissis in contraria monachorum studiis, quae triumviratus accenderat competitorum, tres eodem pene tempore creati abbates, quibus coenobitae tamen elogium eorum virtute dignum reliquerunt, praefuisse, at non profuisse. Lambertus, electus ão 1411, obiit 12. junii 1449.

60. Joannes Vorstius, quondam S. Matthiae Treveris, et S. Pantaleonis Coloniae abbas, rexit modo triennium, obiit enim 4. julii 1453.

61. Antonius II. Trubelius, sive de Tribulis, ex Cella Monachorum, sive Ethonis monasterio, tractus Argentoratensis, huc accersitus, qui laudabiliter quidem munus implesse scribitur, adduci tamen nequiisse, ut ad unionem Bursfeldensem sui sese adjungerent. Extat festivus in hunc Antonium jocus, cui cum

a racemo vel botro cognomen esset, et in priore monasterio repulsam passus Henrico Reiff, ob potiora suffragia concessisset, cui pruina nomen dabat, vulgo ferebatur, »Egelidam et sterilem »botris nocuisse pruinam.« Rexit annis omnino triginta, vita abiit 31. julii 1482, id quod epitaphium diserte testatur, addens religiose praefuisse, multaque oppignorata redemisse.

62. Theodoricus de Selem, ex cellario abbas, brevis aevi, et inglorius, Christi facultatibus, ut ajunt, male collocatis, decessit ão 1483.

63. Otto II. ab Elten, abbatis honorem sapienter gessisse proditur, et fluentes coenobitarum mores Epternacum dimissis noxiis, castigasse. Praefuit autem 19 annos, obiitque ão 1502.

64. Thomas ab Heusden, Brabantinus patria, cum Epternaci ab Ottone degere jussus, prolapsos veteres coenobii mores atque fortunas magna sedulitate revocasset, ad D. Maximini familiam gubernandam excitus, probe et utiliter coenobitarum et animos et facultates habuit; majorum privilegia, Maximiliano imperatore favente, recensuit. Jacobi archiepiscopi magna gratia circumfluxit; in sua disciplina duo de triginta sacerdotes, et in iis ingenii, doctrinaeque, ut illa erant tempora, praeclaros aluit. Nec domesticae virtutis laude contentus, fructum disciplinae, et accuratius vivendi studium quoque foras protulit, cum in finibus Lotharingiae claram S. Naboris abbatiam per suos instauravit; Adamo enim istic sponte abdicanti, submissus hinc Matthias Biedburgius, comitatus septem aliis monachis. Matthia vero diem suum obeunte, postulatus itidem ex hoc monasterio Nicolaus de S. Aldegunde. Extat titulus memorialis, quo utriusque et Thomae et successoris Vincentii a Jacobo Gladbachio, hujus monasterii alumno, calligraphiae peritissimo, ceu ipsorum aequali, et discipulo, vitae praeconia describuntur. De Thoma quidem inter caetera canit:

Laudibus astabat divinis, otia vitans,
Nil operis fluidi his praetulit aptus heros.
Crevit eo studio decus et substantia rerum, et
Invadiata diu sunt resoluta loco.
Vestibus ecclesiam, libris, vasisque sacratis,
Et numerum fratrum auxit honore Dei.

Condidit egregiam cellarum sive quietis
    Expensis gravibus, dante Deo, ecce domum.
Dein cupiens veterem ecclesiam fulcire, columnas
    Intus et exterius constituit stabiles.
Noxius hunc humor pressit, qui dicitur hydrops,
    Quo moderante Deo decubuit patiens.
Anno milleno, quingentis bis quoque septem
    Quarto nonarum julius hunc rapuit.

Thomas itaque duodecim in suo munere positis annis, pie vita migravit 4. julii 1514.

65. Vincentius a Cochme, patria, Mosellae oppido, nomen gerens, qui in calamitosa et infelicia lutherani furoris et Sickingiani belli tempora incidit. Quare gravissima rei familiaris damna, coenobitarum exilia, dispersionemque perpessus, avitas tandem majorum fortunas, templum ipsum et praecipua loci domicilia a civibus diruta, et inflammata, in ruinis et busto jacere vidit. Hinc ob damnum factum, et res monasterii recuperandas, diuturnam cum civitate litem apud caesaris tribunal ingressus, sedes quidem recuperatas instaurare coepit, sed temporum injuria et reconventione dilatus, damnificati causam peragere non potuit. De illo, quem ante laudavi poëta, scripsit multa, praesertim quae ad belli casum pertinentia, a nobis alibi commemorata sunt. Thomae decessoris opera in structuris inchoatis, et emendatioris vitae institutis imitari et perficere studuit, scriptoriae et artis oeconomicae peritus, et magnis corporis, ingeniique dotibus, pius et benignus in suos, atque exemplo conspicuus. Cladis sub eo acceptae tempus his versibus expressit Jacobus monachus:

MDX. gemino connectas I. geminatum,
    Tempora perfidiae seu mala fata notant,
Idibus octonis september currit in axe
    Ingruit, invadit sors metuenda nimis.

Rexit monasterium Vincentius undecim annis, et pestis tunc grassantis contagione vulneratus, naturae concessit ão 1525. Ei a Bartholomaei Latomi musa positum hoc epitaphium:

Conditur hic abbas Vincentius invida postquam
Cessarunt summo laedere fata die.
Incensam hanc divum sedem clarosque penates
Vidit, et hostili tecta furore rapi.
Caetera sat felix: nisi reddere lapsa parantem
Pressisset dura Parca citata manu.
Nunc meliora tenet coelesti sede potitus
Et quem speramus contigit ante locum.

66. Joannes, oppido Cellis, prope Mosellam, ortus, Vincentio successit ão 1525 (infeudatur 18. aprilis 1526); is quemadmodum abbatis munus habuerit, Joannis archiepiscopi Trevirorum, quam meo testimonio, posteris constare malo: is namque hoc illi epitaphio parentavit. *D. Joanni a Cellis abbati reparatori hujus monasterii, qui per annos XXIII. monachorum gregi sibi commisso feliciter praefuit, atque illius commodis, quieti et fortunis vigilantissime prospexit. Joannes ex comitibus de Isenburg archiepiscopus Trevirensis et prius coadjutor, deinde commendatarius et successor posuit. Vixit annos LXXIV. obiit anno 1548 undecima julii.*

67. Joannes ab Isenburg, archiepiscopus administrator, qui anno 1549 vicarium abbatis munus praestanti viro Joanni a Petra, aedis primariae archidiacono, mandavit. Porro cum Isenburgius ão 1556 vitam reliquisset, et Joannes a Petra ejus in locum creatus archiepiscopus successisset, post ingentia bello Brandeburgico accepta damma, multiplicesque controversiarum ambages, denique

68. Petrus Reckius a Luxemburgo suorum suffragiis ão 1556 abbatis honorem adiit, quem ille duodecim annis non infeliciter omnino tenuit. Ei

69. Matthias a Saarburgo ão 1568 surrogatus (jur. 12. decembris 1572), coenobio ac monasticae disciplinae salubriter invigilavit, rebusque prudenter administratis, humana reliquit 15. decembris 1581, et eodem mense creatus abbas,

70. Reinerus Biwer, Trevirensis, qui restituendo xenodochio, templo et aliis publice privatimque suscitandis et moliendis operibus haud mediocriter operam studiumque suum omnibus approbavit. Constat Reineri ingressum exspectatione probatae

indolis multorum laeta precatione exceptum, nec ipsius gratulationi defuisse soc. Jesu gymnasium, quod tunc florentium ingeniorum foecunditate quadam exuberabat, editis in lucem epigrammatis, honori illius scriptis et elaboratis. Ex iis recolo chronodistichon benedictionis, quam Petrus Binsfeld, doctissimus suffraganeus, impertiit:

CVM Leo tres pVeros reInere per aethera soLeIs
EffICeret, CapItI est InfVLa IVnCta tVo.

Electionis autem uno versu annus, mensis, et dies expressus:

ECCe VagVs CVM soL CaprICorno est seXtVs, et abbas.

Magnitudinem animi structurarum molitione, emptione dominatus Freudenbergici, in consilio prudentiam variis magnatum congressibus, comitatem morum, obvia ac facili sui copia, et cujusque generis hominum consuetudine benigna, tum erga inopes singulari propensione, literarum ac sapientiae amorem, multis in homines eruditos collocatis beneficiis, saepe testatus est. Talem Reinerum fuisse, accepimus: verum imparem tandem curarum moli ipsoque aetatis et animi vigore fractiorem, consortium muneris et dignitatis, arbitrio denique suae congregationis submisisse. Quare suffragiis in commune collatis, āō 1609, die 28. mensis octobris, ex corpore monastici coetus dilectus Nicolaus Honthemius, Trevir, in spem futurae successionis coadjutor, quam muneris procurationem, ut praesens auctoritate sua moderatus est Attilius Amaltheus, Athenarum archiepiscopus, sedis apost. legatus, ita pro potestatis amplitudine munus ipsum Paulus V. pontifex maximus probavit āō 1610 XVII. kalend. maji. Porro Reinerus abbas haud ignarus otio religioso molestias haud exiguas plerumque deponi, ad vitam privatam se contulit, in qua temporis satis ei superfuit ad pie honesteque vivendum, fruendumque partorum operum memoria. Processit sua maturitate, morbique vi coactus ad annum Christi 1613, quo usus supremo sacerdotis societatis Jesu, quam in omni vita coluit, opera, spiritum ad coelestia duci, dirigique voluit, quem Deo tandem reddidit 8. septembris 1610, in aula basilicae

septentrionali, egregiis operibus ab se exornatae, ante aram cum hoc elogio sepultus, quod annis 32 gregi sibi commisso fideliter praefuerit. Epigraphen ligatam adscribere non pigebit: sic habet.

Hanc aram sacram tumulo quis conditus ante,
Lector amice rogas, qui peregrinus ades.
Reinerus Biever recubat venerabilis abbas
Cui natale solum Treveris ipsa fuit.
Dum vixit magno ille Deum dilexit amore,
Hancque Dei magno rexit amore domum.
Haec animo magno sublimibus alta columnis
Erexit templa, et turribus aucta suis.
Pauperibus, miserisque pater mitissimus, ut vix
Inconsolatum linqueret ire loco.
Qui vivus coluit Benedictum, inter benedictos
Mortuus aeterna in pace quiescat. Amen.

Dies et annus mortis.

DVM VIrgo genItrIX VItaLes eXIt In aVras,
Abbas ReInerVs regna sVperna sVbIt.

71. Nicolaus Honthemius a Biwero jam ante quadriennium, votis religiosorum suffragantibus, adjutor delectus, post mortem illius absoluta potestate moderari rem monasticam coepit, illa prudentiae ac virtutis opinione, quam jam olim in animis eligentium concitaverat, quanquam aeris alieni ad egregium basilicae opus absolvendum impensa, et lis de suprema jurisdictione, superioribus cum archiepiscopo annis coepta, aliaeque temporum difficultates haud leviter praesulis supportantis humeros presserint. Inter haec dum aequo, magnoque luctatur animo, in publica jubilaei solennitate, praesulum procerumque cum ipso electore archiepiscopo stipantium coetu circumdatus, postquam eucharisticum palam ferculum ad aedem metropolitanam praetulisset, tanquam ultimo vitae, ac pietatis officio functus, suffocante catarrho oppressus est, postquam annis 8, et mensibus 7 praefuisset, hac una satis voce laudatus, quod religiosissimi praesulis encomium, Bucelino referente, mereatur.

72. Petrus Freudenbergius, in defuncti locum communi suffragiorum jure vocatus, rara humilitatis laude obluctatus est, tam se indignum hoc loco aestimans, quem alii dignum praedi-

cabant. Nec acquievit, donec Antonius Albergatus, legatus ad Rhenum inferiorem Romanus, pontificia auctoritate iteratam electionem imperaret; qua instituta idem Petrus omnium calculo prodiit. Igitur suprema potestate capessere pedum jussus, tanta illud demissione tractavit, ut non praeesse magis aliis, quam servire videretur, rarique exempli loco id passim acceptum sit, *noluisse imperare.* Primum vero a Dei honore exorsus studium, absolutam recens basilicam ad 29. augusti anni 1621 sub auspiciis legati apostolici solenni ritu consecravit, utque, quod reliquum erat, gubernationis tempus ad animae suae proximorumque salutem optimis vitae rationibus impenderet, mensem integrum in domo probationis Trevericae sub cura patrum societatis in sacris D. Ignatii commentationibus insumpsit, quas ão 1603 ante hujus religionis ingressum magnopere sibi ad integritatem vitae profuisse senserat; quibus munitus praesidiis, suis deinde ascetis non imperio magis, quam exemplo praefuit dux ipse, auctorque religiosae sanctitatis, adeo ut disciplina domesticorum inspecta, apostolicus nuntius appellarit *domum sapientiae et sanctitatis.* Alteram post monasticae rei curam aegris se pauperibusque debere credidit, quibus non contentus sua, verum se ipsum quoque ad servitium, non sine vitae inter contagiosos discrimine impendere volupe fuit. Hostibus etiam religionis ex Palatinatu profligatis, atque in hospitali monasterii exceptis, propria manu inserviit, cibos aegris porrigens, lectumque sternens. His, aliisque virtutibus consummatus, in brevi explevit tempora multa. Quare et mihi has in brevi sepulchri ipsius epigraphe complexas, proponere satis hoc loco fuerit. Sic illa habet:

Hospes adsta, et lege, saxo hoc tegitur admodum R̃dus Dñus D. Petrus Freudenberg S. Maximini abbas electus anno 1621 10. junii, vita integer, moribus candidus, religione S. Benedicti germanus filius. Pedo bis repudiato victor sui. Vigilantia pastor diligens. Obiit anno 1623 octobris 21. religiose sancte. tu animae bene precare et abi.

De illius morte, quae alibi in annalibus hoc anno tradidimus, non repeto, quod funestarum rerum memoriam revocare

non libeat; ex convivio aliorum, cum mortem se referre domum sentiret, tanta illam animi constantia ac resignatione admisit, ut mori juxta ac vivere paratus, aemulorum famae parceret, ignosceret invidentibus, et in Christi crucifixi oculis, amplexibusque, post sacramenta omnia rite percepta, acquiesceret. His postremum suos affatus verbis: »En fratres mei, morior, neque invitus, cum sic vixerim, ut non poeniteat vixisse, sic morior, ut vitam meliorem exspectem. Alteri locum cedo. Eligite non quem caro et sanguis, sed quem divinae zelus gloriae persuadet. O caecae hominum mentes, quae hanc metam non considerant, in qua ego modo consisto, et omnes post me stabunt.« Nec multo post circumstantibus in lacrymas solutis, olorina ipse voce, tanquam suis praeludens exequiis, concinere aggressus est hymnum ecclesiasticum: *Jesu redemptor omnium.* Denique inquiebat: *in manus tuas commendo spiritum, abeo,* simulque conticuit, et benedictione suis ordine data, oculos in morte conclusit. Felix mors, quae talem vitam habet, et vita, quae mortem.

73. Joannes Agritius Reckingen in sacro religiosorum comitio, consensione omnium praelatus a Petri morte electus fuit, praesentibus Petro Richardoto, Epternacensi abbate, et Ernesto a Rupe, praeposito Fuldensi, qui ut viri probatissimi, veterum more, legitimae electioni testes, judicesque adsisterent. A quibus deinde, ut notis peritisque rerum ac personarum illius coenobii arbitris de vita et moribus electi, legitimaeque ad electionem processionis formata instructio, nuntioque apostolico, Francisco Montorio, 4. novembris 1623 Leodium transmissa, ut expensa ab ipso ad sedem apostolicam pro confirmatione impetranda destinaretur. Verum praeoccupatus aliorum informatione nuntius, bullam Gregorii XIV. pontificis neglectam esse affirmabat, qua statueretur, ut ecclesiae Romanis immediate subjectae, sive illae regulares essent, sive cathedrales, electorum suorum praepositorum vitam moresque apostolici nuntii instructione descriptos exhiberent. Qua cunctatione effectum est, ut D. Guilielmus Husmannus a Namedy, summae aedis praepositus, Romam ad pallium archiepiscopale pro Philippo Christophoro

impetrandum legatus, spatium nactus sit, sibi primum hanc praelaturam, commendae nomine, ac deinde, cum se imparem ad illius defensionem dignitatis animadverteret, archiepiscopo suo adversus Agritium, pontificis indulgentia, vendicavit. Contra Ferdinandus caesar, Hispanique tutelae nomine, abbatem complexi, electionem ejus ratam habuere, eundemque qua armis, qua rationibus contra archiepiscopi machinamenta, non sine auri aerisque interventu structa, propugnarunt. Quare et ipse denique archiepiscopus desperatione causae adversus tam validum patrocinium tuendae ictus, jus praelaturae collatum, in pontificis, unde tributum erat, manus rursum consignavit. Qui cum annuam quatuor millium scutorum in favorem cardinalis Cleselii pensionem, confirmationis gratia deposceret, neque caesar imperiique status hunc Germanis insuetum morem probarent, haesit longa, ancipitique suspensione, confirmationis negotium dum illam a morte Philippi archiepiscopi Innocentius X. pontifex, non sine commiserationis sensu, optimo praelato Agritio, tot adversitatum procellis jactato lubens, volensque indulsit, quam hactenus non tam aliena ab Agritio voluntate, quam metu offensionis Gallicae (cujus se regis partibus archiepiscopus tradiderat) cunctanter differebat. Sed et illud deinde eidem Agritio ex voto fluxit, quod adjutorem cum futura successione, a sede etiam apostolica confirmatum videre meruerit, quo perinde ut pater, de nato sibi praeter exspectationem haerede filio gaudebat. Sub hoc enim nuntium tanquam vitae jam satur, monasteriique post longam jactationem procurata quiete, infirmitatem sibi incumbentem hilari animo complexus, sancta in pace quievit. Vir multarum virtutum praesidio adversus omnem fortunae casum ita munitus, ut neque secunda elatum efferrent animum, neque adversa dejicerent, uno omnem sortem vultu animoque excipere solitus. Ad quam illum constantiam animus Deo junctus, inculpataeque vitae integritas, et nihil metuens conscientia recte factorum erigebat. Juncta in ipso cum humanitate prudentia et monasticae disciplinae observantia, jam olim novitiorum instructioni admoverant. Subinde prioris etiam vices magna omnium approbatione functus, his demum

auctoramentis praelatura in caeteris dignissimus visus est. Et hanc religiosa non minus modestia, quam auctoritate et sapientiae aestimatione muniebat, licet humanitate par infimis, victusque parsimonia aequalis subditis videretur. Profusam ipsius in pauperes, indigosque liberalitatem cum alii, tum societatis nostrae collegium, belli calamitatibus haud leviter afflictum, etiamnum grata recordatione tenet, non peritura ejus memoria, dum annuae benefactorum nostrorum tabulae superfuerint. Egere quandoque ipse maluit, ne alii indigerent, cum pauperum amicorum sentire necessitatem magis videretur, quam suam. Dignus ut nullam in aeternitate ferat miseriam, qui tam cupide in tempore sustulit alienam. Natus ão 1579, venit ad conversionem 1602, ordinatus sacerdos 1606, electus in abbatem 21. octobris 1623, confirmatus ab Innocentio X. ão 1652, obiit 11. augusti 1655, aetatis suae 77; sua etiam num laude apud posteros superstes.

74. Maximinus a Gülich, Vitensis, in vacantem subinde locum prisco electionis jure successit, quem hactenus concitatae de se exspectationi respondere digna prudentiae, pietatis ac virtutis suae probatione intelligimus. Uno regimen illius eventu infelix maxime est, quod nobilissimum hujus abbatiae et monasterium et templum, quo tota archidioecesi nullum illustrius, a Gallis ão 1674 destructum, funditusque subrutum fuerit. Hi enim, cum occupata urbe sub Ludovico XIV. Galliarum rege, urbem ante annum expugnatam, omni arte munirent, monasterium vicinum, ne qua in re hosti serviret, voluere dirutum. Quod furiosus urbis gubernator, comes de Vignory, rege persuaso, tristi ruinarum ingentium spectaculo executus est immanius, quam ulli hactenus barbari praestiterunt. Ita antiquissimae memoriae opus, ex Constantini olim magni palatio coeptum, a Dagoberto, Francorum rege dotatum, ingentibus ante saeculum innovatum sumptibus, triplici innixum cryptae, innumeris Sanctorum corporum reliquiis illustre, subversum est, vix ulla recuperationis spe relicta. — Maximinus, natus ão 1610, mense majo, venit ad conversionem 6. augusti 1631, ordinatus sacerdos ão 1636, electus in coadjutorem

2. junii 1654, confirmatus coadjutor ão 1655, ac eodem anno per Agritii obitum successit in regimine abbatiali. Juravit 3. novembris 1661, obiit, hydropisi extinctus, 29. decembris 1679, in domo refugii Trevirensis, sepultus in ecclesia S. Martini prope Treviros.

75. Alexander Henn, natus in S^{to} Vito, 10. februarii 1643, venit ad conversionem 10. augusti 1662, ordinatus sacerdos 5. martii 1667, electus in abbatem 10. januarii 1680, juravit 31. januarii 1681. Monasterium cum ecclesia erexit, instruxit bibliothecam, rursumquè instituit studia, et tandem vir incomparabilis, vix sibi similem habiturus, lumen ordinis et corona abbatum, obiit 20. maji 1698.

76. Nicetius Andreae, ex Reckingen, natus 14. septembris 1661, venit ad conversionem 14. maji 1684, ordinatus sacerdos 20. decembris 1687, electus in abbatem 30. maji 1698, ex pastore Schwabenheimensi. Praefuit temporibus bellicosis, novum exstruxit aedificium a dextris abbatiae, restituit villas in Lonquich, Mertert, Rittersdorf, et optime meritus de abbatia, obiit, apoplexia tactus, 19. octobris 1719. Vir apprime pius, et bonus.

77. Nicolaus Paccius, ex Mayen, natus 19. aprilis 1668, venit ad conversionem 12. maji 1686, ordinatus sacerdos 20. septembris 1692, electus in abbatem 6. novembris 1719 ex praeposito Schwabenheimensi. Praefuit temporibus pacis, novum exstruxit hortum cum fontibus, quos et induxit in monasterium, introduxit musicam, multa debita solvit. Obiit dignissimus abbas, lenta tabe exhaustus, 25. augusti 1731.

78. Martinus Bewer, natus in Monjoye, 30. januarii 1674, venit ad conversionem 25. julii 1692, ordinatus sacerdos 22. februarii 1698, electus in abbatem ex praeposito Schwabenheimensi 4. septembris 1731, confirmationem accepit 1. aprilis 1732, benedictus Coloniae a nuntio apostolico 11. maji 1732. Licet praefuerit temporibus bellicosis, tamen villam in Emmel aedificavit, binas campanas majores fundi curavit, debita solvit; plenus meritis obiit 8. aprilis 1738.

79. Willibrordus Scheffer, natus Luxemburgi, 3. octobris 1700, venit ad conversionem 15. augusti 1720, emisit professionem 14. septembris 1721, ordinatus sacerdos 23. septembris 1724, electus in abbatem 21. aprilis 1738, benedictus in propria ecclesia a suffraganeo Trevirensi, Lothario Friderico de Nalbach, 9. novembris 1738, juravit 10. junii 1739. Vir integerrimus, pius religiosus, prudens oeconomus, humilis aulicus, fidelis consiliarius, perfectus praesul. Obiit 29. octobris 1762, post decantatam missam funebrem apoplexia tactus.

80. Willibrordus Wittman, natus Treviris, 28. junii 1717, venit ad conversionem 28. augusti 1737, emisit professionem 22. septembris 1738, ordinatus subdiaconus 1739, diaconus 1740, 12. martii, sacerdos 22. septembris 1741, electus in abbatem 11. novembris 1762, benedictus Coloniae a nuntio apostolico feria secunda pentecostes, 23. maji 1763. Apoplexia tactus obiit in hospitali S. Elisabethae 15. decembris 1796, sepultus in parochiali ecclesia S. Michaelis, ante altare S. Elisabethae.

81. Benedictus Kirchner, natus in Simmern, 11. februarii 1741, venit ad conversionem 6. augusti 1764, emisit professionem 20. augusti 1765, ordinatus subdiaconus 21. septembris 1765, diaconus 20. septembris 1766, sacerdos 4. aprilis 1767, electus abbas 7. februarii 1797. Vidit tempora iniquitatis, tristitiae et desolationis, vidit, heu! suppressionem antiquissimi et celeberrimi monasterii. Vixit in desolatione abbas ille usque ad 28. diem novembris 1813.

Reliquiae Sanctorum, et rariora antiquitatis cimelia.

Nobiles hic reliquias trecentorum ex Thebaea legione martyrum, qui sub praeside Rictiovaro hoc campo olim martyrii loco crudelissime trucidati sunt, quiescere corporibus in puteum unum congestis, vetus est traditio. Sed principatum jure obtinet S. Maximinus, alter post Agritium (ibidem loci, ut creditur, sepultum) archiepiscopus, istuc a S. Paulino successore, illatus, unde et monasterio nomen mansit. Accessere tria itidem

Sanctorum archiepiscoporum corpora, Nicetii, Basini et Weomadi, cum D. Asteriolo martyre. Quibus aliae Sanctorum martyrum reliquiae, ut S. Stephani protomartyris, brachium, et alterum brachium S. Vincentii, tertium S. Lazari, a Christo suscitati, adduntur, tum etiam pars notabilis ex S. Laurentio martyre, S. Sebastiano, S. Mauritio sociisque, et Clemente et Cornelio pontif., SS. Valentino, Quirino, Martino, Nicolao, Athanasio, Antonio, Servatio, Anna, Agnete, Apollonia, Catharina, Barbara, Margaretha, Walpurge, Maria Magdalena, Helena imperatrice; ut alias minores reliquias praeteream. Varia denique ad Christum spectantia illic asservantur, ut de sancta Cruce, de spongia, de purpurea et alba ejus veste, de fune, quo ligatus fuit, de velo, quo et lavans pedes praecinctus, et sepulti facies obtecta fuit. Denique culter, quo in coena ultima agnum paschalem partitus est: quem memorant illaesis saepe rerum corporibus vulnera infligere, mox coalescentia, obtuso licet cuspide hebes sit, plagasque imprimat luculentas. Figuram illius, tam aciei, quam manubrii, in sua quantitate et forma adjicere visum fuit, quorum utrumque ex ferro fabrefactum, ac licet obscurum, nulla tamen rubigine, quod jure mireris, tot saeculorum lapsu, adesum est.

Alterum hoc loco maxime aestimandum antiquitatis pignus a Deipara Virgine (post velum capitis, quo, dum ab angelo salutaretur, tecta fuit, et observationem raritate texturae suae meretur) ex ebore est pecten, quo ad suas, Christique adolescentis comas pectendas usa creditur; quem idcirco potissimum ad exquisitissima antiquitatis cimelia referendum duxi, quod inter utrorumque dentium ordinem media pectinis area, celeberrima judaicae tribus symbola, leones, complectatur, ab una parte geminos, ab altera duos turtures, sive columbas, bene auspicati conjugii symbola, unde non obscure liquet, hunc pectinem inter sponsalia fuisse munera, quibus ornare se mutuo futuri conjuges solebant; cum sponsus usitata foeminis, contraque sponsa viris familiaria cimelia dono offerrent, tanquam mutui amoris mansura deinde in oculis symbola. Illo igitur inter caetera donaria pectine excoluisse Deiparam Josephum, tanto mihi est

certius, quanto probabilius, virginem suopte ingenio tam sibi exsculptum figuris pectinem aere proprio comparaturam non fuisse. Jam vero cum uterque conjugum esset de tribu Juda, scite duo compositi in eo leones; cumque aliud, quam castum, indivulsumque non meditarentur conjugium, apti exhibiti turtures, quos etiam a morte alterius comparis fidem primo datam servare tradunt. Quare ut figuram utriusque symboli facilius capias, pectinem utraque parte adumbratum placuit exhibere. Ubi observabis symbola quidem ad distinctionem satis, non tamen sufficienter ad artem (ut ab ejusmodi artificibus fere solet) expressa; cum leonum, ut par erat, jubae expressae non fuerint, visusque etiam sit hinc leaenam atque inde leonem exprimere voluisse magis, quam expressisse, majori ad conjugium aptitudine uti et turtures nimium caudatos, parum scite proposuit. Interea utroque symbolo leonum et turturum hoc visus profiteri, fortiter ac fideliter conjugia tuenda esse, ut leonum in his propugnandis fortitudo, turturum non nisi uni se jungentium fidelitas nota est.

Vides ex eodem pectine sex dentes sublatos esse. Hi piorum hominum desideriis expetiti, in munus cesserunt, et ultimus quidem imperatrici Leonorae, Ferdinandi II. caesaris lectissimae conjugi, Vincentii Mantuani ducis filiae, summopere hunc roganti, concessus est, quae gratitudinem memorabili vicissim munere testata, sesqui palmarem remisit ex ebeno cistulam, auro, argentoque ex gemmis pretiose cultam, tum pulvillum sua fabrefactum ex puris unionibus super purpuram contextis manu, in quo pectinem super aurum gemmasque a se aestimatum, voluit reclinari, uti hoc tempore etiam asservatur.

Concludo denique hanc expositionem cimelii praestantissimi schemate, quod Ada, soror Caroli magni imperatoris, pientissima domina, in templi Maximiniani choro sepulta, cum libro evangeliorum, aureis literis exarato, donum reliquit (in cujus libri exteriori tabula, argento, auro, gemmisque liberaliter circumfulgentibus affigitur) quod in achate lapide unico, quinque facies humanas suo candore supra aream fuscam eminentes, tum aquilas subter geminas nativis expressas coloribus re-

praesentat, prout in figura adjecta facile arbitraberis, ubi sua quantitate et forma proponitur. Limbo exteriori, ex auro, argento, gemmisque distincto inclusus: munus regibus dignum. Ubi Ada in principio, ut apparet, muliebri specie velata, cum fratre, ut interpretor, Carolo, tribusque nepotibus proponitur, aquila vero tanquam Romani imperii insigne, quo Carolus magnus donatus est, cum imperatoris Romani dignitatem capesseret.

Statuta sive ordinata a serenissimo electore et archiepis. Trevirensi Clemente Wenceslao pro abbatia S. Maximini Treviris edita.

Reverendissimus et serenissimus elector!

Proposita commissioni nostrae visitationis archiepiscopalis pro parte abbatis ad S. Maximinum readvenientia petita eo, quo ad promovendum cultum Divinum, disciplinamque monasticam ferimur, zelo et attentione examinavimus, partem illorum in charta nostra visitatoria ejusque appendicibus jam tum decisam, partem etiam discretioni, quae mater virtutum est, non omnimodo consonam, reliquam vero partem officii Divini, et regularis observantiae bono non inutilem esse invenimus: quapropter sequentes ad illa resolutiones, quae ulterioris ad chartam appendicis loco valebunt, dandas esse duximus, prout hisce declaramus et ordinamus.

A. B. C. Cum haec petita in charta nostra visitatoria N. 5 et 38 sufficienter decisa sint, sic illuc remittitur abbas, cujus partes sunt, talia executioni mandare.

D. Quod nemo religiosorum officii Divini integritatem, absque rationabili causa e choro excurrendo, infringere debeat, et gravissima vi fundationum incumbens obligatio, et rectus disciplinae monasticae expostulat ordo; abbatis igitur erit, congruis obsecrationibus, increpationibus, et aequis, si opus fuerit, poenis tali abusui obviare.

E. Sub sacro musico, seu missa conventuali, quae pars principalior officii choralis existit, nemo nisi finita elevatione privatam missam celebraturus exeat.

F. Officium matutinale tempore hyemali, id est a festo S. Michaëlis usque ad festum S. Josephi recitetur; reliquo tempore aestivo, festis 1. classis in rubricis generalibus assignatis, praemisso officio B. V., totum decantetur. Festis 2. classis sine cantu dicatur usque ad *hymnum ambrosianum,* qui cum evangelio, *Te decet laus,* et *Laudibus* decantetur. In festis 12 lectionum sive dupl. et semidupl. matutinum sine cantu dicatur, *Te Deum* vero cum evangelio ut supra et in laudibus *a capitulo* cantetur. Ferialibus autem diebus, et in festis sub ritu simplici, laudes solummodo decantentur. Horae minores exceptis vesperis tempore hyemali ad morem ecclesiae S. Paulini recitentur, aestivo autem hora prima sine cantu, tertia, summum sacrum antecedens, uti et ipsa summa missa solemniter cantanda (sub qua pulsatis organis introitum repetere necessum non est); subsequens sexta cum cantu, nona, vesperas quotidie cantandas, antecedens sine cantu dicatur.

Completorium tempore hyemali, id est a festo omnium Sanctorum usque ad pascha medio octavae, aestivo autem hora octava canatur, praecedente illud colloquio in charta nostra visitatoria concesso.

G. Antiphona illa: *haec est praeclarum vas:* ab antiquissimo tempore ad S. Maximinum cani solita, post summum sacrum vel alio congruo tempore, et quidem in aestate cum, in hyeme sine cantu recitetur.

H. Sicut crines alere religiosis jam tum concessum est, ita eisdem usum etiam cucullarum remittimus; benedictiones vero a lectore et servitore mensae et redeuntibus ab itinere, sumi solitas, nec non alias consuetas humiliationes a s. regula praescriptos imposterum servari volumus.

I. Hora completorii ad lit. F. modo praescripta est.

K. In appendice ad chartam visit. §. 16, ubi in solatium praecise *infirmorum,* accessum ad infirmariam concessimus, expresse cautum est, ut ad *praecavendos abusus et confabulationes,* sedulo invigilet prior. Is igitur, uti et abbas et subprior, — quibus eadem simul vigilantia ex officio incumbit — omni, qui timetur abusui, solerter obviare studeant, errantes

admonendo, excessus corrigendo, eosque si frequentiores seu graviores fuerint, nobis, seu commissioni nostrae denuntiando.

L. Sensum §. 13 chartae visitatoriae prohibentis, ne quis pecuniam ultra valorem 2 fl. Rh. clam et sine expressa licentia superiorum secum habeat, ita interpretamur et declaramus, ut ad habendum secum pecuniam ultra valorem 2 fl. requiratur licentia expressa, non nisi cum cognitione causae concedenda, pro retentione vero pecuniae infra dictum valorem facilius et promptius talis licentia dari possit.

M. Praescripta a s. regula et charta nostra necessariorum conventualibus procuratio juxta declarationem commissionis nostrae, tam diu continuetur, donec de praetensa nimia abundantia magis constet.

N. Remittitur ad N. 18 chartae visitatoriae.

O. Quoad ciborum numerum diebus abstinentiae, usus hucusque observatos, contra quem nemo conqueritur, ulterius retineatur.

P. Inhaeretur chartae visitatoriae et declarationi ad hunc passum emanatae.

Q. Juxta praescriptum chartae visitatoriae cista tribus clavibus obserata procuretur: omnes indistinctim pecuniae in ea recondantur, a deputato conventus in libro separato punctatim exacteque adnotentur.

R. Cum haec abbatis petitio, variis modis facile eludi possit, idcirco proposita dispositio superflua judicatur.

De caetero, ut delatae nobis querelae ratione ministraturae ad s. sacrum inter absentium fratrum, in seminario studentium, reliquos juniores nimis aggravantis exortae facilius aequiusque sopiantur, ordinamus, ut aequalitate inter conventum servata, quae ubi servari potest, concordiae fraternae vinculum ut plurimum consolidet: et successivus ministrandi ordo inter omnes (solis priore, seniore, subpriore et cantore exceptis) imposterum, et usque dum novae circumstantiae aliud suaserint, introducatur, illarumque depositio aeque ac ab abbate aliisque officialibus ad usus necessarios exinde facta extractio.

Sermo habitus in negotio electionis ad diem 7. februarii 1797 praefinitae per me archiepiscopalem commissarium officialem et decanum Petrum Josephum ab Hontheim. ([1])

Plurimum reverendi, eximii, ac religiosissimi viri celeberrimae abbatiae ad S. Maximinum professi patres, et capitulares!

Praeter ingentem jacturam, quam abbatia vestra calamitosis hisce temporibus passa est, quamque cum reliquo clero tam saeculari, quam regulari communem habet, haec tamen vobis propria, et meo quidem judicio longe deplorabilior, quod abbatem vestrum dignissimum Willibrordum Wittmann, virum Deo, et omnibus bonis acceptissimum, avitae religionis, suae regulae, ac bonae disciplinae tenacissimum, virum vix resarciendum fatali hoc deperditorum morum, et aegrotantis religionis, aeque ac nutantis monastici instituti momento a vobis avulsum habeatis.

Huic malo, quantum in vobis est, mederi volentes, electionem novi abbatis in hodiernum diem consignastis, reverendissimo et serenissimo archiepiscopo principi electori nostro humillime supplicantes, ut diem hunc ratum habere, et quendam electionis commissarium vobis delegare gratissime dignetur.

Archiepiscopalis serenitas vestro desiderio satisfactura vicariatui in commissis dedit, ut jure sedis apostolicae per omnia salvo aliquem ex gremio denominet, qui electioni praesideat, quique vos gravis obligationis vestrae secundum praescriptum regulae dignissimum eligendi commonefaciat.

Tenorem paterni hujus affectus, et archiepiscopalis sollicitudinis commissorio insertum almus vicariatus eum in finem vobis praevie communicavit, ut de intentione benefatae suae serenitatis mature edocti momentosum hoc electionis negotium

---

([1]) R. D. Petrus Josephus ab Hontheim natus fuit Confluentiae, die 27. januarii 1739, decanus ecclesiae collegiatae ad S. Simeonem Treviris, officialis archiep. Trev. obiit 20. septembris 1807.

cum Deo, et conscientia vestra ponderantes ad ipsum actum debite praeparati accedatis.

Vos nunc in hunc finem congregatos licet latere non debeat, quae in abbate qualitates requirantur, regula vestra cap. 2, et 64 eas luculenter exponente, nihilominus pro officii mihi commissi debito judicavi eas breviter perstringere, vobisque in memoriam revocare.

Abbas et pater, et pastor est; tanquam pater praeesse, et prodesse; tanquam pastor verbo, et exemplo praeire, et in se ipso modo efformasse debet, quod in vobis desideratur.

Debet esse doctus lege divina, ut sciat, unde proferat nova, et vetera. Debet esse castus, sobrius, misericors.

Debet domui suae bene posse intendere, et esse primus regulae et disciplinae executor: etenim ex harum fideli adimpletione omnia tam spiritualia, quam temporalia bona dimanant, deperdita recuperantur, et extincta reviviscunt.

Ut autem hanc meam propositionem ex statutis vestris mutuatam, etiam factis subsequentibus reddam evidentiorem, ad domesticam vestram historiam digredior:

Tempore nortmannicae devastationis, et eam subsequente antecessores vestri adhuc lugubriora tempora, quam praesentia sunt experti, per unius digni, et Deum timentis abbatis institutionem, qui disciplinam reduxit, et refractarios monachos expulit, brevi temporis spatio medelam invenerunt: Nicol. Novillanius in catalogo abbatum S. Maximini sequentem in modum hoc enarrat:

»Urbs Treverica cum suburbanis suis per Nortmannos »tantam stragem civium passa est, nec non hoc nobile mo»nasterium inter coetera non solum concrematum, sed tanta »monachorum, et ecclesiasticae familiae caede completum, ut »ne unus quidem superstes remaneret ex omnibus, cui notus »esset tumulus S. Maximini . . . .
»his calamitatibus cessantibus aliae successerunt, nam ab anno »888 usque ad annum 934 abbatia ista per comites et duces »fuit detenta, et per praepositos administrata per annos cir-

»citer 45. Horum praepositorum tum unus erat memorabilis »quidam Ogo, de quo manuscripta sequentia loquuntur.«

»Ogo in monasterio praefectus est, non quidem abbatis, »sed praepositi nomine, quod per ea tempora abbatia a prin»cipibus laicis magno monasterii damno, et rerum ecclesiasti»carum injuria indulgentia augustorum occuparetur. Verum »cum Gisilbertus dux Lotharingici regni abbatis nomine mo»nasterium obtinuisset, moxque divinitus castigatus se arbitrio, »et potestati Ogonis praepositi submisisset, promisissetque ubi »per mortem uxoris liceret, se monasticam in sancto Maximino »professurum, nolletque porro abbatiam habere; et Ogo ab »Henrico aucupe abbas nominatus est, qui extemplo aggressus »instaurare monasticam profanorum abbatum, et principum »indulgentia prostratum pulsis discolis, et disciplina veteri »renovata pristino splendori monasterium reddere conatus est. »Instauratis animis aedificiorum reparationi incubuit, et ba»silicam nupero turbine convulsam a fundamentis iterum ex»aedificatam magna solennitate ão 943 dedicavit.«

Sub hoc abbate extiterunt vix sanatis belli, et usurpationum vulneribus 70 monachi, quorum album hist. diplom. ad annum 945 refert, irrefragabili sane documento, puros tantum temporis spatio opus esse, ut haec abbatia, licet in suis fundamentis concussa videatur, iterum suis polleat viribus auxiliante tamen principaliter remedio, quo usus est dignus aeterna memoria Ogo, postea ab Ottone III. ad episcopatum Leodiensem promotus, nempe expulsione abusuum, et renovatione disciplinae.

Sistam nunc aliud vobis exemplum sinistri abbatialis praesidii ex infelice electione ortum ducentis, vilipensae disciplinae, infortunatarumque sequelarum similiter ex penu domestica S. Maximini depromptum, et a Tritthemio abbate Sponheimensi ad annum 1143 in suis chronicis Hirsaugiensibus relatum.

»Adelbero Trevirorum archiepiscopus Gerardum abbatem »et monachos coenobii S. Maximini extra muros civitatis »propter inordinatam eorum conversationem omnes de coenobio »expulit, et alios, qui secundum regulam S. patris nostri

»Benedicti viverent, introducens monachos, quendam virum »doctum Segerum eis abbatem ordinavit.«

Quas haec expulsio sequelas habuerit, laudatus narrat Tritthemius, quas ne diffusior sim praetereo, quemque ad ipsum opus remittens, tum concludendo animi sui sensum super hoc procedendi modo ita aperit. »Monachi autem omni »auxilio penitus destituti alii ad parentes, et cognatos suos »reversi sunt, alii, sicut poterant, in aliis monasteriis sibi pro»viderunt. Nos bono zelo motum archiepiscopum non dubi»tantes ejus constantiam laudamus, quid enim sunt coenobia, »in quibus non observatur disciplina regularis, nisi quoddam »ergasterium omnium vitiorum. Recte igitur, et Deo rem »gratam faciunt, qui claustrales ad observantiam sui ordinis com»pellunt. Utinam pontifices nostri omnes imitarentur istum!« Hucusque Tritthemius.

Praetactus procedendi modus non adeo paradoxus apparere potest, si cum vestra regula conferatur, quae eundem cap. 64 indigitare videtur, sequentem in modum puncto electionis abbatialis disponente: »Quod, si etiam omnis congregatio vitiis »suis (quod quidem absit) consentientem personam pari con»silio elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi, »ad cujus dioecesin pertinet iste locus, vel abbatibus, aut »vicinis christianis claruerint, prohibeant pravorum praevalere »consensum, et domui Dei dignum constituant dispensatorem, »scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud »caste, et zelo Dei faciant, sicut e diverso peccatum, si »negligant.«

Habetis nunc, p[m] r[di] viri, ac patres velut in speculo utriusque tam faustae, quam infaustae electionis viva prototypa, habetis insimul ante oculos sanctae regulae vestrae efficacissima praecepta, uti et serenissimi, et optime sentientis archiepiscopi nostri paterna monita. Cum porro in manibus vestris sint sortes vestrae, saluti etiam vestrae tam propriae, quam communi taliter prospicitote, ut seposito omni sinistro affectu, semota quavis passione privata, semotis denique particularibus regulae vestrae adversantibus, statum vestrum de-

decentibus, et solam, quod Deus avertat, particularem commoditatem, respicientibus motivis illum in abbatem eligatis, qui exulceratis hisce temporibus cuivis malo, quod vel modo pedem fixit, vel adhuc subrepere posset, efficacissimo, et promptissimo valeat occurrere remedio.

Adimplete juramentum, quod incontinenti estis emissuri, nec vos pudendi perjurii reos facite, quod interminabile, et districtum judicium necessarie sequitur. Agite, quae viros, quae religiosos, quae sacerdotes decent, et Dominus vobis abundanter retribuet, facietque, ut sub novo vestro duce, et rectore, si quem ad ejus mentem eligeritis, sic transeatis per bona temporalia, ut non amittatis aeterna. Amen.

His dictis electus fuit R. P. Benedictus Kirchener, abbas ad S. Maximinum Treviris, qui tamen propter belli Gallici turbines ad possessionem abbatiae non venit, sed lugens et moerens illius suppressionem anno 1802 factam per legem consularem Franco-Gallicam vidit.

EXCIDIVM Vere horrIbILe
IMperIaLIs ante 1341 annos regIa
ConstantInI aVgVstI potentIa
et pIetate fVnDatae,
LVDoVICI Vero XIV IMperIo
eVersae, abbatiae
S. Maximini prope Treviros ordinis S. P. N. Benedicti fide religiosa ac sacerdotali, eodem, quo a Gallis patratum est, ordine conscriptum ab ipsismet oculatis testibus religiosis S. Maximini patribus ac vigore mandati apostolici, ad eminentissimum Trevirorum archiepiscopum, principem electorem transmissum, anno 1674 mens. septembri.

Inauditum florentissimae antiquissimaeque ão a Christo nato trecentesimo trigesimo tertio augusta Constantini magni, ejusdemque religiosissimae matris S. Helenae liberalitate ex palatio imperiali fundatae; hoc vero millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Ludovici XIV. Galliarum regis ferali edicto

funditus eversae abbatiae eheu quondam nostrae! S. Maximini ordinis S. Benedicti superiorum jussu narraturus excidium operae pretium facturus videor, si quibus Galli damnorum huic monasterio illatorum cladibus perfunestas fortunarum direptiones inexplebilemque exactorum avaritiam quosdam veluti gradus, ad antiquissimae per Germaniam fundàtionis toralem stragem sint grassati, brevi prius sed fideli calamo evolvam, illud ante omnia religiose protestans: ea duntaxat a me in hoc scripto consignatum iri, quorum veritatem quot paragraphis et totidem juramentis, si res necessitasque requireret, confirmare loco aut tempore detractarem.

Immiserat capto sub finem junii 1673 ad Mosam Trajecto Ludovicus Galliarum rex in nihil uti minus meritum, ita nec metuentem Trevirorum archiepiscopatum cum magna exercitus parte suum campi mareschallum marchionem de Rochefort, qui irarum regiarum in principem electorem conscius per vastatos Limburgorum Luxemburgorumque agros populabundum trahens agmen, sub finem demum julii mensis opportunitatem praestolasque in Treviratum sese hostili plane animo infudit, stantemque in campo jam maturam segetem, ad Mosellae, Surae, Saraeque littora supra urbem raptim depopulatus. Tum in alias inferioris dioecesis cis- et transmosellanas regiones; tum pridie nonas augusti (ut in monasterii nostri cladibus in praesens sermonem instituam) praeter innumeram calonum lixarumque colluviem, ingentes equitum peditumque turmas praeter ipsa urbis Trevericae nihil hostile molientis, imo et commeatum abunde suppeditantis moenia, in pauculas satrapiae Maximinianae villas pagosque dilapsis fuga agricolis vacuos laxatis furoris rapacitatisque habenis immisit.

Quibus dum ad nonum calendas septembris usque rapacissimarum instar harpyarum incumbunt, non repertam modo in aedibus nostris suppellectilem interversam, vinaque ac frumenta utrobique absumpta luximus; verum etiam pridie Deiparae Virginis in coelos assumptae, palabundum sine periculi suspicione ad ipsa monasterii pomoeria quadringentarum circiter ovium gregem militari licentia sine causa abactum conspeximus.

Tolerabile id omne videri posset, si cum funesto illo decimarum nostrarum hoc anno recipiendarum dispendio conferatur, quarum spem simul et rem omnem non in Treviratu modo, sed et magna ex parte in Luxemburgensi ducatu segetem ubique depopulatus miles Francicus praescidit. Sed ne foris duntaxat rerum nostrarum jacturam lugeremus, sub ipsam urbis Trevericae obsidionem dolo admissus intra monasterii portas dux ipse Rochefort ex lustratis raptim horreis, inspectis granariis, visitatis caveis vinariis, per currus suos castrenses tantum vini, frugum, pabuli, reliquique commeatus ex monasterio in castra abstraxit, ut servata in penu domestica religiosae vitae subsidia majori ex parte fuerint exhausta ac profligata.

Inter haec urbis Trevericae primoribus pridie natae gloriosae virginis de urbe hosti dedenda cum Franco pacisci placuit, deditione eheu (uti clero omni ac statui politico postea patuit) plane fatali; ita monasterio S. Maximini vel ad primam deditionis famam ferme exitiali; intentatam enim sub ingruentis noctis tenebras a pedestribus Francorum copiis monasterii expilationem oblatis aliquot vini plaustris vix declinavimus. Verum expilationis haec dilatio non declinatio fuit. Evoluto enim capta ab urbe vix octiduo, urbis gubernator, comes Vignorii ad 16. calendas octobris universum peremptorie citat clerum, ac usque adeo atrocia ordinum omnium etiam mendicantium religiosis tributa indicit, ut unico nostro licet extra urbis muros adeoque extra culpam sito et ad medullas usque depasto monasterio in septembrem mille quinquaginta tres imperiales, quadraginta et $1/2$ alb., in octobrem vero mille centum octuaginta duos cum $1/2$ imperiales, in januarium octingentos octuaginta, in februarium denique mille trecentos viginti imperiales. Excrevit haec summa ad martium usque exclusive (computatis sexcentis illis sexaginta imperialibus, quos ad vigesimum januarii pro religiosis quibusdam, tum exemptionem a rege praetendentibus tum procul dissitis persolvere sumus coacti), excrevit, inquam, summa ad septem millia ducentos sexaginta octo imperiales, quadraginta et $1/2$ alb.,

quos oppignoratis universis ferme reditibus per atroces minas militaresque executiones contra omnia divina humanaque jura regio quaestori numerare sumus compulsi.

Nec inter hanc licet immanem exactionum atrocitatem sese cohibuit Francorum in monasterium S. Maximini furor, quippe sub ineuntis octobris initium gubernator Vignorii excidii post subsecuti quoddam vel daturus praeludium, non stantia modo per fossae monasterium ambientis marginem annosarum quercuum robora a submissis satellitibus subrui imperat, verum etiam 23. octobris religiosos ipsos in damnum proprium laboriosos esse cogit; dum excidii incendiique interminatione frugiferas in pomoerio sine numero arbores ipsomet exscindere, ac amplum extra fossae marginem pro re pecuaria structum aedificium per monasterii famulos minaciter deturbari imperat.

Verum praeludia haec fuere fatalis post hyemem cum orbis universi stupore in theatrum dandae catastrophes, ad quam proponendam quo curriculo breviori veniamus, reliqua ante excidium a Gallis per ferme singulos dies accepta rerum fortunarumque dispendia, quae utpote exhausto jam monasterio perquam gravia, nemo est, quin gravissime verissimeque commemorare possit, hic non consectamus, aut ad invidiam exaggeramus, ad ipsum malorum omnium epilogum tragicum, scilicet monasterii S. Maximini excidium mentem calamumque concutimus.

Illius, inquam, monasterii excidium, in quo erigendo, dotando, amplificando, tuendoque magnorum Sanctorumque, omnium fere pontificum, imperatorum, regum nunquam satis laudata desudavit sollicitudo. Illius monasterii excidium, quod ut alios augustissimos orbis Europaei monarchas gratiosissimos nostros benefactores, quorum apud nos memoria in benedictione est, nunc brevitatis ergo non commemorem. Christianissimi olim Galliarum reges tum alii tum Dagoberti Memiliano, Pipini sub Utilrado, Caroli magni sub Werinolffo, Ludovici pii sub Elisacharo, Lotharii sub Waldone hujus loci abbatibus etc. tanti fecerant, ut in regiis suis diplomatibus coenobium S.

Maximini non eximiis duntaxat privilegiis decorarint, immunitatibus ornarint, fundis locupletarint; verum etiam quo religiosorum in futurum quieti tranquillitatique prospicerent, horrendas in coronata regum successorum capita (si quis Maximinianae Deo dicatae familiae, molestiae quicquam inferre praesumeret) diras ultionemque divinam a coelo devocarint. Loquatur ore omnium Pipinus ille Carolo magno filio non minor parens, qui in diplomate suo conservandis monasterii S. Maximini juribus ão 14. regni sui dato christianissimo vere animo sic posteros reges compellat. »Domino ac Salvatore vitam aeternam in evangelio promittente, plena ac integra fide sine dubio credimus nobis in futuro saeculo compensari, si stabilitatem et quietem monasteriorum confirmamus, ac res ecclesiasticas Deo donant, cum protectione augmentamus. Proinde ego Pipinus, gratia Dei rex Francorum omnibus regibus in aeternum futuris in hoc testamento denuntio, me habere sub potestate regali monasterium S. Maximini, constructum in suburbio Treviris, ubi S. Maximinus Dei praesul est corpore sepultus. Si quis autem, quod absit, ejusdem loci familiae ullam molestiam in aliqua re intulerit, iram Dei incurrat, ac regiae majestati reus omni tempore teneatur. Audiant haec reges ac timeant terribilem, qui auffert, spiritum principum, terribilem apud reges terrae.« Illius denique monasterii excidium, quod tot inter barbarorum Belgicam nostram inundantium irruptiones, tot inter haereticorum in Treviros debacchantium furias per tredecim et ultra saecula, quemadmodum GerManIae totIVs gLorIa et DeCVs eXIstebat, ita ut summus ecclesiae pontifex Gregorius XV. in brevi apostolico ão 1621 ad Petrum abbatem in videndo elogio appellandum censuit, christianae poenitentiae ac sanctimoniae steterat domicilium. Excidii uti inexspectatus, ita vel ipsis saxis luctuosus nuntius ad nonas aprilis sub sacrum conventuale adest urbis gubernator Vignorii, qui dum reverendissimo monasterii nostri praelato ex divino officio evocato, fatalem hanc ruinam non fastuose duntaxat denunciat, verum etiam in ligna, lapides, ferrum, plumbum, caeteraque ut vocant aedificiorum materialia in praedam mili-

tibus concedi velit, proprii tecti demolitionem minaciter imperat. Religiosus vero D. abbatis animus rei atrocitatem aversatus omnibus sese tam divinis quam humanis juribus, juramentoque sedi apostolicae in benedictione abbatiali praestito, a tam nefario opere prohiberi constanter affirmaret, ac ab immani hac denuntiatione ad regiam majestatem, unius mensis dilatione humiliter rogata, appellaret. Indignatus nimirum Vignorius nil nisi excidium exitiumque proximum praestolari jubet. Imo cum ad exportandam et militari furori subtrahendam ecclesiasticam domesticamque suppellectilem ex vasto usque adeo coenobio ne trimestre quidem suffecisset tempus, ab homine implacabili vix bidui dilatio supplicatione longa impetrari potuit, qua tamen tantilla morula per fidem Gallicam gaudere non licuit. Postera siquidem luce summo mane adest submissus contra datam sponsionem a gubernatore rapacissimorum militum globus, qui intra monasterii portas admissi, mox obvia quaeque pertusis ubique, atque a cardinibus avulsis ostiis, tam intra quam extra claustrum diripere, ac mirandum in modum universa perscrutari. Canes venaticos famelicosve lupos diceres? ita odorabantur omnia ac pervestigabant, furiarumque instar circumvolitabant. Dein praeda hac infami divites insano cum tumultu in moenia, queis monasterii ambitus cingebatur, involare, tectum dejicere, arietes applicare, muros impetu horrendo in terram proturbare, religiosis dum omnium ignari psalmodiae in choro insistunt, pavore stuporeque pariter defixis. Quem mirum in modum auxit operis infandi moderator capitaneus Francus, dum decimo aprilis diruendis intentum moenibus militem repente abducit, ac nil praemonitis ad conservandam suppellectilem religiosis, ad amplissimum in area extra clausuram aedificium (cancellariam vocabamus) turbinis in morem trahit, ac cum omnibus in eo repertis praedae concedit.

Visebatur e regione monasterii extra tamen ejusdem septa celebre illud apud Treviros anno millesimo ducentesimo quadragesimo pia superiorum abbatum liberalitate ex coenobii Maximiniani reditibus ad honorem S. Elisabethae Thuringorum

landgraviae pauperibus peregrinis indigenisque excipiendis aegrotisque curandis fundatum et luculentis praediis dotatum xenodochium pariter ac nosocomium, in qua languentium esurientiumque villa, ut S. Hieronymi ad oceanum verbis loquar, aegrotantes egentesque colligerentur de plateis, et consumpta languoribus atque inedia miserorum membra refoverentur, id quod pietatis caritatisque Maximinianae cuique obvium officium, quemadmodum jam inde a quatuor saeculis prompto sibi obsequio sine discrimine impensum quarumcunque nationum indigi grata mente sunt venerati. Ita ipsimet Franci gentis suae hominibus e Batavia et aliunde redeuntibus durante bello Batavo Gallico impigre exhibitum, ni impudentia ipsa magis effrontes esse velint, diffiteri non audebunt. Jam enim a triennio Gallorum militum non paucos fame, frigore, contagioque pene enectos, fere quotidie pie suscepimus, benigne fovimus, atque e monasterio tum vitae conservandae, tum valetudinis recuperandae subsidia abunde subministravimus. Quin ex pluribus eadem ex natione in xenodochio defunctis, non sepulturae duntaxat honorem, sed et animae suffragia ex christiana caritate non inviti impendimus. Verum audiat orbis perpetuum Gallicae gratitudinis monumentum. Eorundem, quos foveramus, populares Franci milites, ante memoratum egenorum infirmorumque nosocomium, una cum adjuncto elegantis operis sacello, amploque hospitum domicilio, lugubre ingemiscente, atque ultionem a Deo expostulante miserorum turba, hoc eodem tempore in acervum lapidum redegerunt.

Tenuit insanus hic tum in dictis aedificiis, tum in moenibus subruendis labor ad idus aprilis usque, ab his enim omnem furorem in ipsum religiosorum domicilium ac claustrum vertere Vignorio visum fuit. Quod ubi ex apportatis arietibus futurum suspicati primum impetum ab amoenissima illa valetudinarii fabrica exceptum iri crederemus, mox pro angustia temporis suppellectilem inde exportare, ac ante praedonum adventum evacuare aggredimur, sed labore prorsus irrito, fructuque nullo; reversi etenim ex urbe Franci, ubi ea, quae jam spe devoraverant, magna ex parte evolasse conspicerent, rapinae alibi

inhiantes gubernatoris jussu minacem arietem amplissimo mox totius claustri aedificio admovent, ac quatuordecim simul per vices sibi succedentibus eo librant impetu, in splendidum domicilium potius quam ob fenestrarum identidem murum intersecantium multitudinem firmum, ut sub vesperum magna ejusdem pars exultantibus barbaro gaudio Francis, illacrymantibus religiosis procumberet. Quorum tamen lacrymis permixtae preces, tantum abest, ut ferocem vel ad tantillam lenitatem flecterent animum, ut etiam ceu affuso in vastum incendium oleo potentius inflammarent. Ab hac enim die, quo piceatas latrunculorum suorum nil effugeret manus, eosdemque turpi praeda illectos in detestando hoc opere haberet promptiores. Impium isthoc edictum dictator Vignorius promulgavit: militi pro libidine arietem circumferre liberum esto. Ut primum vero cuivis, quantumvis amplissimo aedificio eundem admoverit, exportandae ex eo suppellectilis monacho jus nullum praetendito, miles universa in nefariae operae pretium diripito. Vah dirum, infame, barbarum, trucisque Getae, quam regis christianissimi christiani vicarii praetorio dignius decretus rebus certe monasterii nostri prorsus exitiale. Hoc enim furoris telo armata, mirum est, quanta insolentia, qua rapacitate, licentia quanta per omne claustrum sese jactavit effrenata Gallorum vesania; quo non contumeliae genere a spuriissimis scurris onerata sit pavida religiosorum hominum modestia; illi per omne claustri peristylium minaces circumportare arietes, ac modo in hoc, modo in illud aedificium incurrere, parteque quantavis decussa, mox universa sacro profana juxta Vignorianum edictum deripere, tum ad aliud aedificium properare, eademque rapacitate ac immanitate per universum claustrum debachari. Religiosi contra veluti pavidae inter lupos oviculae discurrere, res ablatas repetere, nihil obtinire; exportare quaedam, sed militari mox ferocia e manibus extorta eadem amittere, implacatum rogare, obtestari militem, sed sannis excipi, implorare dissimulantium ducum fidem et auctoritatem, sed surdo fabulam canere; denique ubique adesse, ubique trepidare, nec quicquam proficere, imo cum confusione ubique vel turpem

repulsam, vel foedos gannitus reportare. Etenim ut poetae versibus conquerar:

> Insultantque malis Galli, miserisque protervis
> Vocibus illudunt etc.

Donec tandem pauculos intra dies non tam prostrato quam foede ubique mutilato, foedius expilato omni claustro, ne intolerandis diutius militum injuriis pateremus, ac sub dio capere quietem foret necesse, usque adeo amatam ac nonnisi ex votorum formula cum vita deserendam religiosae solicitudinis stationem, summo animi moerore relinquere, atque ad reliqua extra clausuram aedificia commigrare cogimur. Ubi dum has inter loci angustias, insanos inter militum undique obstrepentium, undique irrumpentium clamores, ad decimum usque maji in nudam abjecti humum commoramur, officioque divino tam nocturnis quam diurnis horis ex more insistere nunquam omittimus; si quae ab irato armatoque milite, contumeliarum, damnorum, spurcitiarum genera Deo conscientiaque teste toleravimus enumerare aut luberet aut per modestiam religiosam deceret. Quemadmodum ob inusitatam facinoris atrocitatem apud lectorem antiquo catholicum, fidem difficulter inveniremus. Ita occupationis forte animum ingrata prolixitate ad taedium facile provocaremus, quamobrem universa illa, oculo illi, quem nihil latet, nihil fallit, dijudicanda transcribimus, atque ad institutum tragoedia ordinem nos postliminio revocamus.

Subinde gubernator dum funesti operis spectator adstat, votoque suo tardius tum ob aedificiorum molem, tum numerum firmitatemque procedere videt, qua ariete, qua cuniculis agendum ratus hos accitis undique ex vicina Trevirorum urbe lapicidis subtus aedificiorum fundamenta effossa altius humo machinatorem bellicum moliri jubet. Quorum non multos intra dies 18 numero perfectis, pulvereque tormentario gravidis dum ignem Vignorius applicari imperat, 15. aprilis amoenum illud valetudinarii domicilium cum adjuncto sacello binis cuniculis concussum penitus procubuit, ac singulis subsecutis

dein diebus sol sive ortivus sive occiduus singulas aedificiorum strages vidit, donec 23. aprilis dum parochialem S. Michaelis infra monasterii ambitum ecclesiam quatuor ingentium cuniculorum fulmine in aerem vibrari videre cogitur, radios ille suos ob atrocitatem rei tum quidem occumbens retraxit, postera die si non atrocius, inhumanius certe visurus facinus.

Adjacebat jam dictae parochiali ecclesiae coemiterium aggesta humo muroque prostructo altius illud aliquantulum, atque adeo gubernatoris opinione, urbi metuendum, hujus ergo demolitio decernitur, disturbatur prostructus murus, terra certatim effoditur, ac in subjectum coemiterio vivarium deportatur, donec ad ipsa mortuorum loculamenta deventum est, quorum putrescentium adhuc, vermicantiumque foetore, ubi miles abactus ejusmodi plus quam ferinum execratur laborem, tum quidem ab immani opere cessatum est. Verum isthaec defunctis requies non diuturna fuit, etenim non multo post agricolarum citata manus, miserando huic operi applicare manus ab advigilantibus Francorum officiatis cogitur, et luctuosissimo plenius evolvimus, ne Franci, quod jam tum per primas Europae aulas sparsum, indolemus templum hoc, monasteriumque nostrum, uti mole exiguum, ita elegantia contemnendum, per summam impudentiam fingendo summis catholici orbis capitibus in posterum illudant. Sancte hic affirmandum universo Treviratu teste, censuimus eam monasterii nostri fuisse amplitudinem, ut ambitu suo numeraret geometricos 3328 pedes, aedificiorumque magnificorum numero, non tam unius coenobii, quam oppidi integri speciem contemplantibus objiceret.

Jam vero basilicae, de qua nobis in praesens sermo, ea fuit moles, ut quatuordecim immensis opere testitudineo, ad navis ecclesiae alas succollata columnis in longuitudine 283, in latitudine 88, in altitudine ad fornicem usque 64, ab hoc ad summitatem tecti 52 pedes geometricos censeret.

Ea vero fuit elegantia architectonicaque partium symmetria, quae septuaginta duorum annorum (tot vasto huic operi condendo expoliendoque impensi sunt anni) non dedeceret

tempus, imo usque adeo expensas commendaret, ut ad nobilissimae hujus peregrinorumque voti causa undique affluentium concursu, celeberrimae structurae casum, non orbis modo Treverico-Germanus ingemuerit, verum etiam ipsi Gallorum primores exquisitissimi architectonices miraculi ruinam, quamvis inviti, lamentarentur; ea vero loci fuit religio ac sanctitas, ut etiam absolute anteferrent, utpote qui etiamnum plurimorum Ss. pontificum, confessorum ac martyrum exuvias gremio suo fovet, ac raro pietatis sensu adventantibus peregrinis ostendere consueverat.

Terrere haec, si non flectere debuissent barbarum quemvis animum, sed nec flexerunt, nec terruerunt Vignorium, qui vasti hujus corporis jugulum per cicatrices et alias aliasque plagas petiturus decima currentis maji dissilientibus nitrati pulveris violentia, duabus in navi ecclesiae columnis, simul incumbentis fornicis edidit stragem, simul hoc successu tumidus, novas in tempus pomeridianum indixit et inflixit plagas. Cum circa horam tertiam grandior altera ad dexterum chori latus subversa cuniculo columna, non laquearis modo partem magnam in terram destituit, sed elegantissimas illas ut centum circiter psallentium in choro religiosorum capaces subselliorum exedias (stallorum vocabulo scholastici indigetant scriptores) funditus deformavit. Eminebat in medio templi ad chori introitum, amplissimum illud, ac sculptoriae artis vere miraculum, odaeum, quod marmoreis 32 Jonico Doricoque opere qua superne ornatum, qua inferne sustentatum columnis, ac ad stuporem affabre elaboratum spectantium detinebat oculos, et praeter alias Dei divorumque grandiores per certa intervalla dispositas statuas, universam passionis dominicae historiam, praegrandibus lapideis exsculptam tabulis, eo artificio ad vivum repraesentabat, vivere ut saxeas has effigies ac spirare diceres.

Verum vixit eheu! et exspiravit ingens hoc artis prodigium, templique nostri prodigiosum ornamentum, cum ad V. idus maji circa horam XI. ante meridiem tres ordine columnas eodem omnes impetu, ac eodem cuniculorum ferali artificio deturbatae, universam ecclesiae fabricam a turribus

ad gradus usque altaris summi, una cum tecto ac laquearibus impetu horrendo, ac lamentabili casu in terram prostraverunt.

Manserant hujus luctuosissimae ruinae superstites praeter chori posteriorem hemicyclum praegrandes illae ad introitum templi turres, cum aliis binis minoribus ad latera adjectis, quos tamen postera die ipsa vigilia penteeostes tertiam inter et quartam pomeridianam cuniculis nitrati pulveris octingentis pondo gravidis in auras concussis fundamentis evibratas, ac dein in crucis formam collapsas luximus, plumbo, ferro, caeterisque materialibus (id, quod in omnibus aliis aedificiis ingenti nostro damno evenit) cuniculorum magistris in praedam a gubernatore elatis. Quid? quod nec ipsa sacrosanctae pentecostes solemnitate a templi Dei violatione fuerit cessatum. Hac enim reliquam ad hemicycli formam sup. altare summum fornicis ac tecti partem cuniculis dejicere dum certatim laborant, nec ipsi, quod sine horrore nec scribi, nec sine execratione legi potest, venerabilis sacramenti loculamento pepercere haec hominum monstra; hoc enim effossis introitum binis cuniculis perditissimi homines per inauditum scelus funestarent, quam creatoris sui injuriam vel brutus hic pyrius pulvis execratus per cuniculi os sine damno loculamenti cum Francorum terrore est eluctatus, sed bruto pulvere magis bruti homines Galli, sacrilegium sacrilegio cumulando, dum 15. maji quinque circa summum altare cuniculi irritu conatu dissiliissent, in furiam actus machinator bellicus, cum saxeas quatuor virilis magnitudinis Christi, B. V. SS. Joannis Evangelistae ac Maximini in hemicyclo positas statuas conspicaretur, en, inquit blasphemo ore, quatuor hi nebulones nostros toties frustrantes conatus, ac cum dicto e summo in subjectam summi altaris saxeam mensam praecipitari jubet, quo casu non ipsae duntaxat foedissime mutilatae sunt statuae, sed et amplissima altaris mensa penitus est confracta; in quarum dein statuarum loculamentis, effosi inflammatique cuniculi firmissimum illum sectis ex lapidibus hemicyclum 18. maji in subjectos criptarum fornices eorumdem cum noxa deturbarunt. Quas tamen tota Germania ob operis elegantiam decantatas criptas, non multo post gravior

pernicies ferme pessumdedit, cum contra datam praesente reverendissimo episcopo Hieropolitano fidem gubernator Vignory submissis ex urbe militibus earumdem fornices pertundere ac dejicere imperaret; adeo vel in ipsis terrae visceribus nihil Deo divisque sacratum ab injuria illaesum servare furor fuit. Quo ceu oestro perciti in hunc usque diem non exstantia duntaxat alicubi aedificiorum rudera velut vasti corporis laceros artus complanant, ac terrae coaequant. Verum etiam frustra canonum auctoritatem per libellum supplicem obtendentibus nobis, ex omni domiciliorum maxime templi structura, cubica quaeque immani pondere saxa aliosque sectos lapides in militarium propugnaculum avehi curat Vignorius, qui ne in monasterii tantum aedificia, ipsaque saxa ferro et flamma saeviret, etiam extra ejusdem pomoeria in perniciem nostram exarsit. Distabat trium horarum ab urbe arx juris Maximiniani Fellensis, quae occultos inter nemorum valliumque recessus locata, tum ob loci solitudinem, tum aedificiorum copiam, tum ob sacelli domestici amplitudinem, post tantam tempestatem exulantibus religiosis ultimum ad cultum divinum restabat perfugium, quam arcem, causa etiamnum nobis ignota, submissis ex urbe 25 equitibus, ad XV. calendas maji inflammari ac in cineres redigi jussit.

In sanguinariis illis Romanorum gladiatorum certaminibus aemulo jacente frequenter toto theatro personabat: Parce prostrato! Syracusarum ardentium flammas Marcellus lacrymis concupivit exstinguere; ad prostrata Judaeorum cadavera Titus coelum intuens ingemuit, apud ipsas etiam generosiores bellúas, pugna suum finem, dum jacet hostis, habet.

Quid facere oportet christianissimum regem, non jam hoste, sed congregatione religiosa, sine ulla sua culpa prostrata, accisa, ac toties supplices, accisi sane si qui alii, eramus religiosi S. Maximiniani, ac praeter alios alibi commorantes omnibus amissis, unius intra non magnae domus inclusi angustias, sine monasterio, sine templo, sine reditibus, eodem et triclinio, et oratorio jam in sextum usque mensem utimur.

Extorquere debuerat extrema haec religiosorum hominum calamitas vel a silice commiserationem, non extorsit a Francis, qui uti e coenobio ita e civitate nos proturbaturi, post tantam rerum, pecuniarum totiusque monasterii stragem, nova iterum iterumque tributa, ceu fortunis adhuc integris imperant, ipsaque sanctissimae Trinitatis solemnitate caveis nostris granariisque urbanis inspectis, ni pro martio, aprilique elapsis mensibus, mille trecentos et viginti adhuc restantes imperiales continuo numeraremus, universa se tam vina quam frumenta quaestori regio vilissimo per urbem pretio distrahenda adjudicaturos impotenter comminantur, cui duplici damno praeveniendum rati, nostra ut nobismetipsis liceret pretio mox Francis numerando divendere vix multis precibus impetramus, et hos praefatos mille trecentos et viginti imperiales, ex annona nobis ad victum amictumque extreme necessaria corrasos persolveramus, cum alios in mensem majum octingentos octuaginta imperiales undecunque conquirere, ab armato milite quaestori regio persolvere cogimur.

Ne tunc quidem ab intolerabili tributorum onere requiem habituri. Sub medium enim decurrentis augusti urbis intendens vigore regis ut praetendebatur mandati, uti reliquo clero, ita non jam monasterio, sed afflictissimae, ac penitus exhaustae congregationi nostrae trium simul mensium subsequentium, junii, julii scilicet et augusti, importabilia intra 13 dies numeranda tributa, ferrum et ignes interminatus indicit. At vero cum sanguinem apud nos, quem non inviti pro religione et justitia funderemus, quam tantam pecuniae summam (2,640 imperiales) facilius foret invenire. Adsunt postridie calend. septembris quaestoris regii jussu armati milites, nullo non insolentiae genere nos ad impossibilia compulsuri, qui dum vino obruti, non rebus duntaxat, paupertinaeque nostrae suppellectili perniciem, sed etiam personis injuriam omnem irrogarent, imo religiosum ex nostris sacerdotem, qui christianae eos modestiae admonuerat, infami colapho ac pedibus indignissime contunderent. Quaestorem regium adimus, ac non tam solvendi (quod exhaustis impossibile), quam tantillam ab his

furiis quietem consequendi animo, magnorum patronorum interventu longa vix supplicatione, usque ad decimum hujus currentis dilationem impetramus.

Quem fatalem rebus nostris terminum dum praeteritorum recordatione squallidi, praesentium dolore consternati, futurorum metu anxii, veluti inter sacrum et saxum constituti, omnique humano destituti auxilio trepide exspectamus. Inter haec curarum taedia september voto se nostro citius evolvit, cum regius in urbe quaestor (intendentem appellant) sollicitatos hactenus nummos comparere nusquam conspicatus, seque delusum arbitratus, fremere, enimvero ac ultionem meditari, quam et pridie nonas octobris ad aliorum terrorem exulibus S. Maximini religiosis jam secundis vicibus infligere per militarem executionem fuit visum. Deligitur ergo ex universa desultariorum equitum cohorte insolentissimorum scurrarum manipulus, qui eousque ad discretionem, ut per antiphrasin vocant Galli commessando pergraecandoque domum nostram insidiant, dum militari hac importunitate a nobis revera impotentibus pecunias extorquerent. Imo enim vero matutini sub primas noctis tenebras dubia adhuc luce intra domus limen recepti, Gallicae mox discretionis praeclarum specimen edere, vociferari, tumultuari, ac concussis ferociter armis fercula, falernaque omne genus deposcere, ni confestim adsint, vim intentare obstantiumque januarum effractionem superbe comminari; nos contra nil hiscere, sed placide respondere, rogare, postulato benigne pro facultate nostra promittere, ac dum tantillum patientiae afferant, nihil negare.

At impastis his cerberis aures jam dudum omnes in fauces defluxerant, manusque oculatas se habere dictitabant, quae crederent, quod tangerent. Visum est igitur latrantibus monstris offam, panem scil. vinum et conquisita undique mensarum analecta, tantisper objicere dum alia parantur. Verum leonibus muscam, aut culicem elephantis? his enim dicto citius in immanem cavi ventris abyssum demersis cocco iterum fremitu gurguliones nisi per aedes strepere, carnes, carnes inclamare, et quia fames et mora bilem in nasum conciunt, conglobati in

culinam irrumpere, raptosque bullientibus a lebatibus crudos etiamnum petasones canum instar vorare, tum potitare, ac dein iterum iterumque carnes impetrare ac simul ore hianti, in avidam alvum dimittere, nec tamen satiari, sed instar formidulosae illius apud veteres manducae dehiscente late rictu, vastisque maxillis in alios aliosque cibos catillonibus, continuo dentes pruriebant, plane ut non abs re vereremur, ne Galli hi nepotes majores inter suos Thessalum illum apud Nasonem, Erysichthonem Tritanum numerarent, adeo:

> Accipiunt poscuntque simul, cibus omnis in illis
> Causa cibi est, semperque locus fit inanis edendo,
> Inque epulis, epulas quaerunt.

Betylum cum Saturno vocaturos diceres, si quae involveret objiceretque Berecynthia non defuisset. Jam vero de insanis eorum perpotationibus quid eloquar? Fabulam olim credebam esse, Maximinum illum a Thracia imperatorem dum amphora cum capitolina diurnam sitim subinde placasse legerem; fidem dubitanter adhibebam Plinio secundo cum N. Histor. 24, c. 22 immanes illos vini gorgites Bicongios Ciceronei, Tricongios, Novellios, Drusos, Agrippas, Antonios, Pisones in portentosae temulentiae theatrum inducit; sed et illum Galli nostri historiam fecerunt, et istis fidem non dubiam conciliarunt. Pisone certe, quem biduo totidemque noctibus unam perpotationem continuasse, eaque de causa urbis Romae curatorem a Tiberio delectum Plinius scribit, potentius multo, constantiusque in circensibus his Bacchi ludis aurigati sunt executores nostri, utpote queis non biduo, sed plus ultra monstrosae bibacitatis cursum intendere concessit Lyaeus pater. Diurnabant nimirum, primo maxime triduo ac pernoctabant in poculis ventriosi calicum remiges nec prioris ingluvici crapulam edormire gulae sinebat vesania, sed Parthorum in morem ebrii bibebant, dum sobrii fierent, alternaque siti novam ebrietatem quaerebant Gallico prorsus artificio, quod vel ipse Apicius miretur se nescisse; quia ex lurionibus his parum videbatur, tam ingenui roris nectar, propudiose corrumpere, nisi ex obscoenis ludibriis

infamarent, tantumque ad virium ostentationem meraci liquoris vim infunderent, ut statim nauseabundo e stomacho redderent, rursusque haurirent, idque iterum, tertioque tanquam ad perdenda vina geniti, et tanquam effundi illa non possent, nisi per humanum corpus.

Durarunt insana haec orgia per integram quindenam quo tempore portentosis assidue injuriis non sobrietas duntaxat, sed omnis ingenuitas ac honestas expugnabatur. Nam auctorati hi Baccho sacrificuli, nec ipsi quietem interea pati, nec religiosis indulgere, sed diu noctuque potare, helluari, cantillare, tumultuari, ostia perfringere, ac nisi postulata ad nutum suppeditarentur, strictis mucronibus irrumpere, exitiumque minitari; adeo ut calamitoso hoc tempore afflictissimis S. Maximini religiosis cum S. Ignatio martyre ex epistola ad Romanos jure lamentari liceret: Sine intermissione pugnamus ad bestias, nocte dieque ligati cum decem leopardis in aedibus nostris, hoc est, militibus, qui nos custodiunt, quibus et cum benefeceris, pejores fiunt, sed et cum eodem nos solaremur dicendo: Iniquitas ipsorum nostra doctrina est, nunc enim incipimus Christi esse discipuli. Ubi per quindenam cum ferocissimis his leopardis in nostra domo veluti in arenario depugnatum est, nec tamen (quod exspectabant) loculi, qui jam dudum animam omnem cum auro in gazophylacium Francicum exhalarent, fuissent expugnati, regius in urbe quaestor zonam nobis perdidisse, prorsusque ἀχρηματους esse conspicatus, importunas has belluas tum quidem ex aedibus nostris amovet ferale interim consilium animo fovet, quo vel ab invitis tributorum solutionem extorqueret; id vero quo minus protinus designaret, fecit obsidendae a caesariano milite urbis Trevericae periculum, quo evanescente, mox conceptum animo facinus prodidit. Mittuntur sub decembris ineuntis calendas ad aedes nostras commissarii, qui cellas iterum vinarias lustrent, vasorum numerum ad notam sumant, singula gustent, meliorisque notae probas ad intendentem deferant, redirent dein post dies pauculos iidem, caveam sibi quam primum ad extrahenda juxta quaestoris Francici imperium vina recludi imperat, at dum

infami fortunarum nostrarum direptioni cooperari, nefas ducimus atque necessaria vitae subsidia nobismetipsis subtrahere, conscientia terrente tenuimus, illi effractis per vim repagulis in caveas irruunt, nullaque de pretio facta mentione, decem ferme delicatioris saporis plaustra cum notabili monasterii pernicie ob morae impatientiam minime per transvasationem elucriata extrahunt, ac in deputatas aedes, frustra nobis contra violentiam protestantibus, avehunt, toties postliminio redituri, ut et ipsi interminantur, et nos jure extimescimus, dum vel extrahenda deficiant, vel ex divenditis necessariis nobis vitae adminiculis, praetentas illas enormes contributiones per summam violentiam corradant; atque ita lento quasi stillicidio sanguinem omnem e religiosorum venis exsugant. Obgannientem hic audire videor Gallum; dum exprimi sanguinem assero, sed veritatis umbone tactus, imo vero sanguinem, inquam, testem requiris, testem habe S. Franciscum de Paula, qui cum Galliarum regi Ludovico XI. indeletiis veneratio neque olim fuerit, displicere Gallo non debet. Obtulerat rex sancto huic in religiosae familiae recens institutae solamen ingentem auri argentique vim. Regium omnino gloriosumque facinus, si de suo Ludovicus largiretur. Quid igitur Franciscus? negavit se accepturum, satius regi futurum, libere contestatus, aliena si restitueret, quam si adeo magnifice profunderet non sua. Abnuenti regi alienum se possidere, ea ipsa pecunia, reponit S. pater, quam mihi obtrudis, rex; pauperum sanguis est, quem exaggeratis tributorum pensitationibus exsuxisti, et ne dubites, experimentum cape, ac cum dicto nummum ex summa, quae offerebatur, corripit, duasque in partes diffringit, ex quibus inspectante attonitoque rege, plurimus illico sanguis fluxit; tremendum profecto universis regibus principibusque ostentum!

Ecquid obsecro futurum existimas Galliae minister si Treverim nunc Franciscus alter ingrediatur, manuque thaumaturga congestos illos e patrimonio Christi pauperumque cruento sudore auriacervos contrectet? Nullus dubito, quin veluti in altero Rictiovari furoris diluvio, Mosellam multo spumantem sanguine cernes. Non enim falli aut fallere potest spiritus

veritatis, qui per Siracidem contestatus. Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, et qui auffert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Eccles. 24, 25 et 26.

Theophanis non ignobilis ex antiquis scriptor dum ad annum Christi 757 luctuosum ecclesiae orientalis non sub immani duntaxat sceleratissimi Constantini Copronymi impietate ingemiscentis, sed etiam dira Saracenorum tyrannide extreme divexatae, statum deplorat; rem ac cum diem inauditam posteritati consignaturus:

Hoc, inquit, anno Habdalas Saracenorum princeps tributorum rationem christianis ampliavit, adeo ut omnes monachos et inclusos, qui deo placere noscuntur, sub tributis redigeret, ut refert Baron. Tom. IX. ad ann. Christi 757. Verum enim vero calamum reprime eminentissime cardinalis, stuporem siste Theophanes, nec eam a personis Deo sacratis tributorum exactionem, veluti insolitum portentosumque facinus posteritati obtrude. Vidit, videt etiamnum aetas nostra, et patitur sub christianissimo rege, quod in barbaro Saracenorum principe omnis retro antiquitas fuit abominata; videt in et extra Trevirorum metropolim post tot celeberrimorum monasteriorum collegiorumque excidia, post tot amplissimarum collegiatarum, conventualium, parochialiumque ecclesiarum incendia ac demolitiones, post tot fortunarum omnium direptiones.

Videt, inquam, clerum omnem regularem, juxta ac ecclesiasticum universaque pro amore sponsi sui Christi Jesu inclusas virgines, usque adeo atrocibus tributorum exactionibus divexari, militaribusque executionibus ad solutionem compelli, ut jam pluribus etiam debilioris sexus regularibus personis ad aliarum nationum monasteria, relictis professionis suae domiciliis ob rei domesticae extremam penuriam fuerit commigrandum. Reliqui vero, qui in pristina etiamnum statione religiosa consistunt, per inexplebilem Francorum avaritiam ad sanguinem usque exhausti, sub gravissimis oneribus, veluti servitute Aegyptiaca suspirant, et quibus parcit gladius, hoc per lentas mortes egestas depopulatur, fames depascitur, obruit calamitas.

Adeo ut in Treverico clero renovari cum dolore videamur, quod sub Agathone pontifice ante nongentos nonaginta quatuor annos accidisse lamentatur ecclesiasticorum annalium conditor, quo sedente, ecclesiae in eam redactae sunt paupertatem, ut earum ministres corporali exercitatione victum sibi comparare fuerit necessum, ut habet Baron. ad ann. Christi 680.

CAPUT III.

Abbatia et monasterium Sancti Matthiae.

Celebre apud Treviros patrum benedictinorum monasterium alterum S. Matthiae vetustate ac religione, extra muros ad meridiem spectatur, quod a reliquiis honoratissimi illius corporis, priscis temporibus sub Romanorum pontifice Sylvestro illuc ex Oriente translatis, apostolico est nomine insignitum, tanto majore observantia et honore dignum, quod hic Christo primum inclarescere coepere Trevirorum pectora, hic primum factae sementis laetissimum fidei germen emicuit. Hic Eucharius, Valerius, Maternus, caeterique longa serie praesules et vivi et mortui sacris loca omnia vestigiis consecrarunt. Postquam vero Hunnorum insana abolendi cuncta libido interitum, et ultimum huic loco exitium attulit, Cyrillus Trevirorum archiepiscopus, reparatis, quae flamma aboleverat, aedificiis, templum hic cum monasterio, incertum, qua disciplina, posuit, et primorum episcoporum augusta pignora sub annum Christi 455 novam in sedem intulit. Etsi vero serius D. Benedicti familia huc immigravit, locum tamen cellae B. Eucharii, Trevirorum apostoli, nomine celebrem (quod vivus sedem illam, moriensque tenuerit) minime ambigua fide ad nos pervenisse, nec religione cleri, aut coenobitarum fuisse vacuum, majorum innixi vestigiis, haud vana traditione tenemus.

Prisci Trevirorum annales, atque ex iis Caspar Bruschius, cum Mesenichio, Browero, aliisque tradunt, Albanam illic olim, senatorii ordinis viduam, nobilem incoluisse domum, quam, post filium a morte per Eucharium sibi restitutum, ultro cesserit ad ecclesiae christianae usum. Cui deinde nomen haeserit cellae sive oratorii S. Eucharii, quanquam et ecclesia S. Joannis Evangelistae, quem adhuc viventem patronum sibi Eucharius adsciverat, fuerit nuncupata, donec lapsis temporibus, postquam sanctorum istic episcoporum plures sepulti essent, jamque per Agritium honorandi loci gratia apostolicae D. Matthiae reliquiae illatae essent, religio, veneratioque cresceret, quae admirandis sensim rerum eventibus, populorumque undequaque affluentium celebritate confirmata D. Matthiae sacrum nomen ecclesiae primum, illustriori opere ab Agritio excitatae, ac dein monasterio, annis posterioribus instituto, reliquit. Sed hinc coenobitis nata cum Romanis haud levis concertatio, qui ejusmodi sanctitatis pignus sibi antiquissima possessione vendicant. Siquidem Petrus de Natalibus, lib. 3. cap. 149, illud ex Judaea Romam translatum, in ecclesia S. Mariae Majoris depositum, ejusque caput ibidem demonstrari solitum, asserit. Cui Onuphrius Patavinus accedit, adjicitque de Romanae urbis reliquiis, sub principali hujus basilicae ara sepultum esse corpus, populoque in festo paschatis exhiberi. Jacobus de Voragine sub lapide porphyretico recondi docet. Quae ecclesia sub Paschali papa, ut Anastasius bibliothecarius tradit, instaurata, hanc in abside inscriptionem accepit: *In hac sacra basilica corpora Ss. Matthiae apostoli, Hieronymi doctoris, Romulae et Redemptae, virginum, reconduntur;* unde aliqui cum D. Hieronymo ex Oriente translatum censent. Verum cum non constet per alium, quam S. Helenam, ut annales Trevirensium docent, translatas ex Oriente reliquias esse, et S. Matthiae apud Treviros post aliquot saecula inventio, raris miraculis et pene irrefragabili, ut mox videbimus, testimonio conjuncta aliud tradunt, hunc Romanis thesaurum, si non omnino ereptum, certe ut sentio, eunt imminutum. Quae etiam causa S. Antonium de his reliquiis scribentem,

suspensum reddidit. »Corpus,« inquit, »de Judaea translatum »Romam, exinde Treverim secundum eam legendam deportatum »est, sed secundum alios Romae dicitur communiter requiescere »in ecclesia S. Mariae Majoris sub lapide porphyretico, cujus »caput populo monstratur.« At si illud sub Sylvestro et Constantino magno translatum, quomodo in ecclesia S. Mariae Majoris, quae ob prodigiosam in aestate nivem sub Liberio primum pontifice, qui anno Christi 353 hanc sedem obtinuit, constructa est, ut anniversaria hujus prodigii memoria ecclesiasticae tabulae meminere? Prioribus itaque temporibus partem aliquam reliquiarum D. Sylvester ex corpore ac capite etiam apostoli relictam, et demum huic ecclesiae ornandae transcriptam minime iverim inficias. Qua de re in suis Browerus annalibus consuli poterit, qui ut non iniquis rationibus, ita scriptorum veterum auctoritate, et testatissima miraculo fide has apostolici corporis reliquias Trevericae ecclesiae vendicat. Certe anonymus, qui primae describit inventionis historiam, quae anno Christi 1053 accidit, vixitque circa annum Christi 1100, cum illis, qui inventorem, ejusque ex attactu stillantes oleo digitos viderant, sic in prooemio scriptionis inquit: »quomodo de Judaea« (corpus S. Matthiae) »in »Treverim venerit, sicut in historia Treverica et in monumentis »Sylvestri papae légi, miracula quoque ejus subsequentur, »edisseram.« Qua oratione, nisi fallat, certum nobis argumentum ex pontificia auctoritate suppeditat. Sic enim deinde ex his scribit: »Agritio B. Helena reliquias magnificas, tunicam »videlicet Christi Domini inconsutilem, cum uno clavorum et »cultello Jesu, sanctum quoque apostolum de Judaea trans»latum suae urbi defendendae (defendendum) per manus Syl»vestri tradidit, cui etiam idem apostolus privilegium antiquae »dignitatis, quod hactenus in monumentis publicis habetur, »reformavit.« Post haec tradit Agritium alte sub terra reliquias s. corporis, juxta S. Eucharium, recondidisse. Ubi ignoratae posteris saeculis, tandem sub Henrico imperatore anno salutis 1053 repertae in loculo plumbeo sunt, cui appositum marmor, hanc epigraphen continebat: Σ. ΜΑΤΘΗΑΣ ΑΠΟΣΤΟΛΟΣ, Graecis literis, at sermone Latino. Huic paria

fere Lambertus, sequentis, ut apparet, saeculi post anonymum, ex eodem monasterio scriptor. A quibus aetate nostra P. Mesenich, ejusdem asceta ordinis, deflectit, cum hujusmodi marmoris inscriptionem antiquo literarum schemate profert. *†. Corpus S. Matthiae. Helena dante, ab Agritio Treveri translatum;* in dorso vero ejusdem marmoris hanc inscriptionem adjectam fuisse subjicit: *Anno Dominicae Incarnationis CCCLXVIII.* Sed hanc epigraphen post inventionem primam, quando reliquiae D. Matthiae, divisae, locisque diversis ob insidiatores thesauri hujus reconditae fuerunt, alteri earum parti sub Eberhardo abbate et Brunone Trevirorum archiepiscopo adjecta esse, jure suspicor. Nec ipse Mesenichius alibi diffiteri videtur; tum quod sub Agritio hic usus chronologicus per annos Christi, tempora designandi, nondum in ecclesia receptus fuerit; tum quod a chronologiae parum perito, veterumque ignaro temporum exaratus, non Agritii, jam dudum vita functi, sed Bonosii archiepiscopi aetatem signarit, reponendumque sit anno Dominicae Incarnationis CCCXXVIII., numero L in X. converso, nisi hic scriptoris, aut typographi error fuerit.

Porro sat luculenta hujus suae possessionis documenta Matthianis coenobitis ipsi de caelo praebent coelites, quando tot supra naturam mirandis patrocinium divi Matthiae huic loco asserunt; atque ipsi etiam post fata mortui ad vitam reduces irrefragabile veritatis testimonium proferunt, quibus assentiri nolle, humanae juxta Divinaeque fidei sit refragari. Sed in his, ut dixi, ad annales nostros anxium lectorem remitto, caeterisque, qui pro Romanis stant auctoribus, nihil aliud nisi partem aliquam reliquiarum indulgendam censeo; quanquam si de capite apostoli disceptetur, hujus praecipuam sibi partem metropolitani Treverici ab eodem Agritio vendicent, quod hoc a praecipua Trevirorum ecclesia non putaverit sejungendum; ita tamen ut mentum ab eo inferius Matthianis concessum sit.

Nunc si religiosorum ejus loci hominum originem vestigemus, fas est credere ab eadem, qua Maximiniani hanc ducunt antiquitate esse petendam, et Agritium traductos ex Oriente

ascetas, hoc etiam loco, tum ad veterum sanctorum episcoporum longo istic ordine sepultorum honorandas reliquias, tum ad ecclesiam D. Joannis apostoli religioso pietatis cultu excolendam collocasse. Hoc tamen ex veteri nobis historia magis exploratum est, quod post ultimam gravissimamque Trevirorum ab Hunnis illatam, religiosis praecipue locis, vastitatem, Cyrillus archiepiscopus, ut suo in annalibus loco traditur, circa annum Christi 455 templi, sacrorumque cladem, excidiumque miseratus, cum illustri basilica religiosorum istic hominum monasterium sub ascetica non quidem (ut male notat Mesenichius) D. Benedicti, id temporis nondum nati, sed Basilii magni, ut videtur, disciplina excitaverit, qui sub archimandrita quidem, sed praesulis sive abbatis nomen, dignitatemque fugiente monasticen, honestissimaque artium liberalium ac scientiarum studia excoluere. Hinc gymnasium S. Matthiae dictum est; unde non pauci ex illius aetatis more viri qua eruditione, qua sanctimonia clari ad ecclesiae religionisque christianae emolumentum prodiere. Locus monasterii amoenus, et limpidorum fontium rivulis, quorum Bruschius ante saeculum octo censuit et viginti, ex una omnes ductos scaturigine, salubriter irriguus, olim moenibus Romanae urbis inclusus, nunc extra urbis angustioris muros ad medium facile excurrens lapidem, illustri plane assurgit basilica, qua Maximinianae aedis majestatem aemulatur. Atque ad ipsum chori majoris introitum aram D. Matthiae sacram cum ejusdem reliquiarum ingenti tumba stipantibus longo ordine supra columnarum stylos, cereis gravi pondere candelis, quas devotionis gratia variae circumjacentium populorum urbes suis descriptae insignibus solenni supplicatione per tridui, quatriduive saepe iter deducta, pie sancteque apostolo quotannis consecrant.

Sub ipsa Divi ara subterranea sese crypta fornicato, et illustri quaqua versum opere aperit, quam inclusae parietibus et parte aliqua prominentes lapideae ac grandi mole tumbae hinc atque hinc plures stipant, Sanctorum ac primorum episcoporum, aliquot hic saeculis depositorum reliquias complexae. »Eucharius,« inquit Bruschius, »in subterraneam templi cryptam

»positus, ibique humatus est. In quem locum omnes postea ejus »successores episcopi Trevirenses, usque ad Valentinum, 26. an»tistitem collocati, et deportati, ibique decenter humati sunt, »tumulis et mausolaeis quidem amplissimis parieti cryptae ele»ganter insertis, quae non nisi cum multa admiratione videri »possunt.« Ad sinistram deinde templo exeuntibus coemiterium S. Eucharii sese offert, ubi praeter vetus sacellum a Jacobo abbate Deiparae excitatum visitur, aliaeque tres cryptae sanctorum corporum reliquiis plenae pietati obeuntium patent. Nec alia desunt antiquitatum etiam profanarum vestigia, sive monumenta, uti exeuntibus coemiterio saxeum ex alabastro sese in murorum civitate ostentat, seu Veneris sive Dianae nudum simulacrum intra ferreos clathros, quod a praetereunte juventute tam frequenti lapidum jactu obtritum est, ut omnibus pene formae lineamentis obliteratis, solum hodie truncum spectemus reliquum. Versus illi adjectos, alibi, in Antiquitatibus, damus. Postquam deinde areae portam egressus fueris ad laevam supra emicantem ex tubo fontis aquam, qui publicum iter tenentibus ad usum patet, vetus quoque aenigma fugientibus jam literis, quadrato murorum lapidi inaratum, his verbis legitur: *In medio domus circumdederunt me inimici mei, et domus mea exivit per fenestras, et ego captus sum in medio ipsorum. B͂N valete MCCX.* Numerorum vice has ultimas notas literarum esse censeo, quae nunc obliteratae olim hunc expresserint Christi annum MCCXCVI. quando Mosella inusitata exundatione aquarum ipsum urbis superfusus pontem, Matthiani coenobii aream ingressus, spectabilem una piscem eodem infudit, de quo intercepto hoc aenigma posteris in hoc lapide sit relictum. Hac enim historia supposita, haud difficilem literarius hic nodus solutionem admittit. In quo piscis queritur, ab inimicis sese piscatoribus circumdatum, in medio illorum reti captum inhaesisse, postquam domus ipsius, aqua, per aperta retis foramina, tanquam per fenestras, elapsa est, nisi forte malis, aquam, dum Mosella subsideret, per fenestras alicujus istic domus relabentem, piscem intra domus angustias ad captivitatem obvium reliquisse. Nam et hanc interpretationem aenigma

admittere poterit. Quae, si non placeant, aliam erudito lectori conjecturam defero, meque ad praelatorum hujus loci, qui sub D. Benedicti, quod etiam hic viget, instituto celebrati a majoribus fuere, expositionem converto.

Postquam Egbertus, ex illustri Hollandiae comitum familia, Trevirorum laudatissimus antistes, religiosam ejus loci disciplinam pro sua in Deum pietate instauratam vellet, ex Gandavensi D. Bavonis apud Flandros monasterio, perspectae integritatis et prudentiae virum accersivit, qui ad sanctissimas D. Benedicti regulas religiosorum istic hominum mores formaret. Neque hactenus satis exploratum est (calamis hic majorum silentibus), vigueritne ibidem loci jam receptum ante D. Benedicti institutum, an hac primum occasione sit introductum? Bruschius illud his verbis tenere videtur: »Abbatum,« inquit, »primorum et vetustiorum omnia nomina interciderunt, »qui vero ab Egberti archiepiscopi temporibus ad haec nostra »usque praefuerunt, eorum nomina subjungere libuit.« Quem et ego, relieta hac disceptatione, imitabor.

1. Gotherius igitur, Bavonini apud Flandros monasterii delectus asceta, omnium calculis in abbatum nomenclatura censetur apud Matthianos primus, qui Egberti archiepiscopi Trevirensis judicio inauguratus anno salutis 977, sanctioris istic disciplinae fundamenta jecit. Egbertus vero opes loci pristinas Longosurae villae augmento locupletavit. Cujus etiam impensis longe illustrior basilica in altum educta est, evenitque ad inflammandam praesulis, populique pietatem, ut, dum fundamentis eruendis insudarent operae, reconditas saeculis aliquot B. Celsi, quinti Trevirorum episcopi, sacrati corporis reliquias offenderent, quas non sine insigni miraculorum gloria e tenebris in apertam lucem produxerunt, de quo in annalibus disertius actum est. Caeterum inspeximus, inquit Browerus, Egberti vetus diploma, ab anno Christi 979, quo Longosurae praedio dato basilicae S. Materni (cujus in oratorio boreali vestigia cernuntur), aeternum lumen conciliat. Interea post tredecim praefecturae suae annos, Gotherius, jam coelo ma-

turus, immortalibus associatus est; quanquam Mesenichius triennio fere hunc ante, sed nescio, quo autore, sepeliat.

2. Engelbertum post hunc, abbatis hoc loco dignitate non immerito sufficiendum esse statuo, licet enim Browerus locum praelaturae in disceptationem vocet, satis tamen argumenti vita hic acta, conclusaque cum proposito sepulchri epitaphio sufficit. Ille igitur ab Eisengreinio, Tritthemioque, ecclesiasticis insertus, musicae, poëseos, ac philosophiae, id aetatis peritissimis accensetur, qui vitam, martyriaque apostolorum duodecim heroico versu complexus, artis, juxta ac pietatis, eximiae documenta reliquit. Mortuus sub Henrici, piissimi imperatoris, exordia, salutis anno 1002, sepultus ad plagam septentrionalem, sub arcu turris quondam fortissimae, in qua sacellum ipse cum altari D. Helenae, matris Constantini magni, honori consecrarat; hoc epitaphio posteritati commendatus:

Hoc recubat busto semper memorabilis abbas
Engelbertus ovans, spiritus astra colit.
Mensis marti obiit bis senis ipse calendis.
Construxit templum, quod retinet tumulum.

3. Gunderadus, ad primorum abbatum hujus loci numerum relatus, quamvis a Bruschio et Mesenichio praeteritus sit, jure tamen accensetur. Cum illius, aevi hujus scriptor fide dignus, Theodoricus, S. Matthiae coenobita, in tractatu de inventione et miraculis B. Celsi meminerit: ac proinde in senio haud admodum diu praefuisse, credibile sit. Solo igitur triennio ejus praefecturae annos definimus.

4. Richardus eidem surrogatus, quem religionis non minus, quam studiorum in ascetis suis promotorem eximium fuisse declarant, tot illustres scriptis atque eruditione viri, qui sub ipso inclaruere, in quibus Theodorus et Theodoricus, quorum Tritthemius (chron. Hirsaug.) atque Eisengreinius (in catal. testium verit.) memoriam recolunt. Et Theodoricus quidem, praeter doctissimos de Sanctis sermones, B. Celsi miracula, sanctitatemque duobus voluminibus prosecutus est. Porro Richardus, postquam annis 18, mensibus 4, diebus 5, suos cum

laude moderatus esset, fatis circa annum salutis 1024 concessit; plures illi Bruschius annos, sed ob praeteritum cum Gunderado Engelbertum assignat. Vivit etiam in metropolitanae ecclesiae chartis suo utique merito Ruocelinus, monachus de S. Euchario, qui istic idibus augusti ex hoc saeculo migrasse dicitur.

5. Bertulphus successit, fervidae precationis, contemplationisque Divinae studium, dies noctesque toto pectore complexus, ut nullum ei tempus jucundum videretur, quod non cum Deo expenderet. Quo nomine in vita Popponis abbatis S. Maximini, celebratur. Sub illo monasterii facultates munificentia Adelberti et Juttae, Lotharingiae principum, auctae fuerunt, Manendorpho cum adjunctis tradito. Nec sua liberalitate defecit Adelbero Lutzelburgius, ad S. Paulinum praepositus. Ita Divinis humanisque bonis locuples Bertulphus anno Christi 1050 immortales adiit.

6. Reginardus praesul sufficitur, non alia re magis memorandus, quam quod sub Bertulpho, decessore suo, repertum S. Valerii cum Euchario corpus, ad Henrici imperatoris preces, et Eberhardi archiepiscopi voluntatem, concesserit Goslariam Saxonum transferendam, ratus sub Eucharii protoepiscopi tutela suae ecclesiae consultum satis fore, licet Valerium aliis defensorem concederet. Neque ingratus caesar, Vilmariam, ad Loganam amnem, monasterio jure optimo possidendam transscripsit. Eberhardus etiam illud sua liberalitate complexus, anno 1059 religiosis benigne fecit. Reginardus tamen Mediolacensi coenobio postulatus abbas, an deserta apud S. Matthiam statione, an utraque retenta, officio advigilaverit, incertum reliquit, deseruisse per mortem anno salutis 1062 consentiunt.

7. Ropertus, Rupertus, ab illo pedum apprehendit, qui postquam annis totidem ad augustum mensem usque, ut in fastis Maximinianis est, praefuisset, ad majores discessit aõ 1074; sub quo Eberhardus, Trevirorum archiepiscopus, in cerea imagine a Judaeis, diabolico artificio, consumptus est.

8. Bernardus, eodem anno numeratus successor, morte sua, quam vita posteris notior, post tres et viginti praefecturae

modeste administratae annos, ad VII. calend. martii anno salutis 1097 sepulchro est destinatus.

9. Eberwinus, quem Erwinum alii dicunt, hac laude innotuit, quod monasterii et disciplinae labantis res suscepisse dicitur atque erexisse, qua ad superos post annum tertium et decimum pastoratus sui palma gloriosus abiit, ão 1110.

11. Eberhardus de Kamberg surrogatus, qui inchoata ab Eberwino monasticae instaurationis opera incredibili virtutis ac felicitatis laude auxit, absolvitque. Basilicam illustriori aggressus specie, eximia Brunonis archiepiscopi munificentia adjutus est, postquam reperto D. Matthiae juxta Eucharium protoepiscopum corpore locus tanto nomine, et miraculorum gloria est celebratus; quanquam bene ab hac inventione auspicatum opus, jam in sua perfectione consistens, insperato correptum incendio hanc non nihil felicitatem interturbarit. Impediri tamen conceptus non potuit fervor, quominus fastigio rursum basilicae imposito finem optatum, verum a morte Eberhardi sub Bertulpho abbate, consequeretur, quando Adalbero archiepiscopus Eugenium Romanum pontificem cum D. Bernardo invitatum Trevirisque omni honore exceptum, ad hujus ecclesiae consecrationem induxit. Anno igitur Eugenii pontificatus 3°, Adalberonis 16°, ordinati Bertulphi abbatis 12°, haec ecclesia in D. Matthiae apostoli honorem a Romano pontifice est consecrata, magno utique argumento probatam hanc ab Eugenio Bernardoque fuisse D. Matthiae inventionem. Et forte recenti adhuc memoria repertarum nuper ab Eberhardo Trevirensi archiepiscopo Romae tabularum, quibus signata erat apostoli hujus Roma Trevirim facta translatio; unde exstimulatus cum abbate praesul, sedula investigatione annis jam aliquot hunc thesaurum cupidissime sectatus erat, ut suis in annalibus locis expositum est. Caeterum quo Eberhardus abbas tempore mortalia reliquerit, variantibus scriptis disceptatur. Illud exploratum, domestico hic indici fidem non deberi, cum annum mortis assignat 1129, quando ex diplomate Wilhelmi, palatini comitis, et Adelheidis, quo trajectum fluminis circa Cochemiae tractum immunem concedit, anno adhuc

1130 superfuisse constat. Quodsi igitur Bertulphus, ejus successor, anno salutis 1148 ordinationis suae annos censuit, ut ante tradidimus, 12, si hos ad Everhardum decessorem usque annis Christi interlapsis sustuleris, 1136 est relicturus, ad quos usque Eberhardum statuas praefuisse. Unde cum Bruschio Mesenichium errasse, in hoc calculo constabit. Nomen D. Matthiae, an monasterio ab hoc inventionis, an a primo depositionis per Agritium tempore haeserit, problema esto. Ego ut supra jam olim adhaesisse contendentibus, non multum adversabor, quandoquidem hoc solo nominis affixi argumento, certitudo D. Matthiae ìstic jam olim quiescentis constare non poterat, cum hae appellationes etiam locis a Sanctorum sepulchris longe submotis tribuantur, ut ex hac ignoratione serius hunc titulum largientibus ratio nequeat indubitata suffragari.

12. Bertulphum (Bertholdum), ejus nominis secundum, jam meminimus Eberhardo ad pedum simul, templique absolutionem successisse, qui pontificem Eugenium cum 18 cardinalibus Treviros invisentem, ad basilicae jam absolutae consecrationem excepit. Illae caeremoniis, inusitata inter tot cardinales solennitate, institutis ecclesiam quidem, non in solius D. Matthiae honorem, verum et S. Joannis, cui a priscis hic locus temporibus per Eucharium dicatus, et S. Philippi, cujus pars magna reliquiarum ibidem possidetur, adeoque in trium apostolorum memoriam consecravit. Quibus et primorum hujus loci Sanctorum pontificum, Eucharii, Valerii, Materni, Celsi, Agritii, aliorumque, ut S. Stephani, Martini, Turonensis episcopi, veneratio accessit. Ara igitur summa per Eugenium S. Stephani pontificis, martyrisque patrocinio cum appositione SS. reliquiarum dicata est. Qui hinc ad aram progressus mediam, quae ante tumbam D. Matthiae extrema chori claudit, huic illam apostolo, ac D. Jacobo, fratri Domini, sacram esse jussit. Interea cardinalium aliqui, qui erant episcopi, diversis per utrumque chori latus, et in crypta altaribus consecrandis accessere; aliudque S. Joanni Baptistae, aliud S. Stephano protomartyri, S. vero Martino Turonis episcopo aliud,

et aliud S. Agathae virgini ac martyri, tutelaribus Divis addictum est. Posthaec Bertulphus quot annis superstes vixerit, a nonnullis ambigitur. Sed qui publicis literarum documentis plus, quam domesticis tribuendum scriptoribus censent, ii (qui anno salutis 1155 abiisse vita scribunt) hi nobiscum sentiunt, anno Christi 1159 etiamnum superfuisse, quando Hillinus archiepiscopus certis in praediis Bertulpho jus confirmavit, ut taceam affuisse eundem anno 1157 cessioni Friderici imperatoris, qua possessionem abbatiae Maximinianae Hillino adscribit. Quodsi igitur communi stemus calculo, quo juxta Bruschium, aliosque, 26 annis praesedisse notatur, intelligemus vivendo annum reparatae salutis 1162 assecutum esse, occ. ille 1143, 1152, 1154. — Illustravit per hoc tempus ingenii, doctrinaeque praestantia S. Matthiae contubernium Lambertus de Legia, coenobita, vir undequaque, ut Tritthemius, chron. Hirsaug. ad ann. Christi 1058, ait, doctissimus, metro exercitatus et prosa, qui multorum Sanctorum historias, utrovis scribendi genere est prosecutus.

13. Gerwicus subinde abbas, a Bruschio et Mesenichio praeteritus, a Browero repertus, a Bucelino jure probatus est. Quia ex archivis constat, quod in controversia decimae salicae vel dominicalis Crufftensis ecclesiae ão 1163 Lacensi monasterio praesto fuerit, cum Godefrido, S. Martini, et Reinbaldo, S. Mariae ad martyres praelatis. Abiisse praelatura et vita anno salutis 1168 videtur.

14. Ludovicus perperam a praedictis auctoribus Sibaldo postponitur, cum ut Browerus tradit, satis constet, Siboldum Joanni archiepiscopo, beneficia tribuenti ão 1212 adstitisse, Ludovici vero propriae manus confessione exploratum sit, eum sub Hillino archiepiscopo, qui ão 1169 obiit, praefuisse. Haec enim illius professio, a Browero inspecta: »Ego Ludowicus »abbas S. Eucharii promitto obedientiam Trevirensis ecclesiae »sedi, et tibi Hillino Dei gratia Trev. archiepiscopo et apostolicae sedis legato et tuis successoribus catholicis in perpetuum, »salvo proposito ordinis mei.« Idem porro Ludovicus, cum ão 1183 Arnoldo archiepiscopo morienti adstitisse legatur, sub

Hillino coenobitas, et post mortem Arnoldi quoque moderatus esse cognoscitur. Quodsi igitur 20 annis, ut Bruschius vult, praefuerit, et unum illi sub Hillino vitae demus, quinque post Arnoldum sex tantum praefuisse Gerwicum, et Godefridum Ludovico anno Christi 1188 successisse constabit.

Quo vero pietatis ac miserationis affectu pauperes complexus sit, argumentum nobis est hospitalis domus, juxta monasterium erecta, atque ab eodem fundata, quae hodiedum visitur. Sanctorum quoque reliquiis majori honore excolendis intentus, S. Blasii episcopi et martyris corpori illustrius asservando, tumbam jussit aptari. Observat Mesenichius hoc abbate parochiales ecclesias S. Medardi episcopi prope monasterium ad littus Mosellae, S. Antonii in Pellingen, et SS. Quintini et Georgii martyrum in Hempteren, a Joanne archiepiscopo suis esse attributas cum onere lampadis unius ante aram S. Matthiae, et alterius juxta aram S. Eucharii perpetuo lumine alendae; virginum quoque Montis S. Mariae juxta Boppardiam religiosum contubernium a S. Matthiae coenobitis leges sub eo accepit, et administrari coeptum est. Praefuisse Ludovicum quoque abbatiae Epternacensi, Bruschius ex annalibus ejus loci tradit, ab anno videlicet 1173 per octennium; an vero simul utrumque locum moderatus, alibi videbimus. Certe egregium cumulata haec dignitas virtutum ipsius argumentum est.

15. Godefridus ante Siboldum quoque memorandus est, qui, ut Theodoricus monachus in datis ad eundem scriptis testificatur, ão 1181 post cessionem Ludovici, abbas Epternacensis creatus est, cumque id muneris non impari ab antecessore laude administrasset, Treverim quoque ad S. Matthiam, Ludovico jam vita functo, per Joannem archiepiscopum avocatus est, quod hic profusa hunc locum benevolentia, beneficentiaque complecteretur, adeoque non spiritualium minus, quam temporalium ejus bonorum satagens optimo rectori commissum vellet. Perstitisse vero in tradita sibi ab ão 1196 cura Godefridum usque ad annum 1210 Epternacensis ecclesiae documenta testantur, quanquam etiam constet, eodem hoc ultimo praefecturae suae anno in synodo generali cum Joannis

archiepiscopi diplomati, Cardonensi ecclesiae concesso, subscripsisse, hac in meta constitutus signum vitae ultimum posteritati relicturus.

16. Siboldus deinde, quem alii Sibodum dicunt, surrogatum esse, luculento satis indicio deprehenditur, cum post Godefridum Joanni archiepiscopo in diplomatis beneficiorum signandis adfuerit, sed hic breve imperium intra anni terminum conclusit, diuturniori successori locum facturus.

17. Jacobus itaque, ex illustri ducum Lotharingorum familia, magistratum in hoc asceterio longaevum 46 annorum nactus, rem domesticam, sacramque juxta insigni accessione cumulavit. Et ejus quidem tabulas invenimus anno Domini 1219 confectas, quibus ipse cum aedis primariae clero, Theodorici archiepiscopi rogatu, de jure patrocinii ecclesiae SS. Gervasii et Prothasii transegit, cum eo tamen onere id jus canonicis indulgens, ut quoties vel abbas, vel monachi negotiorum causa in urbem concederent, paratum in dormitorio fratrum majoris ecclesiae (verba sunt literarum) istic ipsis cum camera et liberali victu hospitium esset. Accessit sub Jacobo praeter eas, quas Theodoricus archiepiscopus in Mamonis-villa et Niederberga donavit ecclesias, alia non obscura Regismachra nuncupata, Virdunensibus canonicis praedium, cui a Stagno nomen erat, cum ea permutantibus. Indulsit et Honorius III. pontifex, usum ipsis angelici cantus, *Gloria,* per quadragesimam propter insignes Sanctorum reliquias, quamvis eo tempore a communi ecclesiarum usu proscripti. Sed et Virgini Deiparae magis honorandae singulare illi atque inprimis nobile sacellum in coemiterio S. Eucharii molitus est, ab Arnoldo archiepiscopo gravi ceremonia consecratum. Denique postquam domi, forisque in sacris juxta profanisque res monasterii aut collapsas instaurasset, aut stantes auxisset, annorum ipse meritorumque plenus, ão 1257 in Domino quievit; sepultus in eodem, quod erexerat, sacello praememoratae Virginis, elevato a terra sub nigricante marmore ejus monumento. — Praeluxit hoc tempore austeritate vitae, et innocentissimorum morum commendatione alumnis S. Matthiae Otto, qui annis facile quadraginta

coenobii disciplinam prioris munere quam sanctissime est moderatus. Cujus ex elogio, quod Thomas Cantipratanus amplissimum illi reliquit, integritas, et sanctimonia vitae monasticae, quanta id aevi hoc in asceterio extiterit, manifestum est.

18. Theodoricus, ex eadem Lotharingiae domus prosapia, ut genere, sic virtute non impar Jacobo, successit, vir eximia animi celsitudine et incomparabili fortitudinis laude inter adversa spectatus. Quamvis enim summa illi apud Urbanum et Clementem, pontifices, gratia, gravissimis tamen inter viros ecclesiasticos aemulationis ac discordiae procellis ob hanc praecipue favorem jactatus est. Siquidem hinc Henricus Vinstingius, Trev. archiepiscopus, omni illum injuriarum genere est insectatus; inde Guilielmus Meysenburgius, S. Maximini monachus, Vinstingii ope fretus gubernacula per vim extorsit, ac sede sua ejectum proturbavit. Itaque in hoc dissensionis aestu ao 1265 exacti avitis sedibus coenobitae basilica D. Matthiae per vim occupata et rapinis exinanita, alienatae possessiones, et omnis denique monasterii status convulsus est; quin et ipsae D. Matthiae reliquiae pristina statione dimotae, atque in urbem translatae fuere, donec apostolica Vinstingius potestate coërcitus, poenitentiaque ductus, tranquillitati post tempestatem atrocem, locum fecit. Subinde vero Theodorico curae fuit, res monasterii collapsas quanta posset sedulitate erigere, male dissipata colligere, villas, domosque incendio deletas, rursum excitare, disciplinae jacturam nova religione sarcire, quae latius apud Golscherum, tempestatis hujus ortae, sedataeque egregium scriptorem reperies. Denique Theodoricus rebus ex animo compositis, anno instauratae salutis 1287 in pace quievit.

19. Alexander subinde locum reperit, cujus rogatu Boëmundus archiepiscopus indulsit, ut Vilmariensis ecclesia, quod ea aetate insolitum, a monacho administraretur, cura animarum in eundem derivata. Excessit senectute bona, post annos praesulatus 19, salutis nostrae 1306. — Sub hoc floruit insigni eruditionis laude celebratus Golscherus, hujus loci

coenobita, de quo Tritthemius et Gesnerus memorant, quod in declamandis ad populum homiliis probatae fuerit industriae, librosque scripserit complures; unum de laudibus S. Eucharii, Trevirorum protho-episcopi; alterum de S. Valerii, tertium de S. Materni, ejusdem loci episcoporum, vita; quarto laudes plurium Sanctorum complexus est; quinto historiam gestorum Trevirensium comprehendat; ac denique plura scripserit sibi incognita, in quibus Mesenichius censet volumen unum, quo Theodorici, abbatis proximi, historiam est prosecutus. Quae res Browerum latuisse necesse est, quando Golscherum ad Richardi abbatis ante tria saecula regnantis ad Theodorici scriptoris aetatem transfert, eanamque eidem auctoritatem conciliat.

20. Fridericus, ejus nominis primus, Alexandro substitutus, haud parum difficile moderationis tempus sortitus est. Siquidem illius aetate anno praesertim 1315 propter immoderatas duorum annorum pluvias tanta cum sterilitate fames ac pestilentia subnata est, ut per triplicem inferioris Rheni archidioecesin praeter innumeras pecudes multi hominum interierint. Sed Fridericus denique statione mutata, ad meliores, ut fas est, sperare, transiit anno salutis 1318, calend. novembris.

21. Eberhardus II. post hunc pedum abbatiale capessivit, de Warnesberg dictus, a quo variis haec ecclesia operibus ornata est. Sedilia psallentium in odeo per utrumque latus disposita, fusili aere campana major templo inducta, quam benedictam tam a consecratione Balduini archiepiscopi, quam patrum sub D. Benedicto merentium nomine placuit appellari his versibus ad memoriam posteritatis inscriptis:

Haec sum campana, dederat quam Goslariana
Gens huic ecclesiae, laudi Christique Mathiæ
Caesaris Henrici sub praesule Treveriano
Fecit germano Balduino me benedici
Abbas Eberhardus de Warnsberg bis reparari
Nec fuerat tardus Benedictam me vocitari.

Unde intelligas, beneficio Henrici Imp. Goslariae commorantis, gratiamque hanc fratri germano Balduino praestantis,

hoc aes campanum Matthianis tributum esse, quod Brandeburgicus praedator huic ecclesiae aō 1552 sustulit. Sed Eberhardus post annos regiminis 15 anno salutis 1333 obiit.

22. Fridericus II. in locum praelaturae subiit de Heinsenberg appellatus, sub quo in ecclesia S. Materni altare S. Elisabethae ab Henrico Schenck Zizermund dicto, liberaliter dotatum est, cum erogatione annalis in pauperes frumentationis. Defunctus est XVI. cal. septembris 1344.

23. Henricus I. oriundus ex Rodenmachera, qui brevi vitae periodo suam clausit praelaturam, cum post septennium die conversionis S. Pauli humanis relictis, ante S. Benedicti aram, prope januam sacelli depositus est aō 1351.

24. Walterus de Menga seu Mengingen, non impari sorte post sexennium 5. septembris 1357 vita et officio functus, sinistrum latus arae Omnium Sanctorum occupavit.

25. Joannes I. Walderfinganus, consummatae, ut Mesenichius ait, virtutis homo, diem S. Nicomedis, martyris, 1366, post novennium dignitatis obtentae supremum habuit.

26. Godefridus, sive, ut alii legunt, Joffridus, comes de Leiningen, post hos electus, nobilitatem generis animi magnitudine superavit, qua ad divini cultus, Sanctorumque honorem promovendum impense conversus, quidquid auri, argentique superabat, hoc ad Divorum reliquias eximio cultus apparatu proponendas convertit. Nec privato hoc cultu acquiescens Bonifacio IX. pontifice, et Cunone archiepiscopo Trev. approbantibus, foventibusque hoc pietatis institutum anniversariam ac solennem quandam lipsanodixin, seu reliquiarum ostensionem anno salutis 1383 primus instituit, quae hodiedum magna populi frequentia celebratur. Accessit huic mitrae infularumque ac caeterorum pontificiae dignitatis ornamentorum usus, qui Bonifacio indulgente Godefrido primum obtigit aō 1390, quem honorem, post Deum, sedemque primariam, archiepiscopo Trev. praecipue debet, sua auctoritate ad hunc obtinendum intercedente. Caeterum oratorium in praedio Berenrodensi cum aliis aedificiis ab eodem excitatum, aliaque cum pie, utiliterque, tum sapienter ab eodem administrata, memorantur. Vita abiit

1410, postridie S. Valerii, sepultus ad laevam altaris D. Helenae consecrati.

27. Eberhardus III. de Hoheneck subiit, quem ab humilitate Mesenichius celebrat, quae tanto in religioso viro illustrior, quanto nobilitas major. Praelaturam brevem cum vita deposuit luce D. Caeciliae sacra; humatus ad caput Godefridi decessoris, anno salutis 1416.

28. Herbrandus de Gulsa successit, sed postquam triennium in abbatis munere posuisset, severioris disciplinae Constantiensis concilii patribus monasteriis imperatae, metuens, abire non modo magistratu, sed et coenobio maluit, quam parere melioribus legum decretis. Ergo ad D. Maximini familiam transiens, prioris ibi munere contentus, aevum transegit, ut jure dubites humilitate an pertinacia victus cesserit, qui subesse maluit, quam dominari, et leges accipere, quam aliis dare. Porro cum tota Germania jussu synodi Constantiensis in Martini V. pontificis voluntate ad priscos sanctosque religiosorum mores in coenobia revocandos mirabiliter accenderetur, Otto archiepiscopus in sua quoque dioecesi ad hoc consilium incumbens, virum doctrina et religione praestantem a carthusiani monasterii gubernaculis ad D. Matthiae gubernationem ão 1421 transtulit. Is fuit,

29. Joannes II. de Rode, Trevir, honestis parentibus, Joanne et Catharina, natus, juris humani divinique peritia clarus, ecclesiae quondam Metensis canonicus, et S. Simeonis apud Treviros decanus, curiaeque Trevericae officialis, sed deinde spretis amore Christi rebus humanis, religiosam solitudinem complexus, tandem ex carthusiano, emendatioris vitae, et religionis insignis zelator, qui pluribus monachorum coetibus magisterii sui luce ac sapientia vitam et salutem attulit, quaesitamque noxiae licentiae libertatem ademit, ac veram majorum integritatem restituit. Nam a concilio Basileensi amplissima ei data auctoritas, quidquid utriusque sexus monasteriorum in trium sacrorum electorum dioecesibus, tam Spirae, Wormatiae et Argentinae praesulum ecclesiis comprehenditur, inspiciendi et ad geminam disciplinae normam revocandi. Ducis vero

Brunswigae rogatu, moribus optimis cultos, recensque hic ex sua disciplina formatos Bursfeldiam misit, et collegii longe florentissimi fundamenta jecit, ex cujus institutione monasteria 75 salutarem bene vivendi normam hauserunt. Reformationis istius originem et incrementa cum Joannis Rhodii gratissima memoria Tritthemius Spanheimensi chronico fuse pertexuit, quem stabulario consecravit, cui Samaritanus Samium ordinem benedictinum credidit, illumque et Joannem Hagen Bursfeldensem clarissimos pronuntiat abbates, qui Bursfeldensis reformationis fundamenta jecerint, quanquam Joannes Mindanus primus ante Hagen in Bursfeldia reformator, his jure suo sit aggregandus. — Porro Joannes Rhode aere alieno magno diluto, pignoribus redemptis, parentumque beneficio levatis monasterii pensionibus, exstructisque ad usum monasticum, et ab incendio reparatis multis aedificiis, vita denique innocenter traducta, dum animarum causa oras terrarum diversas percurrit, apud Monthaborinum oppidum peste afflatus, fessum labore spiritum ão 1439 calend. decembris Deo reddidit. Sepultus ante aram S. Stephani protomartyris, cum tali epitaphio:

Theologus Christi, juristaque floridus iste,
Officians Treviris, prior extitit carthusiensis,
Abbas formatus, tunc principibus bene gratus,
Moribus et clarus. Vincoque draconis hiatus,
Ordinis ob zelum visitator destruo Belum,
Pesteque prostratus, nunc vermibus esca locatus,
Hic jacet in tumba vas ordinis alta columna
Abbas donatus, Joannes Rhode vocatus.
Collectis manibus prima decumbo decembris,
Tricesimo nono C. quarto M. quoque solo.

Quaedam etiam ingenii sui monumenta posteris reliquit; librum unum de reformatione monachorum. De qualitate item abbatis librum alium. In genesin quoque opus imperfectum, aliaque memoria ac posteritate digna. — Sub illo, anno Christi 1432, et sequenti, damnum jurisdictioni suburbanae S. Matthiae illatum a Trevirensi senatu, populoque gravissimum, concrematis aedificiis, discusso mercatu, vastitate illata vinetis et agris, quod tamen detrimentum sua Joannes industria, parentumque munificentia utcunque reparavit.

30. Joannes III. Voerstius, postquam quatuor hic annis cum laude praefuisset, a monastica congregatione Ubiorum Coloniam avocatus est ad S. Panthaleonem. Verum inde rursum ad D. Maximini monasterium administrandum rediit; dum ão denique 1443 curam hanc pastoralem cum vita deposuit.

31. Henricus Wolffius de Spanheim, ex Deiparae virginis ad martyres coenobio, tanquam exemplaris vitae zelique ad hoc monasterium regendum evocatus, annis octo in gubernatione consumptis, ad VIII. idus aprilis 1451 prope S. Stephani altare cum ejusmodi epitaphio sepultus est:

Anno milleno, C. quater, L. quoque primo,
De Spanheim natus, Henricus Wolff vocitatus
Hic conservatus, et vermibus esca locatus,
Abbas Mariae, translatus eratque Matthiae.

32. Joannes IV. Donnerius (Donner vel Tonitru), oppido dioecesis Ultrajectinae, quod veteres aquas (Oudewater) appellant, oriundus, Hemmerodiensis monasterii coenobita, cujus singularis cum doctrina pietas conjuncta, Jacobo illum Sirckio, Trevirorum archiepiscopo, gratum acceptumque fecerat. Unde et hujus consilio et rogatu benedictini hic asceterii moderator factus, tam monasticae disciplinae, quam jurisdictionis a Trevericis civibus oppugnatae, egregius defensor fuit. Recepta ab eo est ão 1459 Bursfeldensis unionis et observantiae disciplina, cujus inprimis author Joannes de Rhode, antecessor, extiterat. Unde D. Matthiae monasterium inter prima praecipuaque hujus confoederationis membra censendum, quae communicatis inter se legibus instituti sui sanctitatem, mutua ope consilioque, et obsequio tuentur. Aõ 1478 S. Germani benedictinae professionis partheneion jure quodam societatis familiae D. Matthiae accessit, in quo corpus S. Gerasinae, ex cognatione D. Ursulae, ejusque virginum coetu, servabatur. Verum abolito demum monialium asceterio, celebri istic gymnasio locus cessit, in quo, ait Bruschius, canonici saeculares publice sacras et philosophicas literas profitebantur. Quorum rector id temporis erat vir egregie doctus D. Joannes Oenipontanus, liberalium artium magister. Sed nostra denique aetate, postquam academia

societatis Jesu patribus commendata, atque in alium commodiorem locum translata est, nonnulli ex S. Francisci familia in hunc locum commigrarunt, ut alibi academicis locum facerent. — Fecit praeterea Donnerius sanctimonialibus locum ad S. Medardum, quae brevi tempore supra trigesimum numerum invaluere, sed ubi hac aetate, praeter parochiam nihil relictum est. Praegrandes duas idem in abbatiali ecclesia sua ex aere campanas extulit, quarum altera Eucharicae, altera Valeriae a primis loci apostolis nomen tulit. Postremo domi forisque egregia virtute spectatus praesul, dum Coloniae ageret fatali correptus morbo ão 1484 sacra D. Bernardo luce, vita functus, in Martiniana ejus loci abbatia, medio choro, tumulum honorificum adeptus est.

33. Antonius Levenius, Ultrajectinus quoque, post Joannem, omnium votis, hanc sedem tenuit (juravit 9. septembris 1484), ingenii magnitudine et pietatis in Deum excellentia longe notissimus, cujus singulari industria et praeclare res familiaris aucta, et basilica egregiis operibus est illustrata. Et monasterium quidem auctum amplificatumque aedificiis, eximia quoque lecta ex Belgis juventute, et ad omnem disciplinam religiosam formata instruxit. Solerti ipsius ingenio stat templi speciosi excelsa moles, excepto frontispicio et membris nonnullis lateralibus, quae vetustius aevum referunt, concameratione nova pulcherrime laqueata. Crypta quoque et chori sinus ab eo loco, quo fusili aquilae jam innititur analogium, latius exporrecti sunt, et altare primum, Antonii rogatu, a Richardo archiepiscopo in circumfusa frequenti antistitum corona est consecratum. Idque tunc evenit scriptu memorabile, quod ão 1513, cum vetus ara loco mota est, corpus apostolici viri et primi Trevirorum pontificis, Eucharii, repertum sit sub altari, sarcophago probe munito inclusum, addita plumbea tabula, cujus inscriptio pignoris veritatem edocebat, fuitque eodem loculo separatim adjuncta pars bona corporis Valerii successoris. Aram praeterea geminam, alteram D. Antonio abbati et S. Annae, alteram Deiparae Virgini sacram excitavit, praeter lipsanothecas argenteas DD. Matthiae, Agritii et Georgii mar-

tyris reliquiis condendis appositas, auctamque pretiosiorem templi suppellectilem. Cumque eruditionis ac pietatis in suis cultum, studiumque promotum vellet, bibliothecam ad optimas quasque artes lectissimorum librorum insigni suppellectile divitem adornavit; ut hac rerum cura immortalem apud aequales, posterosque, recte, laudabiliterque impleti muneris laudem sit consecutus. Extat abbatis Tritthemii ad eum epistola, data 1507, qua Joannis Brachtii, prioris integerrimi, recens tum hic demortui, virtutes mirifice extollit. Et altera, Eberhardo Campis inscripta, qua gratulatur eum Joanni succedere bonum bono, integrum integro, doctum studioso, ceu gradum is tunc adstrueret, quod illi haud multo post contigit, abbatis fastigio. Nam Antonius, postquam annis 35 insigni vigilantia praefuisset, mitram posuit X. calend. aprilis 1519, ad meliores translatus.

34. Eberhardus IV. de Campis, vir doctus, et sui peramans instituti, nec partu ingenii, conscriptis piis nonnullis libellis infoecundus, vixit ad formandos ascetarum mores in Lacensi et Tholegiensi monasteriis, ejusque successores utrobique semel doctrinae et exemplaris vitae face clari, atque a posteris probati eminuere. Apud Matthianos fontem in ambitu profluentem et super hunc aediculam grato opere excitavit, turrimque in basilica super D. Matthiae aram erexit, cum aere campano, primi sacrificii in aede praenuntio. Cingulum seu baltheus S. Oswaldi regis, qui annis hic latuerat duobus et quinquaginta, sub eo repertus, lucique redditus. Electus in abbatem ipso Virginis annuntiatae sacro die 1519 (juravit 11. aprilis a. e.), eodem quoque die 1526, post annos praefecturae septem ad immortalia profectus est, corpore juxta aram S. Agathae, quam erexerat, relicto.

35. Petrus Oliveanus 10. aprilis 1526 surrogatus, et 17. consecrationis honorem adeptus est. Doctrinae illi atque oeconomiae prudenter habitae, ac disciplinae cum zelo tractatae laudem posteri dederunt, sed cholicae doloribus ab anno regiminis IV. praepeditum, succubuisse tandem oneri anno VII. die 1. junii 1533, conditumque apud decessorem, observatum est.

36. Joannes V. Wittlichius ad hoc denique fastigium emersit (electus 11. junii, consecratus 8. julii 1533), oris facundia et divinarum, humanarumque rerum peritia spectatus. Verum cum se plus aequo, saeculo probare studet, dissimili a majoribus disciplinae, morumque successu res quoque familiaris adeo retrolapsa est, ut ad hanc sustinendam argenteis sacrarum reliquiarum lipsanothecis parsum non fuerit. Raptus scribitur flore aetatis morbi genere immedicabili 20. augusti 1537, majorem habiturus apud posteros honorem, nisi praefuisset.

37. Lambertus a Falkenburg invitus, renitensque ad mitram trahitur (jur. 22. septembris 1537), tum quod humilitatis modestiaeque studio procul ab omni ambitione consisteret, tum quod vir apprime eruditus, sacrarum literarum theoriae studio flagrans, a profanis curis abhorreret. Quocirca dum in oeconomia distorti ingenii curatores nactus esset, abbatis honorem (ut Browerus inquit, illi propior aetati Mesenichius praeterit) sustinuit magis, quam usurpavit. Sed post quinquennium peste in monasterium illata a summo agonotheta Deo, vita simul, curisque absolutus, cum septem sui ordinis sodalibus ad immortalia praemia evolavit, ão 1542.

38. Henricus Confluentinus, communi plerorumque suffragatione 21. augusti 1542 gubernaculis admotus est, navarchus olim, nunc coenobiarchus. Neque inscite hujus familiae navim inter crevia, syrtesque occurrentes flexit. Siquidem Lutheri, ejusque asseclarum furore excitatam tempestatem evitare non potuit; nam anno salutis 1552 marchio Brandeburgicus, novae illius religionis aestro percitus, cum in hanc dioecesin se infudisset, res illius monasterii sacras, juxta profanasque miles insolens in praedam ludibriumque abstraxit. Periere id temporis campanae 12, pretii incomparabilis, suis turribus excussae, statuae omnes comminutae sunt, altaria diruta, nec ostiis, specularibusque fenestris parcitum. Henricus tamen illico a damnis ad instaurationem versus multa insequentibus annis ivit restitutum. Campanas, si non pari, novo certe opere, quatuor alias surrogavit. Aram D. Matthiae suis munitam clathris restituit, aliaque id genus ornamenta pro viribus instauravit.

Praediorum atque abbatiae ex parte conflagrantis damnis utcunque subvenit, ac denique aerumnis non paucis conflictatus, post annos 23 molestissimae gubernationis vitam 19. januarii 1566 conclusit, in D. Benedicti sacello tumulatus. Vir, ut patientia, sic religionis, pietatisque cultu illustris, qui olim cum fratre germano Andrea eodem sese anno S. Benedicti legibus addixerat, eodemque cum illo Eberbachensi cistertiensium monasterio in Rheingovia praefecto, ad summos ejus ordinis honores pervexit. Hoc epigramma lapidi sepulchrali incisum est:

Cum senio obruerer, canos jam ductus ad annos,
Me pater a curis eximit omnipotens.
Invicta longos toleravi mente labores,
Difficili fungens praesidis officio.
Sed scio non falles, nostram spem Christe redemptor
Foenore centuplici qui bene facta refert.

39. Petrus de Niederweiss, electus 23. januarii, consecratus 27. februarii 1566, virgam subinde pastoralem hoc loco apprehendit: rarum patientiae exemplum. Abbatialem domum haud procul dormitorio, quod vocant, amovit, simul ipse aliorum advigilaturus somno; multa ex collapsis, vastatisque erexit, auroque apostolicam D. Matthiae tumbam vestiit, at fracto demum crure, immatura suis morte subductus est anno salutis 1573, die 20. aprilis; in sacello B. Mariae tumulatus.

40. Joannes VI. a Plutscheidt administrationem sortitus (electus 28. aprilis 1573) paterfamilias frugi et antiquae probitatis antistes habitus est. Religionis in Deum, charitatis et aequitatis erga proximum, severitatis erga se ipsum, rarae regularis disciplinae, ut observator sic exactor vigilantissimus; chori divinique ad aram sacrificii quotidianus executor; liberalitatis in pauperum levandis necessitatibus tam eximiae, ut haec superis non sine miraculo probata feratur. Siquidem, ut verbis et fide Mesenichii, testis domestici, utar, temporibus dirissimae famis illius, quae circa annum Domini 1580 totam pene Germaniam miserrime depopulabatur, accidit, mirabile dictu, ut quamvis ad imperium domini abbatis ex paucis, quae monasterio reliquae erant, frugibus, quotidie indigentibus copio-

sissime subveniretur, hydria tamen farinulae (ut cum scriptura loquamur) Deo utique sic volente simul et benedicente, ad ostendenda tanti viri merita, diminutionem nequaquam senserit, sed usque ad finem tantae charitatis in sua semper plenitudine perduraverit. Vestibus in eo, totusque corporis habitus, et cum proximo conversatio ad modestiam prorsus in eo fuere composita, ut singulari hoc titulo, modestissimi abbatis, sepulchrale ipsius elogium cohonestatum sit, quod anno salutis 1599, die 17. maji, est promeritus. In choro S. Joannis Baptistae sepultus, ne ab eo mortuus discederet quem vivus erat veneratus.

41. Joannes VII. Keill, sub finem maji anno eodem electus, coenobiarcha anni saecularis, octobri mense inauguratus est. Quem Mesenichius Deo, hominibusque acceptum fuisse sentit, quamvis Browerus illum, licet coaetaneum suum, sine laude transeat. Is praeterea organi majoris autorem facit, altarisque D. Joannis Baptistae magnificentiore structura exculti, ubi et a morte, 23. septembris 1612 obita, quiescere memorat.

42. Gangolphus ab Alderborn solenni ritu IV. nonas octobris substitutus est, quem a religiosa inprimis modestia et matura discretione plurimum commendatum memorant. Hic novam S. Blasio episcopo ac martyri aram, beatissimaeque matri Annae constituit; quarum haec denique ad Deiparae sacellum translata parentem Virgini theothocae junxit. Inter caetera ecclesiae ornamenta, argentea in statua pectore tenus exhibita caput S. Eucharii proposuit. Novum idem Romano-benedictinum officium, usumque pilei tetragoni primus suo conventui introduxit. Dissenteriae morbo denique correptus, in complexu et oratione fratrum, quos ad mutuam paulo ante concordiam, charitatemque inflammaverat, extremum diem aō 1630, ultima februarii clausit. Reconditus ante inchoatam S. Annae aram, cujus absolutionem mors intercepit.

43. Nicolaus a Drunckelen, successor, ab exordio regiminis sui turres SS. Materni et Quirini instauravit, aliaque vetustate soluta, integritati restituit. Verum bellorum temporumque injuriis a pio hoc proposito avocatus, senioque juxta

et adversis pressus, anno salutis 1649, festo D. Scholasticae, D. Benedicti sororis, succubuit, ante D. Antonii altare tumulatus.

44. Martinus Feiden ab Ediger postremo hac nostra aetate huic vineae excolendae cum summa praelati auctoritate praefectus est, quem ut insigni hactenus vigilantia ac solicitudine curat, ita ut porro idem praestet, diuturnam illi felicitatem, vitamque precamur. — Martinus obiit 27. septembris 1675.

45. Cyrillus Kersch, electus ao 1675, obiit 27. januarii 1700.

46. Gulielmus Henn, electus 15. februarii 1700, obiit 10. octobris 1727.

47. Modestus Manheim, electus 5. novembris 1727, obiit 2. aprilis 1758.

48. Adalbertus Wiltz, electus 24. aprilis 1758, obiit 10. maji 1773.

49. Andreas Welter, electus 7. junii 1773, obiit 10. septembris 1809.

Reliquiae Sanctorum, cum miraculorum gloria, D. Matthiae apostolo tributa.

Ingens hoc loco reliquiarum numerus est, honosque frequens solennibus processionibus, quotannis a remotis per Germaniam, Galliamque ac Hungariam nationibus, quot hebdomadis vero ab accolis incolisque exhiberi solitus. Recensere singulas, ut scriptori, ita et lectori fortassis taediosum, praecipuas, hoc est, sua magis quantitate conspicuas juvabit meminisse.

Primorum hic episcoporum 29 sepultos fuisse, plerosque sanctitatis nomine insignes, in chronicis Trevericis observatum est; in quibus facile agmen ducunt Eucharius, Valerius et Maternus, discipuli S. Petri, quorum ut monumenta, sic notabiles ex eis reliquiae supersunt. Diversorum, praeter D. Matthiae, apostolorum ossa, nec exilia, possident, ut superiorem corporis S. Philippi partem, cum ejus brachio, de Sancto Paulo,

Petro, Bartholomaeo, Matthaeo, Jacobo utroque, et Simone, Andrea, Marco et Joanne Baptista. Multorum sane martyrum et confessorum partes varias, in quibus Celsi et Modesti, Trevirensium episcoporum capita, uti et S. Severae, Modoaldi sororis, et S. Helenae imperatricis, Adelheidis etiam reginae, ossa. S. Hildegardis, Bingiensis virginis, hic olim Treviris celeberrimae, ossa quaedam, cum velo et corona, qua ad S. eucharistiam accedere solita ornabatur. Ex SS. Sylvestro et Gregorio pontificibus, S. Gangolpho martyre, S. Clemente episcopo Metensium, S. Martina, et S. Anna, matris Deiparae, pars quoque notabilis suppetit. Utque praeter haec partem vestis Christi niveae, alteramque purpureae togae, deque ejus sudario et corona spinea custodit, ita de ligno S. crucis partem insignem, quae divisa atque crucem formata est, obtinet. Sed praecipuum in hoc S. thesauro est D. Matthiae pars maxima corporis, capite in aede nostra metropolitana deposito. Quas supra reliquias justis assertionibus huic monasterio vendicavimus, nunc hoc loco primum quidem miraculorum gloria, deinde pontificio etiam diplomate, stabiliemus.

Honor ille, qui ob miraculorum frequentiam huic loco habetur, praecipue ortum ducit ex veneratione quam D. Matthiae, Germanorum tutelari apostolo, ab antiquis retro temporibus mortales hic exhibent, integrisque libris cum manuscriptis, tum impressis, comprehenditur, mihi obiter tangendus magis, quam prosequendus; cum earum rerum cupidi Antonium Mesenichium hic apud typographum Reulandum 1652 sub titulo Phisonis mystici, vernacula tamen lingua vulgatum, adire possint. Cujus, quae vetustissimae sunt historiae ex libro ms. perquam vetusto ejusdem monasterii collatione facta, desumpta esse reperi. Quorum fide pauca, quae hoc loco subjicio, tuebor. — Notum hic omnibus variarum regionum sese homines usu pio, votisque apostolo Germaniae, D. Matthiae, nuncupatis, ad certa sese pietatis opera obstringere, aut hic, aut domi exsolvenda, quae ab antiquissimis retro temporibus devotio, et a primis per Germaniam christianis praestita huc usque constanter propagata est, quod aliis aliisque hanc Deus

supra naturam effectibus, ac sanitate multiplici desperatis plerumque morbis laborantibus restituta faverit.

Circa undecimum a Christo nato saeculum, quando Deus apostoli sui gloriam, invento illius, quod saeculis pluribus latuerat, corpore, et miraculorum gloria famaque late manante, fuere diversi, qui illius festivitatem singulari devotionis cultu celebrandam instituerent, votisque nuncupatis ad tumulum apostoli supplicatum venirent; aut certe in patronum sibi perpetuum vendicarent. In auctore Matthianae historiae inventionem et miracula percensente, reperio exemplum ad fidem quidem difficile, sed ad mores salubre, ideoque refero. Tradit Magdeburgenses ecclesiae metropolitanae canonicos peculiari festum ejus diem celebritate ex instituto obiisse, singularemque ejus festivitatis neglectu poenam divinitus inflictam eodem incurrisse undecimo saeculo, siquidem haud multo post mortem Geronis, laudatissimi ejus loci archiepiscopi, res evenit memoratu dignissima. Haec solennitas ab institutore suo (quem haud multo ante mortem, S. Henricum imperatorem fuisse, haud obscure liquet) hanc adjunctam oneri habebat gratiam, ut post solennes vesperas haustus canonicis a decano praeberetur, quod cum decanus ab Henrici et Geronis morte negligeret, canonici tenacitatem hominis ulturi, officio sese continuando abfuturos statuunt. Cumque jam tempus matutinis destinatum flueret, Gero archiepiscopus cum Ottone et S. Henrico caesaribus a morte, aliis stipati episcopis, adsunt, aedituumque sex nominatim convocare jubent canonicos, apparatumque sacrorum depromere, quorum cum nemo auderet resistere, officium totum sacrumque ritu solenni peractum est. Quo finito sic eos Gero affatur: »O cupidi, inconsultique fratres »Esau! quandoquidem momentanea corporis delectatione avo»cati, usitato ecclesiae officio ac honore Deum, ejusque apostolum »privare non estis veriti, in solennitate hujus tam singulari. »Ecce nos adsumus majores vestri, quibusdam adhuc prae»sentium in vita noti, ita dispensante majestate suprema Dei, »tum ut negligentiam vestram nostra pensaremus industria, »tum ut justa castigatione plecteremus. Notum itaque, cer-

»tumque vobis sit, neminem vestrum superaturum hunc vitae »annum, sed luituros obstinationem praesenti morte; digna »vero expiate commissum scelus poenitentia, grati Deo, qui »aeternam mortem temporaria commutavit. Decano interea »vestro serio denuntiate pari ut suum delictum poenitudine »expiet, confiteatur, emendetque, aut sempiternam aeternae »mortis exspectet sententiam.« Haec ubi pronuntiasset, cum reliquis evanuit, attonitosque et confusione plenos reliquit. Nec fefellit Geronis comminatio anno uno; postquam Deum, divumque Matthiam impensis domi atque hic Treviris supplicationibus (unde notitia rei prodigiosae signata mansit) placare conati sunt, succubuere omnes, tam sua felices poenitentia, quam obstinatione infelices. Hunc porro annum fuisse 1040 circiter, sub Menfrido, ejus loci archiepiscopo, et Geronis morti propinquum necesse est, quando Otto III. cum imperatore Henrico aliter in praesentium canonicorum notitiam incurrere vix poterant, cum Otto saeculi hujus initio sit mortuus. Horum autem caesarum beneficio hic archiepiscopatus in fine saeculi X. potissimum effloruit. Nec mirandum, si Crantzii, qui de Gerone paucis tractat, metropolis lib. 4. c. 6, illa praeterierit; cum illi catalogum magis dare episcoporum, quam eorum res gestas accurate percensere propositum fuerit; quanquam et processionis huc directae, adeoque et causae ignoratione impediri potuit. Num vero antiquis hisce de S. Matthia manuscriptis fides historica in re tam insolita abjudicanda sit, penes lectorem esto judicium.

Alterum sequentis aevi factum eisdem annalibus posteri complexi sunt. Fridela, abbatissa monasterii Leodiensis Süsteren dicti, ad Christi annum 1120 in honorem D. Matthiae tria quot hebdomadis sacra constituerat, ob singularem non in temporalibus minus, quam spiritualibus benedictionem, quam ab eo tempore, quo ejus sese addixissent patrocinio, experta fuerat: ipso etiam apostolo visibili non raro specie domesticas virgines invisente, et vel a vitiis hortando avocante, vel ad pietatis studia inflammante. Evenit porro, ut sacerdos his sacrificiis addictus, neglectis eis alias occupationes praehaberet. Ergo D. Matthias noctu eidem per somnum apparens, negli-

gentiae reum arguit, qui cum non contemptu, sed negotiorum interventu praepeditum sese affirmaret, subjecit apostolus: »at ostendisti tibi majoris curae res tuas, quam meas esse, »cujus negligentiae perpetuam tibi inuram notam,« simulque tacta leniter mala evanuit. Sacerdos mane expergefactus, cum secum anxiis cogitationibus disceptaret, verumne, an fictum mente agitasset somnium, ubi in conspectum prodiisset aliorum, ex haerentibus sciscitantibusque de insolenti hoc signo in facie hominibus fidem somnio suo habuit, didicitque sacrarum inde rerum curam gerere meliorem, probroso quidem, sed non inutili negligentiae stigmate ad suam, aliorumque correctionem notatus.

Nunc quemadmodum idem S. apostolus pluribus benefecerit, ex paucis huc referendis discamus. Altero post saeculo, ão 1231, homo ante tredecennium excoecatus, huc Treviros in festo D. Martini advenit, constantique prece totam apud D. Matthiae monasterium duravit hyemem, obtestans pro sanitate, visuque restituendo apostolum. Nec fefellit exspectatio, dum enim festo D. Matthiae inter matutinas illic preces illucescit dies, apertis oculis videt, inambulat, Deique, Divique beneficium depraedicat. Theodoricus vero, comes de Weda, Trevirorum id temporis archiepiscopus, re ad examen vocata atque explorate cognita, Trevericae urbis clero populoque solennem gratiarum actionem cum supplicatione ad D. Matthiae aedem decreta indixit, quae exquisita musica et festivo ad apostoli aram sacrificio est celebrata; laudantibus Deum universis, qui mirabilis est in Sanctis suis. Haud multo post, anno ejusdem saeculi 39 aliud longe admirabilius spectaculum ibidem loci cum omnium stupore observatum est. Uhren Luxemburgici ducatus pagus est, ubi virgo, Gertrudis nomine, a cognato adolescente vitiata, tanta poenitudine facinoris ducta est, ut postquam Deum precata esset, hac sibi potius in vita delicti poenam, quam in altera vellet infligere, tantis repente a partu morbis, miseriisque oppressa sit, ut horrorem solis etiam spectatoribus incuteret. Nam primum hydrope incurabili tumefacta, faciesque et corpus deformitate incredibili alteratum est.

Paralysis subinde et contractio nervorum adeo inusitata accessit, ut surae ad corpus incurvatae tenacissime adhaeserint, et nec moveri quidem sine alterius ope posset. Denique oculorum caligine suffusa, prorsus coecutiit, ut nec scintilla quidem lucis affulgeret. Postremo venter decem facile locis putredine solutus, vermibus ac putore refertus, prae horrore foetoris abigebat omnes, adeo ut amatoris sui quondam ejecta domo, jam nec hominum quidem auxilia speraret. Ita cum miserationem etiam humanam ejus calamitatis magnitudo superare videretur, ad divinam sibi opem denique confugiendum putabat, ergo ad D. Matthiae, cujus opitulatoris miserorum gloria late inclaruerat, opem, intercessionemque toto corde versa, eo ut deferretur etiam obtinuit. Vix illa pridie Sanctorum omnium in templo apostoli implorare subsidium coepit, et repente abstersa oculorum caligine plenam videndi facultatem adepta est. Hoc beneficio excitata plurium dierum precibus usque ad S. Eucharii festum insistens, cum in frequentia populi magna templo illata opem posceret, nervorum contracta vincula tanto fragore dissoluta sunt, ut circumstantes late omnes ejus rei insolenti sono perculsi, tremefacti haeserint, et cum stupore in oculis omnium ex monstroso hominis corpore subito bene formata mulier, et ad omne servitium non minus, quam alias unquam habilis assurgeret. Quae res ut fama celeberrima per hominum ora vagata est; ita tam divinae severitatis, quam miserationis exemplum rarum extitit, ad omnem jure posteritatis memoriam propagandum. Aliud ejusdem temporis miraculum praetereo, quando puer in ignem lapsus, ac praeter faciem toto pene adustus et deformatus corpore, postquam mater ad opem apostoli confugisset, integritati repente pristinae est restitutus.

Ad sequens transeo saeculum, ut ex singulis aliqua delibentur. Non commemorabo frequenter hoc loco contractorum restitutam valetudinem; in quibus hoc censetur saeculo anni 1396: Henricus, Alberti et Beatricis ex Mertzig supra Treviros haud longo intervallo, filius, qui testes recuperatae sanitatis grallas in basilica D. Matthiae suspendit. Et Sigilindis, puella

Dusemundana, ex comitatu Veldentiae, quae a D. Helena (apostolum Matthiam ex tumba ad curationem virginis excitante) adjuta convaluit ex monstrosa contractione, sibi suisque restituta. Illud amoenitatis gratia huic loco inseram, quod ão 1301 sex peregrinis juxta Mosellam Treviros ad D. Matthiam venerandum properantibus evenit. Hi enim silvam transituri, conspexere forte ex summa arbore pendulum examen apium, quod cum sua optarent esse in potestate, adjicerentque D. Matthiae hoc se dono oblaturos, invocata ejusdem Sancti ad hoc desiderium implendum ope, licet alveare, quo exciperent, deesset. Ecce rem miram, solvitur ad illorum votum exercitus hic, seque inferne ad ramum silvestrem affigit, quo resecto, atque in humeros elato per sex passuum millia stupentibus passim, et affluentibus ad hoc spectaculum hominibus, nulla apum ad frequentem concussionem auffugiente, novum hoc donum Treviris ad aram D. Matthiae, quam cereis alii oblatis coronabant, ipsis cerae artificibus honorandam sistitur. Riducula pene res, et de cujus fide ambigas, nisi in longe gravioribus hic coelestem apostoli manum, ad manifestam vicinae haeresis confusionem, operari compertum nobis esset.

Ex saeculi XV. anno 1 (1401) rursum tibi sistere possem a misserrima contractione liberatum Stephanum dictum Senem Theonisvillanum, grallis etiam ad D. Matthiam relictis, ad suos reducem; sed Bavarum tibi potius nobilem ab Einsidlen virginum monasterio exhibeo, qui istic in sortitione patroni annui cum D. Matthias obtigisset, hunc aversatus non admisit. Pietatis tamen causa in Palaestinam profectus, cum in submersionis periculo ex sortitione navi cum aliis quibusdam ejectus esset, a D. Matthia in mediis apparente aquis, et invocato exceptus depositusque in littore, ante socios attigit Jerosolymam, et neglectum prius apostoli patrocinium omni devotione amplexus est. Cui affine, sed oppositum, quod illustri adolescenti Theodoro a Bruch accidit, qui domesticis sortito sibi patronum eligentibus comparere noluit, asserens a se jam D. Matthiam electum esse, neque alium desiderare, impulsus tamen a matre, ut familiae morem sequeretur, ter

sortitus, ter eundem, quem delegerat apostolum eduxit, Deo laudabilem hunc ejus affectum non obscure probante, quo mirifice deinde ad ejusdem cultum incitatus, omnium se ajebat fortunarum jacturam adire velle, quam ab ejus patrocinio et amore discedere. Ex saeculo XVI. juvabit ejusdem apostoli in quosdam praevaricatores severitatis quoque meminisse. Vilmariensis praetor enim, cum ão 1561 D. Matthiae monasterio, cui obnoxius est, frumenta; mala fide mensurae, in suum usum subtraheret, religiosus curator id sentiens, »Sanctus,« inquit, »Matthias perfidiam hanc inultus non feret.« Nec mora elinguis praetor redditus, ac bestiae in morem capite, dorsoque ad terram incurvatus, triste divinae punitionis spectaculum permansit. Non longe absimilis poena ão 1134 adolescenti Treverico inflicta est, dum imitatione fictae vocis illusit ad D. Matthiam supplicantium cantui, nam repentina taciturnitate percussus, dudum oberravit mutus, dum parentum, puerique diuturnis ad Sanctum precibus usum vocis palam in aede Divi reciperet. Illud multo tristius, quod ão 1252, postquam Henricus comes palatinus cum S. Matthiae praelato ratione jurisdictionis in pago Vilmar certis legibus pactus fuisset, parum religiosus incola male precatus sit, coelesti sese igne conflagrare cum suis malle, quam monachum agnoscere dominum. Audiit Deus insani hominis votum; nam nocte concubia subitus totam domum ignis, dominumque cum tota familia consumpsit. Sic nobilis dominus in Leudesdorff, dissolutae homo vitae, postquam in vigilia S. Matthiae invitam conjugem ad carnium appositionem coëgisset, haud multo post in focum, quo carnes excoctae fuerant, incidens consumptus est. Manifesta contempti numinis vindicatione, cum paulo ante jactasset: »faciat Mat»thias, quod ipsi visum, ego, quod mihi lubet, peragam.« Quae divinae ultionis exempla hic conjungere lubuit, ut lector intelligeret, Sanctis, eorumque cultoribus rara impune illudi.

Nunc ad praesens si venero saeculum, magna illud congerie exemplorum implere liceret, nisi hoc a meo instituto censerem alienum; nam ut ad posteritatis instructionem et honorem apostoli, alendumque illum, qui hodiedum magna

frequentia, coelitumque benedictione continuatur, pietatis cultum, quo tot expiatae mortalium animae Deo per seriam poenitentiam conciliantur, nonnullis hic divinae operationis argumentis utendum duxi, ita plenis haec libris jam ante exarata nolui retexere. Pauca tamen et hujus aevi ut testibus etiamnum viventibus magis comperta, ante conclusionem apponam. Aõ 1647 Margaretha Longwick, ex Fell, infra Treviros, ad tantam mentis aegritudinem per infelicem, uti existimatur, potum adducta est, ut more plane inhumano proprio non tantum volutaretur in stercore, sed et eodem pasceretur, infantemque ex se recens natum, pro daemone haberet, atque aversaretur; morbusque hic per anni intervallum productus, sine remedio et remissione erat, donec maritus ipsius, Petrus Prumer, memor sibi aliquando gravi capitis dolore conflictanti, a sancto apostolo Matthia opem praesentem adfuisse, cereo eidem cum missae sacrificio per votum nuncupato, eadem nocte sensit plene ad mentem rediisse conjugem. Quae mane ceu omnis calamitatis praeteritae immemor, cum summa pastoris, D. Magnerici, et proximorum admiratione, pristina sanae mulieris munia obiit, Trevirosque ad S. Matthiam cum marito profecta, 17. februarii anno Domini 1647 sacra exomologesi et synaxi praevia rerum gestarum seriem jurejurando confirmavit.

Par fere illud, quod ejusdem saeculi anno eodem Catharina Lissing, ex Gerolstein, accidisse, ejus conjux, Daniel, sartor, jurata est fide testatus; illam videlicet venenato morbo surditatem atque amentiam contraxisse, sed ad factum a se D. Matthiae votum, sanitatem corporis, mentisque recepisse. Adjicio, quod ante decennium, aõ 1636 Theodoro Megel ex Gilsdorff, ea evenit tempestate, qua Hungaricis illic febribus late sparsis, integrae familiae peribant. Ipse enim cum uxore Agnete, geminisque filiabus, Helena et Catharina, maligna correptus lue, cum inter extrema, mutua se suosque ope destitui ingemisceret, desperato jam ab hominibus subsidio D. Matthiae opitulatricem manum implorans, vovit se, suorumque quemque aditurum Divi sepulchrum, cereumque mediae librae

oblaturum si peste incumbente liberaret. Non fluxerat a voto hora, cum singulis ea sanitas, vigorque rediit, ut relicto lecto, velut a morbo intacti, consurgerent, votique se implendi obligatione devinctos ob insperatum beneficium agnoscerent. Et nostra e Treviri illud nostrae societatis hominibus exploratum petam. Jodocus Hold, urbis hujus inquilinus, defluxu humoris noxii a febribus relicti aõ 1645 incurabile in partibus secretioribus malum traxerat, jamque medicis et chirurgis desperantibus, diffluebat putrefactis partibus corpus: cum aeger animae per ultima ecclesiae remedia consulturus, ab eo, quem ex domo probationis nostrae adhibebat, sacerdote monitus, ut quandoquidem humana auxilia deficerent, ad divina se conferret, opemque patroni Trevirorum, D. Matthiae imploret. Nec cunctatus aeger, certa pietatis opera in Divi honorem quot annis obiturum sese, promittit, si desperato opem praestet. Res certa: exinde nullo admoto pharmaco, quod putridum supererat defluere, nullus superesse dolor, quasi manu abstersus, coire hiantia vulnera, et vivae carnes succrescere, ut brevi post ex vivo cadavere firmus, valensque beneficii magnitudinem non minus clam secum obstupesceret, quam palam depraedicaret.

Concludo illustri hujus Divi aevique beneficio, quod incumbente non ita pridem aõ 1656 gravissima nobis hieme incola pagi Wolcken, haud procul a Coberen ad inferiorem Mosellam, expertus est. Is vesperi egressus Confluentia, cum ob vestigia itinerum, altis contecta nivibus a via inter silvas oberrasset, et fatigatione victus assedisset arbori, mane rigidus, enectusque frigore repertus, atque agnitus uxori domum sistitur. Quae improviso afflicta casu, magis tamen de salute ejus aeterna, quam praesente solicita, ad commune Trevericae calamitatis asylum, D. Matthiam, confugit, vovitque in templo societatis se expiatione praevia eucharisticam mensam adituram, atque exin D. Matthiae invisuram Treviris monumentum suppliciter, modo tantisper restitutus vitae maritus Deo conciliari per consueta morientium sacramenta possit. Et vero (quis non obstupescat) obtinuit maritus velut ab extasi respi-

rans, toto corpore incalescere, ac reviviscere coepit, vitamque ad 21 dies perpetuo sermonis et plenae rationis usu ducere, donec rite omnibus ad extremum agonem dispositis, ad immortales, unde abierat, rursum adiit. Porro historiae illius veritas, non a muliere sola festo pentecostes suo se voto exsolvente, sed gravissimorum testium hac super re auditorum, auctoritate confirmata, apostoli Trevirorum gloriam, nullo tacendam aevo, magnopere illustrat.

Diploma pontificium, reliquiarum apostoli Matthiae apud Treviros decus stabiliens.

»Pius episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati »monasterii S. Matthiae extra muros Trevirenses, ordinis S. »Benedicti, salutem et apostolicam benedictionem. Pastoris »aeterni, qui se pro dominici salvatione gregis in pretium »immolare non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, »fideles quoslibet ad devotionem frequenter inducere satagi»mus, ut inde suarum valeant animarum consequi salutis in»crementum. Cum itaque, sicut accepimus, ad monasterium »tuum, cujus ecclesiam felicis recordationis Eugenius papa III. »praedecessor noster, dum in civitate Trevirensi synodum »celebraret, dedicavit, et in quo dono S. Silvestri papae reli»quiae S. Matthiae apostoli ac B. Eucharii, discipuli nostri Sal»vatoris, et multorum aliorum Sanctorum corpora honorifice »sunt recondita, ac regularis observantia ordinis tui viget, et »a quo sive illius personarum exemplari directione plura alia »in diversis partibus sub simili observantia dicti ordinis mo»nasteria processerunt, cum propter reliquias corporum Sanc»torum hujusmodi, et indulgentiam, quae per ipsum praede»cessorem et diversos alios Romanos pontifices, visitantibus »praedictam ecclesiam concessae creduntur, diversis anni tem»poribus fidelium multitudo devotionis causa confluant ad »eandem; Nos cupientes, ut fideles Christi ex eorum devotione »aeterna reportent proemia, coelestisque fiant patriae posses-

»sores, tibi et successoribus tuis, praedicti monasterii abbatibus »pro tempore existentibus, quamdiu in dicto monasterio regu»laris observantia viguerit, aliquos ex ejusdem monasterii »monachis, seu mendicantium ordinum fratribus, aut presbyteros »peritos, qui fidelium christianorum advenarum, et peregrino»rum duntaxat ad dictum monasterium confluentium, confessio»nes audire, et pro commissis per eos criminibus, excessibus »et delictis (nisi talia forent, propter quae sedes apostolica »sit merito consulenda) quoties opus fuerit, de debitae absolu»tionis beneficio providere, et poenitentiam salutarem injungere »valeant, deputandi, auctoritate apostolica tenore praesentium »concedimus facultatem. Datum Mantuae, anno Incarnationis »Dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, »decimo septimo calend. novembris, pontificatus nostri anno »secundo.«

Hoc diplomate quas nonnulli Treviris ereptum eunt, D. Matthiae apostoli reliquias stabilire placuit. Quanquam ubi tanta miraculorum virtute sese apostolus praesentem hisce terris exhibet, vix liceat dubitare; praesertim cum tam frequens peregrinantium multitudo tot jam saeculis constanti pietate hanc existimationem non tantum foveat, verum etiam ceu argumento validissimo, receptam hanc a majoribus opinionem fuisse, confirmet. Horum igitur beneficiis si quis in adversitate frui desideret, vestigiis eorundem insistere non gravetur. Dignus coelitum benevolentia non est, quisquis illam superbe praeterit, aut fastidiosam aspernatur.

Sermo a R. D. Joanne Michaele de Pidoll, decano ecclesiae collegiatae S. Paulini, in visitatione abbatiae S. Matthiae prope Treviros ex commissione archiepiscopali dictus ad S. Matthiam, die 17. februarii 1783.

Reverendissime domine abba,
admodum reverendissimi religiosi viri ac patres!

Abbatia san-Matthiana antiquitate non minus ac sanctitate loci longe celeberrima a primis suis incunabulis ad moderna

usque tempora viros sinu suo fovit, et vitae regularis sanctimonia, et eruditione, scientiarumque laude multum illustres; in eadem et viguit, omnique vix non aetate illibata floruit cultus divini ac regularis disciplinae constans observantia, quae licet corruptis hinc inde temporibus lacessita, collapsaque fuerit, per coaetaneos tamen zelotes, tam archiepiscopos Trevirenses, inter caeteros Ottonem a Ziegenhayn, quam proprios religiosos, Odones, Rodios, aliosque illius reformata, et pristino flori ita restituta fuit, ut domus haec sacra titulo ac laude regularis disciplinae longe celebrata multum inclaruerit, aliisque coenobiis exemplo praeluxerit.

Verum moderno aevo (quod boni omnes ingemiscunt) non est ei amplius species pristina, neque decor; facies ejus denigrata est; obscuratum arum; mutatus color optimus. Vinea san-Matthiana electa, quae uberrimos bonae disciplinae fructus olim protulit, nunc germinat spinas ac tribulos; quae fecit uvas suavissimas, nunc facit labruscas: uva ejus, uva fellis et botri amarissimi.

Absit autem a me, viri colendissimi! ut de totali disciplinae collapsu morumque corruptela aut dissolutione hic loci vos arguam: minime. Superest adhucdum in hoc monasterio, utut inclinatus admodum, ac titubans disciplinae vigor. Habetis et hodie viros doctrina aeque, ac religione praestantes.

Aliud est zizaniorum genus, quod triticum in agro san-Matthiano invasit, quodque nisi opportuno eradicetur tempore, vix non omnem bonae disciplinae sementem brevi erit suffocaturum. Etenim a non modico jam tempore auditur, quod sint in vobis schismata, et contentiones sint inter vos, odia, dissidia et his similia, quodque fraterna illa ad conservandam bonam disciplinam unice necessaria superiorum erga subditos; illorum erga superiores, et ad invicem mutua charitas in vobis vix non penitus exulet; haec spinarum species tam nociva, tam est perniciosa, ut ea ulterius crescente vix aliquid fructus etiam a bono semine sperandum sit.

Etenim deficiente charitate quid omnia vestra bona opera sunt, nisi aes sonans et cymbalum tinniens. Si virtutes omnes operemini, si scientiam omnem noveritis, charitatem autem non habueritis, nihil vobis prodest; praeprimis enim absque charitate fraterna, quomodo quis Deum ex toto corde diligere potest? S. Joannes Evang. ait: si quis dixerit: diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Id quod Hugo cardinalis in hunc textum ita explicat: Frater tuus imago Dei est, si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cujus imago est, diligis, ergo mendax es. Porro absque charitate fraterna quomodo quis accedere audet ad tremendum sacrificium agni illius immaculati, qui totus dilectio est? qui praecipit: relinque munus ante altare, et vade reconciliari fratri tuo, quique teste divo Chrysostomo ait: »Sacrificium mihi est fratrum recordatio.« Denique absque charitate qualem piae meditationes, confessiones sacramentales, preces, exercitationes religiosae, chori frequentationes, jejunia, aliaque pia opera fructum afferunt? Sane nullum; ejusmodi enim semen boni operis carens dilectione, cadens secus viam conculcatur ab animi passionibus, et volucres coeli, id est, odia, rixae et rancores comedunt illud: aliud cadit supra petram duri cordis, et natum arescit, quia non habet humorem charitatis. Ita sane est; abque charitate fraterna in domo religiosa omne semen bonum religionis evanescit, perit disciplina, salus animarum periclitatur, imo hac difficili temporum crisi ipse monasterii interitus est pertimescendus! Domus namque religiosa, sicut regnante in ea harmonico animorum concentu, fratrumque concordia, paradisus terrestris est, ita praevalentibus in ea odiorum et dissensionum disturbiis, loco infernali, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, merito comparanda venit. Domus ejusmodi, veluti terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem ignis.

Confidimus autem de vobis, viri colendissimi! meliora et viciniora saluti indagata mali origine, et omni dissensionum semine funditus eradicato, charitatem fraternitatis postliminio

redituram esse speramus, charitatem scilicet illam mutuam capitis et membrorum, quae in superioribus paterna esse debet, ita ut subditos tanquam veros filios, paterno complectantur amore, et juxta sacram regulam divi Benedicti, memores se Christi agere vices in monasterio, divini hujus magistri exemplo discipulorum lavantes pedes, multorum serviant moribus, et secundum uniuscujusque qualitatem, vel intelligentiam se omnibus conforment et aptent, et saluberrima illa doctoris gentium monita rite adimpleant. »Nihil per contentionem, sed in »humilitate superiores vestros, ut non pusillo animo fiant, »sibi invicem arbitrantes (1). Patres nolite ad iracundiam »provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant (2)«, et alio in loco: »Domini quod justum est, et aequum subditis »praestate, scientes, quod et vos dominum habeatis in coelis (3).« Eadem charitas in subditis exigitur, filialis, non ficta, sed plene confidentialis, qua scientes se accepisse spiritum adoptionis filiorum, humiliter, et cum gaudio superioribus obediant, docente apostolo (4): »Sine murmurationibus et haesitationibus, sine »querela, simplices, filii Dei sine reprehensione . . . subditi »obedite dominis cum timore in simplicitate cordis vestri, »sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus »placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex »animo cum bona voluntate servientes, sicut domino, non »hominibus (5).« Universim omnia vestra in charitate fiant, »quae est vinculum perfectionis; perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia: alter alterius lavate pedes, et onera portate, memores, quod simus fragiles, lutea vasa portantes, et si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis oporteat, supportantes invicem in charitate, solliciti sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, et ita pax

---

(1) Epl. ad. Philip. cap. 2. v. 3.
(2) ad Ephes. c. 6. v. 4.
(3) ad Coloss. c. 4. v. 1.
(4) ad Philip. c. 2. v. 14.
(5) ad Ephes. c. 6. v. 5 et 6.

Christi exultet in cordibus vestris. Ut optatissima illa pax huic domui sit, hoc desiderium, haec intentio est reverendissimi et serenissimi archiepiscopi et electoris nostri, domini longe clementissimi, cui sollicitudo est omnium suarum ecclesiarum, qui quamlibet portionem gregis sibi commissi tanta pascit solertia, forma facta gregis ex animo, ut singulam oviculam oberrantem ad pinguia salutis praedia reducere anhelet. Principum ille optimus zelo disciplinae inflammatus adinstar praelaudati sui praedecessoris ante triennium praecepta vobis dedit ad restaurandam fratrum concordiam, monasteriique disciplinam reducendam saluberrima unctione et discretione plenissima. Non sine gravi autem cordis dolore nuper percepit, eadem hucusque optato caruisse effectu, et res monasterii perturbatas admodum existere. Ut igitur causa mali penitius investigetur, discordiae lolium evellatur, unitas fratrum et disciplinae restauretur, visitationem archiepiscopalem hujus abbatiae reverendissimo domino abbati Mediolacensi, et meae tenuitati committendam duxit. Nos pro parte nostra, ut salutarem hunc finem assequamur, omni conatu absque personarum acceptione, aut partialitate ulla, solam justitiam prae oculis habentes, allaborabimus. Nunc et vos pro parte vestra viri multum venerandi! agite viriliter, ad eandem metam collimate, juxta art. 28. cap. 4. regulae vestrae veritatem ex corde, et ore proferte, odia et passiones deponite, privatas affectiones, et commoda in bonum publicum sacrificate, cogitantes cum Jona propheta: si propter me hae turbae, projicite me in mare. Sola justitia dirigat gressus vestros, et certe pedissequa pax osculabitur eam. Hanc igitur, ut felicius assequamur, assistentiam Divini Spiritus, cujus fructus charitas, et pax est, impense efflagitemus. Amen.

CAPUT IV.

Abbatia et monasterium S. Martini.

Trevirense hoc benedictinae familiae monasterium, *ad Littus* a majoribus nuncupatum, infra vetustissimum Mosellae pontem extremos urbis muros, fluminisque oram ita stringit, ut hac aetate fossis simul civitatis inclusum, arcis quandam, seu munimenti suburbani speciem prae se ferat; S. Martini patrocinio ac nomine fretum. Hujus origines quamvis ob diplomatum veterum jacturam suis involutae sint tenebris, tamen ex consulari domo argumentis satis exploratis ducuntur. Siquidem ut alibi in annalibus traditum, ad Christi annum 385 postquam B. Martinus Treviris agens, Tetradii, proconsularis viri, servum ab infesta cacodaemonis obsidione liberasset, fidem ille christianam amplexus, domum, unde daemon ejectus cesserat, salutiferae crucis honori dicandam obtulit, ratus liberatori Deo hanc gratiam, memoriamque deberi. Verum cum lapsis subinde temporibus barbarorum saepius in Galliam irrumpentium vi, injuriisque vastatus locus, et sacra violata neglectaque jacerent, Magnericus eximiae virtutis Trevirorum archiepiscopus, circa annum salutis 558 cum benedictini instituti laus in Galliam increbresceret, huc ejusdem ordinis cultores evocandos existimavit. Quocirca semirutum atque informem superioris aevi cladibus locum, non aedificiis modo ac tectis, sed legibus ac praeceptis religiosae vitae hominum, ad quos ipse posterique archiepiscoporum pietatis excolendae gratia sese nonnunquam reciperent, pie excoluit. Beati tamen Martini miraculorum jam post mortem gloria ubique inclarescentis, nomen ibidem extare voluit, ubi jam vivus divinae in se virtutis, potestatisque vestigia impressisset. Et haec prima benedictinorum disciplinae apud Treviros receptae ex vetustate monumenta suppeditantur, ut proinde ex hoc veluti illius instituti monachorum seminario ad reliqua ejusdem loci asceteria, quae

hodiedum sub B. Benedicti legibus florent, educatas has esse plantas credibile sit, quae etiamnum cum laude propagantur. At dolendum, minus vigilanter veterum fastos hoc loco a monasticis suorum praesulum, rerum sub eis gestarum memoria vel consignatos, vel custoditos fuisse, cum pauci ejusmodi studiorum cura, ut par est, tangantur, qua de suis majoribus dignum posteris sive ad virtutis laudem, sive ad vitiorum turpitudinem exprimendam, exemplar relinquant. Nos aliquot de hoc uti et SS. Martyrum monasterio velut reliquas, collectasque ex optimarum rerum naufragio tabulas exhibebimus.

1. Isingerus, quem alii Ingerum dicunt, cujus aetate ex Eberwino scriptore nonnulli tradunt hujus monasterii rarum id fuisse decus, ut non statione modo floreret inter praecipuas urbis ecclesias, sed pontifici Trevirorum sedem, et domicilium praeberet, adeo ut vices absentis infulatus abbas administraret. Verum hoc decus certiori tamen postea testimonio vendicare sibi B. M. ad Martyres coenobitas intelligemus. — Ab hoc Isingero usque ad vastitatem Nortmannicam, fluxit trium omnino saeculorum oblivio, barbarorum omnem antiquitatis memoriam abolentium, immanitati simul, et scriptorum inter posteros negligentiae jure imputanda. Subinde circa annum Christi 885 Radbodo, recens electo archiepiscopo, curae fuit, ut pristinae istic disciplinae instaurandae princeps, ductorque non deesset.

2. Regino igitur, ut Eberwinus loquitur, vir religiosus et ecclesiasticus, monasterio cum abbatis officio praepositus est, restituique in pristinum cultum coepit, ope ac munificentia Radbodi ex Nortmannica vastitate revocandum. Sed hoc denique circa annum salutis 915 vita ac munere functo, labefactari rursum nondum satis firmata haec statio coepit.

3. Beroaldus enim, Ruotgeri archiepiscopi frater, post Reginonem numeratur, qui nominetenus abbas, monasterii fundos beneficiario tantum jure occupavit. Adeoque in exterorum rursus coenobii possessio manus delapsa, vacillare coepit, postquam archiepiscopi successere, qui majorem suae stirpis, quam familiae Christi alendae rationem habuere, et quod decessores

obtulere, hoc sibi velut ex ara retractum vendicarent. Verum seu cessione, seu morte denique Beroaldus locum abbatibus rursum fecit.

4. Salacho quippe abbas S. Martini ab aliis praeteritus, deprehenditur anno salutis 942 adstitisse Ruotberto archiepiscopo novam S. Maximini basilicam, quam Henrici I. imperatoris auspiciis religiosi ex ruinis pristinis erexerant, dedicanti. At monasterii rebus et fortuna vacillante, ac nunc favore archiepiscoporum erecta, nunc ambitione rursum praecipitata, nildum stabile potuit obtineri.

5. Albericus tamen abbatis titulo surrogatus, eum admittere facilius potuit, quam posteri eundem tueri. Nam Alberico denique post locupletatum monasterium e vivis sublato, et Henrico archiepiscopo invitante, canonici monasticam sedem occupavere, quorum ad socialem communemque mensam, ac vitam redigendorum curam susceperat. Sed temporaria haec, brevisque hoc loco metamorphosis fuit, siquidem canonici ignavia soluti, divina, ut in annalibus traditur, voce ecclesia et monasterio depulsi sunt, vastitate inducta.

6. Engelbertus (Angilbertus) abbas postea Theodorici archiepiscopi copiis, atque auctoritate fretus, vetus praesulum decus cum monastica disciplina reduxit. Siquidem Theodoricus Romae, cum Benedicto pontifici laudabilem hujus loci monachorum vitam commendasset, amplum ab eo privilegium obtinuit, quo immunitati monasterii consuleret, et Engelberto vetus infularum jus, ex traditione S. Magnerici usurpatum, stabiliret, quod ão 975 est impetratum.

7. Eberwinus intervallo post inter abbates editus, studio, diligentiaque sua effecit, ne res ipsius aetatem antegressae literis prorsus orbatae intercidérent. Nam B. Magnerici vitam contexens, pleraque propria hujus loci inseruit; floruit maxime circa annum Christi 1000 sub Ludolpho et Megingaudo archiepiscopis, non tamen sine aliorum praesulum aemulatione, quandoquidem ab Adelberone, S. Paulini praeposito, oppugnata haec familia, rei familiaris haud levia detrimenta sustinuit.

Porro non pauca sunt, unde conjicere liceat, Eberwinum hoc tempore Tholeyae quoque praefecturam inter religiosos adiisse.

8. Sigefridus eidem apud Martinianos, sed absque gestorum memoria, solo nomine, substituitur.

9. Remigius, successor, famae, scriptorumque celebritate hanc de Sigefrido ignorationem compensat. Nam et hujus, et Mediolacensis asceterii moderator, eruditionis juxta et virtutis apud suos promovendae curam sumpsit. Quoniam illum, quem jam olim sub monastico instituto ludum aperuerat, ubi divinae imprimis literae, tam religiosis, quam exteris traderentur, hunc egregio discipulorum numero longe lateque affluentium, ut prior ipse luculento ingenii specimine excoluerat, ita porro favere non destitit. Sed et relictis scriptorum monumentis celebris, non uno per Tritthemium loco illustribus sui ordinis viris accensetur. Memoria illius inter defunctos ad D. Maximinum nonis februarii conservatur. Quo ex monasterio, id temporis florentissimo, plures huic domicilio submissos, abbates esse observatum est.

10. Ernestus post hunc pedum adiit, qui apud Mediolacenses adolevit quidem, a Maximinianis tamen inter digniores admissus, transmissusque demum ad S. Martinum, caeteros istic moderari coepit, majori pietatis, quam eruditionis encomio, quarum illa in religiosa vita, si alterutra carendum sit, praehabetur. In S. Maximini ephemeride defunctorum ad XVI. calend. aprilis locum sortitus est, parum diligenti majorum cura, qui die consignato, annorum, velut immemores, notam praeteriere.

11. Hugo subinde hic proditur abbas vixisse circa annum Domini 1084, qui in vulgatis elenchis neglectus est.

12. Sigeberinus sub Engelberto archiepiscopo floruit, qui ex ruinarum et incendii squallore monasterium eripuit, emolumentumque ex molarum juxta decurrentium proventu ab archiepiscopo impetravit ão 1090. Obiisse hunc diem suum perhibent anno salutis 1097, aut sequenti, 30. januarii.

13. Theodoricus, cognomento scholasticus, malis artibus hanc dignitatem occupavit. Nam ut Engelberti, in schisma

prolapsi, gratiam adulatione prensaret, patrocinio ejus defectionis suscepto, perniciose calamum in Gregorium VII. strinxit, pallioque a Clemente III. pseudo-papa pro Engelberto impetrato, retulisse dicitur navatae praemium operae abbatiam Martinianam. Quamdiu vero hunc ad clavum sederit, majoribus non lubuit in fastos referre.

14. Reinaldus, ab aliis tacitus, hac mitra claruit aõ 1139, quo Himmerodensis coenobii rebus stabiliendis adfuit. Occ. etiam aõ 1140 et 1142.

15. Godefridus I. vixit hoc in dignitatis gradu aõ 1154, ac 63 ejusdem saeculi transgressus, Hillino archiepiscopo etiamnum moderante obiit.

16. Oliverius, ut in ritualibus veterum episcoporum observatur, Hillino fidem atque obsequendi studium scripto manus suae addixit, qui et majorum ipsi vectigalia, ac Mosellae decursum a fonte S. Irminae usque ad D. Symphoriani, et eligendi jus abbatis aõ 1168 corroboravit. Pervenisse etiam ad annum 1177 literis eis constat, quibus ab Arnoldo archiepiscopo, super pascuorum lite, Ludvico S. Matthiae abbati datis, subscripsit, quem et vitae ultimum fuisse, credibile est.

17. Cono (Cuno) enim hoc eodem anno abbatis honorem adiisse legitur, defunctusque in diario Maximiniano VII. idus martii, anno mortis oblivioni relicto.

18. Godefridus II. succensetur.

19. Reinerus sub Arnoldo Trevirorum pontifice innotuit, cujus ipse gratiam in decimarum Graachiensium onere tollendo praecipuam aõ 1181 expertus est. Occ. adhuc aõ 1200.

20. Wilhelmus I. ex literarum veterum monumentis floruisse 1210 cognitus, obiit 1217.

21. Richardus, successor, quanta natalium et virtutis luce abbatum choro irradicarit, loquitur ejusdem epitaphium:

Quid laus, quid probitas, quid honor, quid forma, quid artes
Prosunt? incertas subeunt haec omnia metas;
Clara stirpe satus, pietatis nectare plenus
Moribus imbutus, animo, vultuque serenus,

Eloquio doctus, inopum pia cura probatus,
Abbas Richardus hoc busto pausat humatus,
Pro quo devotus lector roget, ut prece matris
Hunc Deus eripiat satanae de faucibus atris.

Pridie calend. novembris concessisse fatis legitur, utique ante annum 1238, quo jam successorem hac in sede reperimus. Nos 1230 circiter assignamus.

22. Balduinus ad infulam vocatus, egregiam parsimoniae, frugalitatisque, ac disciplinae famam promeritus, ad superos abiit.

23. Theodoricus II. ad 1249 officium, vitamque propagavit.

24. Reginerus, ex D. Maximini familia eodem tempore suffectus, qui hanc in sepulchrali monumento laudem praefert:

Francigenae stirpis vir magnae nobilitatis,
Abbas Reginerus hic putret egregius,
Cunctorum festo Sanctorum carne solutus,
Optamus votis, ut societur eis.

In diario S. Maximini legimus: »calendis novembris Re»ginerus abbas S. Martini ad littus, monachus nostrae con»gregationis.«

25. Joannes I. clavum apprehendit, qui Henrico a Vinstingen, Trevirorum archiepiscopo, in munere pontificali suffragatus est, et annos 47 coenobium rexisse traditur, et clausisse diem ultimum ão 1297.

26. Thomas deinde, licet ab aliis praeteritus, aurata tamen a se posita tabula, qua S. Crucis pars notabilis, D. N. cruore aspersa, visitur, effecit, ut nomen suum posteritati non excideret cum pietatis excultae memoria.

27. Hugo rituum sacrorum observantia et peritia oeconomiae circa annum Christi 1302 hac quoque ex sede innotuit.

28. Joannes II. de Lesura abbatis honorem adiit 1335, decessisse vita traditur 1359; sub quo alius signatus reperitur, Matthaeus abbas, sive consortis, sive adjutoris (quod potius dixerim) functus munere circa annum Christi 1350, quem quidem in domesticis annalibus parum accuratis, neglectum cum aliis ejusdem loci praelatis nos primi in lucem eruimus. Absolutae tamen illi potestatis numerum non adscribimus.

29. Joannes III. de Moylio, brevis regiminis periodum consecutus, intra eundem annum 1359 conclusit.

30. Wernerus Zand a Merle, postquam biennio praefuisset, valetudinis causa, coenobitarum tamen ingratiis, nepoti munus cessit.

31. Wilhelmus II. ex Zandiorum de Merle familia, lite apud pontificem Romanum agitata, et Cunonis archiepiscopi auctoritate interposita non prius stabilem adipisci dignitatem potuit, quam defuncto Wernero aõ 1367, monachorum suffragia fratris arbitrium confirmassent, qui subinde annis duobus et viginti praefectus, 1389 vitam feria IV. post festum Jacobi apostoli absolvit. Porro error vulgati apud Bruschium (de monasteriis Germ. in tit. M.) indicis, jure a domesticis censetur, quando ex binomine stirpis, Zand et Merle, geminos in male catalogum Wilhelmos irrepsisse, animadvertunt.

32. Hugo II. ab Ellentz, cum aliis adjumentis, tum rei familiaris felici provisione huic monasterio bene consuluisse annis 37 traditur, in vigilia S. Dionysii 1416 immortalibus sociatus.

33. Joannes IV. a Schwarzenberg, equestri stirpe, postquam annis 11 gubernacula tenuisset, illa in festo inventae S. Crucis 1427 ad sepulchri crucem deposuit.

34. Herbrandus deinde ad clavum sedit, sed curarum atque oneris impar, hoc relicto ad D. Maximini asceterium recedens, prioris illic munere acquievit.

35. Henricus de Gemunda, olim S. Matthiae coenobita, rexit, vixitque usque ad annum 1432.

36. Wilhelmus III. ab Helmstatt, Epternacensis abbatiae candidatus, super qua cum Winando Cluwelio magnum ei certamen fuit, hic tamen inauguratus sedit.

37. Matthias Rudtgerus (Rutgeri, Rudigerus), imperatori a consiliis, sed vix frugi oeconomus, hoc se magistratu abdicavit, soloque abbatis titulo contentus, ad monasterium S. Maximini transiit, ubi Bursfeldensis disciplinae fundamenta jacere coepit, sed fluxa et cum morte ipsius evanida, quam oppetiit aõ 1482. Jus mitrae, pontificiique ornatus gestandi, qui hunc

primum obtinuisse referunt, hi vel Eberwinum non legerunt, hanc jam olim facultatem praelatis S. Martini vendicantem, vel postliminio ereptam, restitutamque a Rudtgero docere tenentur. Dies obitus 31. octobris.

38. Joannes V. Blankart de Arwilre, juravit 3. februarii 1483. Hic ex S. Matthiae florentis tunc religionis asceterio accersitus, author ad pristinum vigorem revocatae tunc disciplinae Martinianis extitit; quippe ão 1474 Joannis Donerii, S. Matthiae abbatis, cujus a schola profectus erat, praeclaro accensus exemplo, in Bursfeldenses emendatioris vitae leges concessit. Idibus decembris 1499 humana reliquit.

39. Conradus de Ratingen, qui supellectile sacro et reliquiarum thesauro in honorem reposito, multisque ac necessariis aedificiis reparato excultoque monasterio, atque universe re sapienter administrata, non sine gloria bene gesti muneris ad immortalia transmigravit ão 1523, die 2. maji.

40. Nicolaus a Reill sedecim infelici gubernatione monasterii traduxit annos, obiitque ão 1539, 1. octobris.

41. Rupertus de Epternaco, electus 29. septembris 1539, doctrina, facundia, reique musicae peritia, ac morum comitate spectatus, et non minus utilium in re familiari provisor sedulus, quam religiosi instituti amator, e vita abiit ão 1562.

42. Gregorius Virnenburg, ex canonico Monasterii-Meinfeldiae Trevirensis archiepiscopi suffraganeus, atque inde hujus monasterii suscepta procurataque disciplina abbas (electus 28. octobris 1562). Fidei conservandae, tuendaeque catholicae adversus haeresis tum emergentis improbitatem, praecipuo quodam in omni vita studio atque ardore flagravit, eaque causa labores et pericula ingentia adiit. Curionis trans Rhenum munus annis compluribus egregie sustinuit, orthodoxamque religionem, qua excursibus, qua concionibus pro virili propugnavit. Societatis dein patribus in partem laborum admissis, cathedram ecclesiae metropolitanae reliquit. Denique annis quindecim in hujus coenobii administratione positis, 1577, pridie idus julii, ad superos transiit, denarium sui laboris percepturus.

43. Joannes VI. Malmundariensis, postquam ex parte Gregorii curas subsidiaria ope levasset, ão 1577, die 5. julii, electus est abbas. Abbatialem demum infulam annis gessit 27, non vulgari in hoc munere consilii ac prudentiae laude versatus, industriae quoque oeconomicae, atque hospitalitatis studio commendatus, donec coenobiarchi rite functus officio, vitaque, ão 1604, julii die 6. mortales reliquit.

44. Servatius Maringius septendecim annorum praefectura apud suos sub titulo prioris functus. Virtutis deinde, ac doctrinae praerogativa suffragiorum pro mitra gratiam occupavit 15. julii die, apostolorum divisioni sacro (juravit 19. julii 1604), unde non inscite hoc lusit chronodisticho:

Vt bIssena cohors CVnCtas eXCVrrIt In oras,
en CVpIt et te VVLt tVrba noVena patrVM.

Postquam vero totidem annos, hoc est 17, abbatis munere perfunctus esset, extrema hanc dignitatem meta vitae conclusit ão 1621. Cui hoc epitaphio a religiosis parentatum est:

Sub Mausolaeo tegor hoc Servatius abbaS,
Exhaustus longa tabida membra luE:
Rexi cum denis ego septem messibus AltoR
Vitae praesidit stamina Parca manV
Arida venturam remorantur anastasin ossA
Tritos cum cineres copula mira regeT
Interea supplex intende viator, OlympI
USque potens nivea me beet arce DeUS.

45. Franciscus Holtzerus, Trevir, Servatio mortuo abbatiali honore inauguratus est, qui, cum negotiis oeconomiae ante prudenter administrandis exercitatus fuisset, iisdem postea summa cum potestate non inutiliter praefuit, monasterio dimidia sui parte a fundamentis illustriori aedificii mole educto, donec ão 1652, die februarii altera, suo ille monumento clausus est.

46. Martinus Merung deinde ex culinarii ministerio ad praefecturae ejusdem munus vocatus (electus 14. martii 1651 more Trev., juravit 18. martii), in eodem non indiligenter versatus est, sed multarum infirmitatum difficultatibus pressus;

valetudinis privatae curam anteferre publicis coactus, diuturnam patientiae materiam habuit, demum aetate ac morbo victus, 17. februarii 1668 succubuit.

47. Albertus Balthasari monasticorum calculis, votisque surrogatus eodem anno praelatus (electus 30. aprilis, juravit 24. maji 1668), ac mensis junii decima luce insignibus abbatialibus donatus est per reverendissimum episcopum ac suffraganeum archiepiscopalem Joannem Holler, assistentibus geminis praelatis, D. Martino Feiden, S. Matthiae, et D. Joanne Kailther, SS. Martyrum, eminentissimoque principe electore Carolo sua hanc inaugurationem praesentia honorante. Ex priore annorum 16 ac vicario pene regimine, cum res domi forisque dudum laudabiliter placideque (ut suaves, candidique mores ferunt) administrasset, supremo denique regendi fretus munere, de pristina nildum cura, humanitate, ac pietate remittit. — Albertus obiit ão 1672.

48. Nicolaus Lyser, electus 27. junii 1672, juravit eodem die. Obiit 2. junii 1680.

49. Matthias Ihrs (mppia), juravit 5. julii 1680, obiitque ão 1687.

50. Jacobus Belva, juravit 25. martii anno 1687. Ob pessimam administrationem tam in temporalibus quam spiritualibus ab officio remotus ão 1700, obiit Parisiis 9. nov. 1704.

51. Benedictus Henn, electus 21. aprilis 1701. Obiit ille dignissimus abbas 30. jan. 1747.

52. Paulus Lejeune, elect. 30. jan. 1747, obiit 2. febr. 1778.

53. Carolus a Sachs, electus coadjutor, cum futura successione, 12. augusti 1776, juravit 5. septembris a. c., obiitque ão 1790.

54. Paulus Tisquin, occ. 1791—1794.

Reliquiae in hoc loco de variis apostolis.

Aliquae: ut de S. Petro et Paulo, de S. Andrea, Jacobo utroque, Philippo, Thoma, Bartholomaeo, Simone et Juda, ac Matthia. Item de S. Matthaeo, Marco et Luca, evangelistis;

rursum de S. Joanne Baptista, S. Stephano, S. Laurentio, S. Anna. His accedunt variae aliorum Sanctorum reliquiae, et dens ac pecten S. Martini. Sed praecipue eminet notabilis pars crucis dominicae, hic magno honore et cura, non sine miraculorum gloria, servatae, cui luculentum etiamnum adhaeret impressum sanguinis Christi vestigium. Custodiuntur religiose et alia ad Christum spectantia, ut quaedam de veste Christi, tam alba, quam purpurea, de praesepio, sepulchro, corona spinea, columna, ad quam flagellatus est. Caetera istic ad Sanctorum invocationes praestita mortalibus beneficia incuriosa majorum negligentia praeteriit; neque curae mihi fuit, in magna horum frequentia, singulorum locorum abdita excutere.

CAPUT V.

Abbatia et monasterium B. Mariae Virginis ad Martyres.

Hujus originem ad perquam antiquam referunt proavorum memoriam occupasse hunc primo locum ad similitudinem Romani capitolii Jovis quondam aedem, triumphantiumque hic aras stetisse, caesasque victimas, magis a quibusdam scriptoribus, et manante hinc in vulgus opinione, narratur, quam a justis earum rerum aestimatoribus creditur. Quandoquidem et humili nimis ripae incumbens locus, quem Romani in colle quaerebant, et nigrae triumphantibus vetitae, ac male ominatae portae vicinior, nihil adfert capitolio dignum, de cujus loco, situque meam in notis antiquitatum Proparasceve subnexis, sententiam exposui. Qui palatium hic Romanorum, aut Galliae principum collocant, nihil abs re propter loci opportunitatem, amoenitatemque loquuntur. Sed nos prima hic christianorum, ac religiosorum vestigia hominum, gentilitate neglecta, sectamur. Nec dubium, quin sub furiali Maximiniani persecutione Rictius Varus, praeses immanissimus, cum Thebaeorum hic militum

agmina, et Trevirorum pene urbem universam in Martium campum evocatam, et Diis sacrificare recusantem funesta internecione deleret, locus hic martyrum sanguine velut pretiosissima quadam purpura imbutus fuerit, quando Mosellae flumen late tinctum cruore ad multa passuum millia hodiedum suo limite signata fluctus sanguineos devolvit. Quod circa annum Christi 286 evenisse, in annalibus nostris notatum reperies.

Hinc evoluto facile saeculo Felicem, sanctissimum Trevirorum archiepiscopum, ea tactum religione memorant, ut geminam excitaret in hac martyrum arena ecclesiam, et alteram quidem in campo Martii capite, ubi erectis Diis sacrificare jussi, parere tantae impietati recusarunt, quam D. Paulino, decessori suo archiepiscopo itidem martyri ejusdem campi praecipuo titulo inscriberet: alteram in fine ejusdem campi, et Mosellae littore, ubi plerique martyrum ceciderant, ripa fluminis ad lanienam sufferendam coërciti, quam supremo tamen nomine B. Virgini Genitrici dedicaret. Unde hac etiamnum aetate junctis titulis B. Mariae Virginis ad martyres nuncupatur, quam deinde archiepiscopali dignitate relicta, cum solitariam in D. Paulino vitam ageret, privatae devotionis studio adiisse saepius ex vetustis chartis id memorantibus, haud inviti concedemus. Hic tamen, an istic, an utrobique, monasterium quod condidisse idem fertur, excitaverit, haud perinde facile definiemus. Certe Paulinianis, ubi potissimum vixit, sepultusque est, vix haec solitariae vitae opportunitas poterit abjudicari, ut in annalibus quoque ad Christi annum 396 factum invenies.

Caeterum illam aedem collegiumque B. M. V. ad martyres in monasticae congregationis domicilium, scholamque virtutis ac literarum conversa esse, ut antiquorum observatione ac scriptis est traditum, ita minime ibo inficias, quod in fine saeculi VII. anno salutis 697, aut proxime insequentibus, quibus apud Treviros Willibrordus versabatur, evenisse sub papa Sergio et Pipino seniore oportuerit; verum cum non reperiatur, cujus ordinis religiosos introduxerit (quia catalogus abbatum hujus loci ad Benedicti VII. pontif. Rom. tempora solum ex-

tenditur) ambigere tamen vix licet, quin ex S. Benedicti disciplina, unde Epternacenses idem Willibrordus deduxit, hos quoque religiosos desumpserit. Quod nulla id aetatis aut celebrior aut frequentior monasticorum hominum institutio floreret, et Willibrordus hanc ipsam ad sanctioris vitae cultum amplexus sit, argumentoque nobis esse poterit, quanti hunc locum Divus fecerit, quosque hic reliquerit instituti sui successores, quod charissimum sibi pignus, altare dominicum in describenda inferius forma portatili, quo in divinis sacrificiis per itinera varia usus fuerat, hic depositum, magna hactenus religione, curaque ad haec tempora conservatur, non sine admiratione reperiamus, ut iccirco primis hic saeculis a Willibrordo S. Benedicti religionem effloruisse, perquam nobis credibile videatur. Intercidisse vero religiosorum ac praesulum ejus aetatis nomina, mirum videri non poterit eis, qui non ignoraverint tot bellorum cladibus Treverorum impetitam eversamque urbem, ac Nortmannica praesertim (ut observatum est) tempestate hujus monasterii res turbatas, disjectasque fuisse. Unde ab eis, quae supersunt, documentis et praesulum nominibus horum censum, at sola non raro abbatum nomenclatura absolutum ordiemur.

Theodoricus Trevirorum archiepiscopus, aeterna memoria dignus princeps, cum pro illo, quo fervebat religionis, pietatisque erga Deum promovendae studio, ordinum sacrorum monasteria in exitium praecipitata instauratum iret, ut Martiniani asceterii exemplo latius in annalibus, et supra paucis, indicatum est, ad benedictinorum quoque disciplinam coenobio S. Martyrum inferendam adjecit animum. Quare gratia pontificia Benedicti VII. Romae fretus, locum hunc a cultura monachorum jam olim desertum, suisque nudatum possessionibus Deo rursum divinisque officiis sub abbatis imperio decrevit restituere, cui etiam praecipuum inter Trevericae ditionis abbates honorem delatum voluit, ut archiepiscopi per ejus absentiam vices implere posset. Ipsa diplomatis verba juverit deprompsisse, sic in caeteris habet: »Omnium tam praesentium quam futurorum »nosse volumus sanctitatem et industriam, quod Theodorico »dilectissimo fratre nostro S. Trev. ecclesiae archiepiscopo

»veniente Romam, causa orationis ad SS. apostolorum limina, »quendam locum ad S. Mariam in ripa vocabulo, ubi S. Beatus »corpore quiescit, sicut religione, ita cunctis possessionibus »usque in sua tempora, desertum mansisse. Quem possessio»nibus, necessariisque omnibus renovans, quo S. religionis »status major, firmiorque fieret, in eodem monachos Deo famula»turos collocavit, praeficiens eidem loco abbatem Deodatum &c.« Denique addit: »quem ampliori gloria prae caeteris abbatibus »ipsius episcopii sublimandum esse judicamus, ejusdemque »archiepiscopi vicem agere dignum censemus, ea scilicet ex »causa, quia eodem narrante fratre nostro Theodorico archi»episcopo cognovimus, quod ibidem primitus constituta fuerit »sedes ejusdem Treverici episcopatus &c. datum XV. calend. »februarii, per manum Vidonis episcopi et bibliothecarii S. sedis »apostolicae anno Deo propitio pontificatus D. Benedicti »sanctissimi VII. papae, primo imperante D. piissimo principe »augusto Ottone, a Deo coronato imperatore anno VII. (¹) »Indict III.« — Favit eidem instituto Egbertus archiepiscopus, Theodorici successor, auctisque idem monasterium possessionibus ão 980 promovit, atque in sacris ejusdem basilicae solennibus postquam ad aram fecisset, corpore dominico in manus sumpto dira omnia, corporisque hujus usum ad perditionem eis imprecatus est, qui donationes monasterio factas violarent. His igitur firmati sacrorum praesulum auxiliis suos ab anno circiter 975, abbates numerare coeperunt, in quibus agmen ducit:

1. Deodatus, supra in bulla pontificia memoratus, cujus successores,

2. Hildeboldus,

3. Warnerus, Warinarius, occ. ão 1000,

4. Ropertus, qui canonicis in possessionem luculentam intrusis, cessisse creditur. Popponis archiepiscopi ejus rei testes

(1) Apud Browerum ad ann. 975, in bulla Martiniana ejusdem temporis, anno octavo, mendose scribitur, cum hic cum primo pontificis non concurrat.

supersunt literae, anno datae 1017, in quibus sic loquitur: »Adhuc rudis in episcopatu meo hunc locum (SS. Martyrum) »a canonicis possessum inveni, monachis inde expulsis, quorum »conversatio ibi anterior fuit, quod cum perciperem et diu »mecum volverem, non id Deo esse gratum animadverti, »maxime qui ad hoc aliis praeessem, ut vitam et mores eorum »de malo mutarem in bonum, huic coenobii decrevi prioris »regulae restituere statum: illud pro certo sciens, ut sicut »antecessori meo illa praeordinatio provenit ad coronam, ita »mihi haec permutatio, nisi monasticae disciplinae fieret re»stauratio, ad supplicium pareret poenam.« Quare Poppo, exclusis canonicis,

5. Uraldum abbatem praefecit (occ. ão 1030), et reparata ecclesia, quaedam ejus altaria consecravit. Nuda sub haec tempora abbatum aliquot nomina colligo, rerum gestarum, annorumque notis destituta, ut sunt Eberwinus, Adelbertus, Petrus I., Udo, celebratae virtutis praesul, Hageno, Hermannus, Berno, Folcuinus.

16. Petrus II. successit, qui ab Alberone, archiepiscopo, ão 1140 Theodorici donationes firmatas diplomate vidit roborari. Occ. etiam ão 1136 et 1142.

17. Ludovicus, qui in albo defunctorum S. Maximini reperitur ad IV. nonas junii defunctus, ex monasterio illo recenti disciplina instaurato ad hujus praefecturam assumptus, spectatae utique prudentiae ac virtutis merito, vixit ão 1156, 1157 et 1160, et recuperatae de manu regia San-Maximinianae abbatiae se testem praebuit.

18. Reinboldus, ex eadem S. Maximini congregatione huc ad pastorale traductus pedum, Hillino et Arnoldo sedentibus, et ão 1162, 1169, 1177, 1178, 1182 in humanis fuisse, reperta diplomatum subscriptione testatum fecit.

19. Hermannus II., cujus etiamnum extans ad B. Hildegardem Bingensem epistola, virginisque ad eandem responsum, non sine pietatis laude ac cura vixisse circa annum Christi 1180 argumento est. Occ. etiam ão 1196 et 1200.

20. Theodoricus I. ejusdem loci abbas sub Joanne I. Trevir. archiepiscopo vixisse deprehenditur (occ. ão 1197, 1198, 1210 et 1217), qui cum solitudinis, perfectionisque majoris amorem monasticae hujus praelaturae anteferret, ad florentissimae id temporis disciplinae monasterium Himmerodiense, D. Bernardi alumnus futurus, transiit, servitutem hanc gloriosiorem pristinae dignitati anteferens.

21. Richardus, ut in locum abbatialis officii subiit, ita denique expertus est, salutis suae cupidos sub alieno severius imperio vivere, quam imperare. Quare ejusdem decessoris sui pulchritudinem exempli aemulatus, ad reformatam cistertiensium disciplinam Himmerodium quoque, aliis inserviturus transivit. Occ. ão 1223 et 1227.

22. Theodoricus II. deinde successit, posteritati solo nomine cognitus.

23. Robertus postea ad clavum sedit, Theodorici, abbatis S. Matthiae, germanus frater, quo nomine apud Henricum archiepiscopum, illius mitrae insidiantem, fraternae causae invidia laboravit, odiisque gravatus est. Occ. ão 1263.

24. Aegydius de Manderscheidt, ab Henrico archiepiscopo in Roberti eliminati locum ex S. Martini monasterio huc evocatus, aliena magis voluntate, quam suo merito gubernacula apprehendit; post quem terni iterum, solis tantum literarum syllabis cogniti; Hermannus III., Petrus III. ac Jacobus, prodeunt.

28. Walramus his majori existimatione succenturiatur. Namque illi ob egregiam virtutis opinionem Boemundus Trev. archiepiscopus montem S. Beati apud Confluentes, ubi tum D. Benedicti leges remisse colebantur, ad sanctiora instituendum commisit; at ipse expertus pertaesusque muneris hujus difficultatem, montem, incolarum magis religiosorum moribus, quam sentibus, spinisque asperum, Balduini archiepiscopi arbitrio cessit, vitamque sub haec ão 1324 reliquit. Mons vero S. Beati aliis deinde cultoribus e carthusiensium familia traductis, et possessoribus ab archiepiscopo proscriptis, ad frugem meliorem reductus est. Quatuor subinde abbatum e numero

solis annorum notis succensentur: Petrus IV. defunctus ão 1327, Gerardus, 1360, Theodoricus III. de Lesendorf, obiit ão 1391. Tilmannus Lincht, cujus in obscuro relicta memoria.

33. Matthias Stumpfius de Waldeck, sub quo per industriam Ottonis archiepiscopi disciplina monastica regulari observantiae restituta est, qua religionis gloria ad immortales ão 1428 transmigravit.

34. Henricus Wolffius subinde ejusdem disciplinae tuendae promovendaeque rationes non perfunctorio munere aggressus, postquam aliquot hic annis strenuam, laudandamque posuisset operam, ad D. Matthiae coetum pari felicitate successuque regendum atque instituendum accersitus, eidem fructu non poenitendo annis 8 praefuit, suum quatuor adhuc annis cum Matthiano egregia virtute usque ad annum 1447 moderatus.

35. Henricus de Blenich postea in abeuntis locum subiit, atque die 30. aprilis 1447 juravit. Qui 30 hic annis rerum sine veteris disciplinae jactura potitus, ão 1477 mundo valedixit. Sub hoc ão 1455 Bursfeldensis hoc loco unionis leges receptae, hactenus observantur.

36. Joannes I. de Breda sedem vacantem occupavit, jusque coenobitas inter religiosum pie administravit per annos 15, et monastice tunc quidem ad summum hic decus pervenisse visa est, quando domesticis minime parietibus inclusa, foras splendorem suum, industriamque protulit. Nam celebri S. Mauri apud Alsatas monasterio (Maursmünster) duos lectae virtutis abbates dedit, Joannem de Witten, qui ão 1517, et Franciscum de Lesura, qui 1519 istic praefecti sunt. Luxenburgensium monasterio B. M. V. Joannem Helmond dedit, Bursfeldensi illic unione introducta celebrem, et Nicolaum Biedburgium, Coloniensi S. Pantaleonis coenobio Joannem Feth, Trajectensi S. Pauli Jacobum praesulem, Leisbornensi Henricum Devis, Lacensi Joannem de Dedisheim, et Christianum Schäffgen: de quibus suo actum in loco.

37. Joannes II. de Treviri in coenobio SS. Martyrum suffectus, juravit 15. februarii 1492, annis 17 usque ad 1509

vitam, officiumque protulit, nulla re magnopere scriptorum defectu cognitus.

38. Casparus de Breda, posteritati non plane ignoratus successit. Siquidem is abbatiae, ut vocant, aestivalis domum haud ignobili structura artificioque excitavit, hieroglyphicisque atque aenigmaticis figuris non ingeniose minus, quam amoene exornavit; mitram abbatialem auro, gemmisque radiantem, ut curavit, sic eandem apud Romanam promeritus curiam gestasse primus, atque ad posteros hoc decus transmisisse creditur; quod anno salutis 1526 ad tumulum deposuit.

39. Joannes III. Schenen de Cellis, Trevir (juravit 2. octobris 1526), hoc sui in praefectura mnemosynon reliquit, quod codicem evangeliorum vetustum, charactere eleganti exaratum in pergamena charta scite pretioseque compactum aureae, gemmataeque thecae incluserit, serae posteritati asservandum. Quievit in morte 9. junii 1544.

40. Petrus ab Alff, electus 19. junii 1544, cum annis monasticae rei praefuisset 4, decessit aõ 1548.

41. Joannes IV. de Coveren, electus 6. februarii 1548, monasterii hujus gubernacula annis 17 per omnem fortunam jactatus, tenuit. Cum enim in adversam bellorum ab Alberto Brandeburgico ductorum tempestatem incidisset, qua incendio et ruinis universa tam in monasterio, quam sacra basilica et abbatiali domo usque adeo eversa concidere, ut nec habitabilis quidem locus relictus sit, donec industria magnanimi abbatis admiranda omnibus celeritate priorem utcunque formam parietes, surgentiaque passim tecta induerent. Tandem hic e statione evocatum, 28. februarii 1564, more Trev. mors ad proemia laboris stitit.

42. Petrus a Carweiler ex monasterio Lacensi ad hanc infulam postulari virtutis ac prudentiae existimatione meritus (electus fuit 26. aprilis 1565), subinde diem extremum 24. aprilis 1581 clausit, magno disciplinae et rerum domesticarum incremento laudatus.

43. Lucas Selheim, sive a Seel, dein, 2. maji 1581, pedo admotus, et post quinquennium, in festo pentecostes, 25. maji 1586, tumulo.

44. Petrus Berncastellanus, electus 10. junii 1586, cum honore clavum tenuit; 8. octobris 1595 defunctus.

45. Jacobus a Güls, electus 26. octobris 1595, innovatae ecclesiae, araeque, et organi musicalis instructi laudem tulit, post duodecennium 7. septembris 1607 defunctus.

46. Joannes Jodocus, Berncastellanus, Petro in sanguine et mitra succedens (electus 17. septembris 1607, juravit 22. a. c.), singulari in rebus arduis expediendis prudentia, Lothario Trev. electori inprimis gratus, consiliisque ipsius secretioribus, quaeque momenta rerum ponderarent, adhibitus fuit. Huic et templi suis in fornice, parietibusque depicti ornamenta cum horologio et excitata apud Treviros in urbe haud ignobilis refugii domus et disciplinae apud domesticos non solum, sed archidioecesi tota per benedictinorum collegia conservatae, quibus visitator a Bursfeldiana congregatione praefectus erat, debetur gloria, quam tamen uberiorem in coelo exspectans, 24. augusti 1624 a mortalibus abiit.

47. Joannes Lack, Moguntinus, electus 10. septembris 1624 (juravit 19. novembris 1624), munus abbatiale indeptus, gloriosis antecessoris sui vestigiis non indecoro conatu institit, atque a sacra Dei domo exorsus, nobili illam sacrario auxit, mitramque nivei coloris adjecit alteri, pretio haud multo inferiorem. Apparatum vero sacerdotalium, ut vocant, casularum insignem addidit, quo dignior mysterio divini sacrificii honos esset. Nec abbatiali aedificio hyemis usibus aptando, defuit. Sed plura meditantis conatus mors 1. maji 1632 rescidit.

48. Aegidius Wahll (mppia), Epternacensis, electus 13. maji 1632 (juravit 25. maji 1632; inter electores fuit, uti et 18. decembris 1634, P. Placidus Patt), ut ad infulam, sic ad tumulum haud multo post successit 22. novembris 1634.

49. Joannes Petrus Mertert, electus 18. decembris 1634 (juravit 29. decembris 1634), haeres itidem mitrae, et mox, 9. augusti 1636, sepulchri, cum manum, quam aedificio appli-

carat, mors reduxit: tam incerta volvuntur rota res ac spes mortalium.

50. Joannes VI. Kailther subinde delectus, usque in hunc diem superstes, inter varios morborum assultus eluctatur hactenus, compensatque detrimenta aliorum jam 32 annorum praesul, turbulentos olim sub Philippo Christophoro bellorum motus, eversionemque monasterii extra urbis muros siti expertus; quam ruinam in basilica praesertim, altaribus, ut potuit, instauratis, novo opere texit. Majora in optato nunc pacis otio ausurus, si cupienti aspirent superi, loculosque et vasa non vacua largiantur. Obiit 21. aprilis 1678, regiminis anno 42.

51. Matthias Scholer ex Mehring, obiit 27. sept. 1704.

52. Jacobus Horst, anno 1730 defunctus.

53. Benedictus Scholer, consecratus 30. maji 1730, obiit 9. martii 1756.

54. Petrus Cremes, obiit 24. septembris 1761.

55. Thomas Valentini, juravit 22. novembris 1761, obiitque 3. februarii 1786.

56. Placidus Mannebach, electus coadjutor 13. junii 1784, obiit 24. februarii 1812.

Reliquiae et antiquitatum thesaurus.

Minutiores hic reliquiarum thecas, quaeque de S. Cruce, apostolorum et variorum martyrum ossibus possideant, excutere, non est animus; praecipua solum tango. S. Beatus, hic olim eremicola, sepultus fuit, qui nunc haud procul Confluentia apud carthusianos quiescit. S. Pontiani martyris caput integrum. S. Viti etiam hic caput cum notabili corporis parte, quam esse quartam aestimant. De alba veste, qua Christus ab Herode indutus et illusus fuit, pars notabilis, ad longitudinem unius ulnae, latitudinem ulnae dimidiae. De purpurea Christi chlamyde, sudario et spongia, ac flagello nonnulla possidentur.

Illud palmarium, quod candidae Deiparae Virginis togae ad talos usque propendulae partem anteriorem integre pos-

sideant, quam subtili et non satis explicabili telae contextu, a D. Willibrordo huic loco illatam, etiamnum post tot annos conservatam utcunque tuentur, tela tamen hinc inde hiscente, aut evanescente. Quae cum in publica reliquiarum exhibitione, certis annorum intervallis proponi palam ac seorsim dignioribus etiam quibusdam soleant, evenit memoria, atque admiratione digna res aõ 1655 (qui fuit nobis solennitatis hujus celebratae postremus), quam ad posteritatis instructionem omittendam non censui, exceptam ex ore patris Richardi Cürens, qui togae hujus demandatam suscepit custodiam, et praesenti spectaculo interfuit.

Vir minime malus, illustris genere et crucis habitu insignis, qui inter frequentes hic proceres ad solennem togae Christi et B. V. Mariae propositionem affluxerat, postquam Deiparae hanc vestem publice exhibitam vidisset, cupiditate ejus propius, privatimque videndae, et exosculandae, tum si quid venerationis gratia ab ea subtrahere posset, usurpandi exarsit. Ergo religiosum convenit satellitio frequenti stipatus, oratque ejus sibi seorsim videndi copiam fieri, quod cum is sine abbatis facultate sibi negaret permissum, hunc iisdem interpellat precibus, obtinetque: solusque igitur cum dicto custode admissus, et spectat et osculatur saepius, devotione, ut apparebat, singulari. Verum interea solutum alicubi ex limbo togae filum captat, educitque raptim, sed observans religiosus custos facti, negat id sibi indulgere fas esse, abbatemque super ea re conveniendum. At ille tantillum sibi concedi postulans, dissimulanterque increpantis, repetentisque excipiens verba, post fusas obnixe preces, ad suos sese recipit, suspensumque religiosum relinquit, praelato ne rem indicet, utique indignaturo et sibi et hospiti, an factum dissimulet? Dum cunctatur, haeretque ambiguus, ecce rem novam. Ille sacri pignoris attrectator, depeculatorque satellitio nobili stipatus rhedam sex equorum abiturus conscendit, impelluntur ad iter equi, sed restitant, minisque ac verberibus insolenti adeo obluctantur strepitu, ut dominus poenam sibi infligi divinam, haud obscure animadverteret. Ergo animi anxius retro pedem ad Joannem

(Kailther), supra memoratum praesulem, refert, audaciam, furtumque suum confitetur, precaturque delicti veniam; quam praelatus denique non sine temeritatis increpatione fecit, indulsitque filum roganti. Nec mora ad equos rhedamque reversus, tam illos promptos, obsequentesque reperit, ut ad signum datum provolarent; documentumque posteris fuit, sacra temere non attrectandi, nec pietatem Deo placere posse, quae cum aliqua injuria conjungatur. Non dissimile ejus rei superiori anno ad D. Paulinum exemplum extitit, ubi mulier, quae ex coemeterio Sanctorum Trevirensium martyrum de magno ossium cumulo, unum privato devotionis sensu domum transtulerat, quietem non prius reperit, quam remisso per confessarium ad decanum osse, qui tamen illud petenti deinde sacerdoti venerationis gratia et felici eventu indulsit. Haec rideant, qui sanctis reliquiis vel debitum honorem negant, vel debitum aut agnitum non debite impendunt. Nos seriis haec adscribimus, et neque post vitam illa Sanctos latere credimus, aut negligere.

Superest nunc thesaurus hujus loci itidem nobilissimus, quem ob raritatem atque antiquitatem oculis, in figura etiam adjecta liberali archiepiscopi et electoris nostri principis aere atque indulto subjiciendum putavimus. Nimirum altare portatile, quo D. Willibrordus variis in itineribus christianos inter et gentiles, dum cis et ultra Rhenanam Germaniam Inferiorem oberrat, ad sacrificium immaculatae Deo hostiae offerendum utebatur, magna hic religione et cura asservatum est, et ne memoria posterorum excideret, literis in mensa altaris circa lapidem sacratum inscriptio majorum testimonio affixa est, quam cum caeteris in limbo arae superioris versibus, posteriori item aevo affixis (cum S. Simeonis memoriam inserant), lectori evolvendam relinquo, et ad figuras altari affixas, me paucis converto. Altare totum ex ligno, cistulae non magnae speciem refert, quae pro fundamento ostiolum habet, quo reliquias Sanctorum impositas opportune reciperet, ut hodiedum complectitur. Exterior altaris species quaqua versum suis imaginibus exculta est, quarum ex aere pleraeque scite eleganterque elaboratae, nonnullae ex elephantino dente per nos signatae

stellula dignoscerentur. Quaedam vetustate attritae exciderunt Christi cruce notata. Affixae omnes solido natura ligno: praeter Salvatoris autem et Deiparae, apostolorum primorum effigiem, plerosque hic Trevirensium Sanctorum reperies, S. Willibrordi aetatem praecessere, quorum ut lectorem sublevem, accenseo catalogum. Mensa altaris, quae litera A. designatur, ascendenti sacerdoti a dextris, B. Christum exhibet (ita enim inscriptori versuum collocare libuit, cum secus mihi ponenda videatur, ut Christus in cornu evangelii pateret) inter D. Petrum Paulumque aperto libro docentem; a sinistris, C. vero Deiparam inter duos martyres, Stephanum, diaconali habitu indutum, et Palmatium, ducem ac martyrem Trevirorum. Prior arae facies sub litera D. quae figuras medias, et laterales, hinc atque hinc medium quoque locum obtinentes, ex elephantino dente formatas habet, Christum proponit, matris suae animam a morte excipientem, ut coelis asserat, apostolis morientis lecto adhaerentibus. Ibidem, sub litera E. primi Trevirorum episcopi figuris quorundam caducis, ut SS. Agritius, Maximinus, Paulinus, Felix, qui in medio duos complectuntur apostolos. Sub litera vero F. in capite eminent duo SS. pontifices Alexander et Sylvester (qui excidit), quorum ille primos post S. Maternum Trevirorum episcopos hic primos statuit archiepiscopos. In calce duo alii SS. archiepiscopi, Severus et Cyrillus (cujus hic pars, cum nomine, elisa est), mediis rursum geminis apostolis. Ex quorum libris (reliquis quoque apostolorum una cum Christo communicatis) docendi munus agnoscitur; soli Petro concessis clavibus. In cornu sinistro altaris, sub litera G. deprehendes SS. Benedictum et Basilium, monachorum patres, tribus geminis votorum religiosi ordinis mediis. Et hunc quidem cum mitra episcopum, illum sine mitra, sed cui religionis propagatae munere jure dextera tribuatur. In facie altera sub litera H. vides Deiparam cum Christo infante. Sub litera I. reliqui seu episcopi, seu archiepiscopi sancti, quorum reliquiae potissimum Treviris extant, censentur, ut S. Magnericus, S. Felicissimus (quem ad distinctionem alterius ejusdem nominis S. Felicis sic appellare videtur) S. Basinus, S. Marus, S. Severinus, S. Nicetius, atque

in opposita parte, S. Bonosius, S. Legontius et S. Modoaldus. Quibus tres alii sancti patroni, ut apparet, Willibrordi adjecti sunt, ut S. Vincentius, S. Nicolaus, et S. Martinus, mediis utrobique apostolis, hinc atque hinc ternis, qui simul praeter doctorem gentium, duodecimum numerum implent. Cornu sinistrum Christus libro clauso, tanquam docendi jam munere perfunctus, inter D. Virginem et S. Joannem, sibi unice dilectum, claudit, cujus plerumque evangelio sacrificium missae concluditur.

Expendant haec et resipiscant hujus aevi sectarii, iis praecipue, quae Willibrordus per Cliviam, Hollandiam, Frisiam Saxoniamque inferiorem evangelii veritatem praedicavit locis. Videant, quem Sanctis ille honorem, sacrificii divini observantiam esse voluerit. Mutum hoc schema in extremo judicii die infelices sui erroris reos, nisi majorum vestigiis insistant, condemnabit.

CAPUT VI.

Prumiensis abbatia et monasterium.

Prumia a Prunaeo rivo in veteris Arduennae limite, quem Eiffliae pagus excipit, amica stirpi Carolinae sedes, et ob loci non opportunitatem magis, quam eximiam monasticae claritudinem expetita quondam, et ab omnibus ordinum hominibus frequentata longe aliis antecelluit, sive dignitatem spectares religionis, sive amplitudinem veteris potentiae; et merito refero inter primae classis monasteria, quibus S. Benedicti leges arrisere. Vetus illic monasterii basilica praecipue surrexit, quam Pipinus rex insigni mole, atque arte mirabili 30 annorum labore eduxit, Carolus magnus, Pipini filius, absolvit,

Leo III. pontifex maximus, in amplissimo cardinalium, archiepiscoporum, et episcoporum numero consecravit in honorem Christi Domini Salvatoris in Prumia nomen antiquitus obtigit. Sed fallitur Bucelinus, cum inter 360 (ita enim legendum) episcopos hic adfuisse memorat, cardinalem in via defunctum, et huic officio redivivum adstitisse, quod ad rem tanquam testes idonei non citentur; voluit, opinor, illam huc Aquisgranensium narrationem ex publicis Trajectensium derivare, quam in dedicatione summae aedis, per Carolum magnum excitatae, evenisse memorant. Ubi cum tot rex desideraret episcopos adesse, quot in anno dies sunt, ad hunc numerum complendum, Monulfum, et Gondulphum, Trajectenses episcopos, ex sepulchris egressos, officio huic consecrationis adstitisse scribunt.

Pipinum, Caroli magni parentem, laudant majores rerum suarum fundatorem, Bertamque reginam praeclare juxta de se meritam, caeteramque ab his ortam regiam sobolem, et incredibile dictu, quam late patentium fundorum, et vectigalium indicem proferant abbatis Caesarii Prumiensis commentario illustratum. Hujus in frontispicio Pipinus et Carolus visebantur, Prumiam Christo, e nubibus emicanti, donum offerentes, inscriptione varia, e quibus illa est: *Pipinus rex Francorum gloriosus, Carolus magnus ejusdem Pipini filius, victoriosissimus imperator Romanorum, nec non et gloriosissimus rex Francorum, Prumiensis ecclesiae patroni atque primi fundatores.* Hi amplissimis eandem donationibus locupletarunt, quas deinde Ludovicus pius et Lotharius imperator, eorumque in imperio Romano successores amplissimis diplomatibus confirmarunt. Porro abbatis clarum in imperio quondam nomen, et dignitas extitit; principis, sive praelati titulo late dominans, ministros nobiles ab advocatione, a dapibus, a cyathis habuit. Clientes inter caeteram nobilitatem non dominos modo, ut Blankenheimios, Sleidanos, Kerpenos, Neuerburgios, Schoneckos, et id genus plurimos, sed comites quoque, ut Clevensem, Juliacensem, Seynae, Wiedae, Hohenstein, Spanheim, Leiningen, Hostade, Arc, Namurcensem, Silvestrem, Viennensem, et Katzenellenbogium, aliosque, imo duces numeravit, praecipue Lutze-

burgium et Limburgensem. Primus hac dignitate ab ipso ornatus Pipino, coenobii conditore:

1. Assuerus, comes, ut Bucellinus ait, Andegavensis. Pipini regis consanguineus, sapientia vir praestanti, et exquisito morum habitu, qui tectis monasterii, templique ad culmen perductis, tum aliorum Sanctorum, tum Salvatoris ante omnes, et B. Dei Genitricis honori consecratis, ão 765 magistratum iniit, et cum religionis accessione in seros etiam annos propagavit. Pipinus, Caroli magni filius non legitimus, et gibbo deformis, sub Assuero monasticen illustravit; et Assuerus a Pipino rege ecclesiam S. Goaris, cum cella vel oppido, quod inde ad Rheni ripam enatum, dono accepit. Sub hoc ão 789 a Leone III. pontifice basilica Prumiensis in trecentorum sexaginta episcoporum ac procerum multorum praesentia dedicata est, cujus rei memoria annalis recurrit ad VII. calendarum augusti. Caeterum Assuerus felici quadraginta quinque annorum gubernatione *sancti et venerabilis patris* nomen meruit, anno 810 defunctus.

2. Tancradus, genere etiam illustri Reginoni secundus abbas, Wandelberto, eruditioni florenti scriptori et coenobitae, laudatus; qui, ut Sigebertus, Tritthemius, meminere, ingenio, multiplicisque doctrinae ornamentis plurimum abundavit, ão 829 vita functus. An ex principum ille Parmensium familia, ut ex ms. quibusdam referunt, in medio relinquam; illud non negavero, Ludovico imperatori virum fuisse charum, consiliisque ejusdem non raro adhibitum, religiosos quoque sub eodem magno auctos numero; quando cellas tres, S. Medardi in pago Spirensi, S. Petri in Kesselingen, B. Mariae Virginis super Mosam conventualium habitationi accomodatas, coenobitis, Prumiae tamen parituris, complevit. Sed quas bellorum denique injuria periisse compertum est.

3. Marcuardus a Bullionia, antiqua comitum stirpe, qua sanctitatis opinione, doctrinae atque sapientiae apud infimos juxta, atque summates suo tempore floruerit, cum multis rebus aliis constet, tum clarius in epistolis suis Lupus Ferrariensis abbas coëtaneus, nosse volenti, confirmaverit, nam et *clarissi-*

matus cum titulo ornat, et vitae merito suspiciendum praedicat. Impetratis a Sergio pontifice, Lotharii imperatoris rogatu, Sanctorum aliquot corporibus ecclesiam suam mirifice excoluit. Monasterium Eiffliae, id oppido jam nomen, colonis ex suo monasterio deductis exstruxit et condidit, quod inclinatione facta, canonicos tandem pro monachis accepit. Rabano, Fuldensi praestantissimo abbati, familiaris extitit, suaeque familiae bono, Ludovico augusto pio annuente, ab eo ex fundis villae Schwalbach, quae in pago Logenahe sita, agros et servitia quaesivit, Marquardo de suis ex pago Hassorum, loco Alachstadt, reponente tantundem. Marcuardi epitaphium in saxo humi strato adhuc legitur:

> Hic requiescit Marcuardus abbas,
> qui tertius hoc monasterium rexit
> annis XXVI. et IV. calend. junii obiit DCCCLIII.

Floruit tum Prumiae Wandelbertus, diaconus et monachus, qui circa annum Domini 839 vitam S. Goaris Marcuardo abbati inscripsit, et Bedae martyrologium versu addito hexametro illustravit.

4. Egil, ex vetustissima comitum Silvestrium stirpe, ob eximiam vitae integritatem regibus, principibusque dilectus, et Senonensis delectus archiepiscopus. Hic cum Gerungo, Falcoldo, Sichardo, Ansberto, Ansbaldo, pietate atque eruditione claris coenobitis in disciplina Marcuardi, ut Lupus memoriae tradidit, enutritus, ad hoc fastigium ascendit. Eum Lupus Marcuardi fidum interpretem salutat, et ex gravi morbo surgenti gratulans, *magna perfusum*, ait, *se laetitia, quando communem filium Eigilem ex validissima infirmitate revaluisse dicit.* Sub hoc S. Hunfridus comes floruit, quem virtus ac sanctitas morum, primo ad infulam abbatialem S. Bertini, deinde episcopalem apud Morinos extulit, nullibi tamen illius illustrior vita, quam in exilii aerumnis, cum a Nortmannis sede pulsus esset, eminuit, quando in his cum patientia durare, quam redire cum gloria maluit; nonnisi pontificis mandato reversus. Sancte, ut vixit, mortuus anno 869. Egilis autem

magistratus salutis anno 855 Lotharii imperatoris conversione nobilis cumprimis extitit; quando is ex augustalium illa negotiorum mole et gloriae quasi theatro descendens, intra Prumiensis coenobii parietes, pro Christi amore, factus monachus, sese abdidit, cujus forte virtutis admiratione ipse etiam Egil accensus, ut Regino prodidit, ex hoc fastigio ultro se in planum demisit ão 860, et abbatiali dignitate abiit, ut solitaria Deo vita, curaque impensius serviret, qui imperatores ipsos servitium hoc imperio praeferre videret. — De Lotharii augusti morte, quae in annum 855 incidit, legitur in antiquis membranis, magnam extitisse inter angelos bonos et malos in ipsius agone de anima dissensionem, sed orantibus assidue fratribus cessasse, et victoria potitos angelos bonos, atque ita animam, quae regnum mundi contempserat, et omnem ejus ornatum, requievisse in sancta pace, et gaudiis cumulatam in coelis. Lotharii tumba sepulchralis visitur ante altare Omnium Animarum, quod erigi et sacrari ipse jusserat. Incomparabilem thesaurum cimeliorum, auri, gemmarumque et reliquiarum integro diplomate signatum cum villa de Avans, ejusque juribus monasterio intulit aeterna memoria dignus princeps. Porro communem sepulchri titulum hunc ante S. Benedicti altare Marquardus et Egil sortiti sunt:

Hic pater et natus recubant Marquardus et Egil.
Istius abbates ambo fuere loci
Ambos (1) hos veniens judex hic suscipe Jesu,
Blandus cum justis procmia (2) plena dabis.

Egili privatae vitae otium amplexo successit ão 860,

5. Beatus Ansbaldus comes ex Luxenburgico nunc agro; ut Reginonis verbis utar, omni sanctitate et bonitate conspicuus, unde et in priscis abbatum catalogis, *Beati* titulus ejus nomini praescriptus. Sub hoc sagitta, affixo schedae indicio, mirabiliter ex finitimis Galliae Campaniae locis in sacrificantis

(1) Ad nos adveniens.
(2) Gaudia.

aram ante oculos decidit, qua Nithardus, opulentus Galliae eques, amplum praedii Hinnapiensis legatum complexus, illi hoc loco destinaverat, cui Deus literas has telo emisso implicatas obtulisset, quod per 60 facile milliaria translatum, jactu prodigioso templum Prumiense subiit. Hoc miraculum Carolus III. imperator solenni instrumento, quo donationem ratam habuit, testatum posteritati reliquit, manetque etiamnum sagitta, religiose a majoribus custodita; et hoc laetum, sed illud tristius spectaculum, quando vidit Ansbaldus funestam illam monasterii sui imaginem, cum Nortmannus ipsa die epiphaniae Prumiam hostiliter ingressus, triduum colligendae praedae dedit, ignibusque forte ab eo relictis, ão 882 memorabili incendio monasterium conflagravit. Tunc etiam Hugo, Lotharii II. ex Walrada spurius, Prumiae a Reginone pro monacho attonsus est; et Ansbaldus haud multo post, ão 886, mortalia reliquit. A Ludovico vero imperatore, Lotharii filio, ecclesia S. Salvatoris Aquisgrani, aliaque in Vurmsalt et Antiquo Campo, tum capella S. Justinae in pago Juliacensi, basilica D. Virginis in Bachem, pagi Bonnensis, Prumiensibus addicta est. Accessit deinde ex donatione Henrici comitis, fratris antedicti Hunfridi, villa Winandesheim, in pago Wormatiensi, cum 70 mancipiis et terminis amplissimis.

6. Farabertus, Austrasiorum nobili stirpe illustris, et virtutibus multo illustrior, parum auspicatum regimen ingressus, vidit ão 892 coenobium iterata irruptione ultimo pene excidio belli et flammarum a Nortmannis affligi, monachis partim interfectis, partim captivis ab immani hoste factis; trucidata quoque familia est, et exhaustae denique cunctae facultates. Hac forte clade attonitus, et impar ferendae Farabertus Arnolphi regis adjuncta sibi voluntate, procuratione muneris sese abdicavit anno salutis 893.

7. Regino igitur, nobilissimis de Alta Ripa parentibus natus, nec eruditione minus clarus, quam genere, monastici coetus suffragatione cooptatur. Is autem qui vir? quid, quantumque scriptis complexus sit, norunt eruditi, pluribusque a Tritthemio locis explicatum est; in quibus chronicon est, quo

Alemannorum et Francorum res gestas magna fide et diligentia complexus est, tum etiam decretorum libri duo, quos jussu Radbodi, archiepiscopi Trevirensis, de disciplina et religione christiana exaravit. Anno vero magistratus initi, ut Richarium, Gerardi et Matfridi comitum fratrem, invidiosum negotii sui successorem se sustinuisse in chronicis ipse meminit. Et anno quidem 899 magistratu expulsus, in S. Maximinianum coenobium commigravit, ubi reliquam vitam, qua probitatis exemplo, qua eruditae scriptionis stylo in sancto quodam otio transegisse videtur. Nam memoria nostra, ão 1581, forte in D. Maximini ejus retecto lapideo sepulchro, litui pontificii fragmenta quaedam eruta, cum his epitaphii vestigiis:

.... fossa Reginonis continet ossa.
Abbas egregius praefuit ipse pius
Coenobio quondam Prumiensi moribus almis.
Postquam ....
&c. DCCCCXV.

8. Richarius, filius comitis Hannoniae, propinquorum nobilitate, ac virtute sua fretus, magistratum jam abbas Stabulensis creatus iniit: atque anno altero et vigesimo in Prumiensis coenobii gubernatione posito, a Carolo simplice, Joannis Romani pontificis auctoritate, quod Sigebertus memoriae mandavit, ão 921 Leodiensis episcopus institutus. Inde ecclesia D. Petri Leodiensi post cladem Nortmannicam reparata, auctaque vectigalibus, post quatuor et viginti annos episcopatus sui moriens, Ogonem, S. Maximini abbatem, in episcopatu successorem habuit.

9. Ruotfridus illi suffectus in Prumia est, nobilissimis e Zutphania parentibus editus, qui vitae merito, observantia rigoris monastici et rerum sapienter expediendarum laude clarus ão 935 decessit.

10. Farabertus II. filius comitis S. Pauli de Palatio. Is tredecim non integris annis Prumiae moratus, ad Leodiensem quoque sedem, ut ejus ecclesiae tabulis notatum, ão 947 accersitus est. Praefuisse vero tradunt annos sex, id quod Sigebertus approbat, cum ão 954 Ratherium scribit Leodii

episcopum ordinatum a Brunone Coloniensi, post Farabertum, quem ão 953 defunctum, in S. Lamberti crypto-porticu sepultum fuisse, lego.

11. Ingramnus, ducis Limburgensis filius, annis, quibus praefuit, multa suae pietatis monumenta posteritati reliquit, vita denique atque officio destituto, ad immortales decessit ão salutis 976.

12. Everhardus, comes Salmensis, quem sub Ottone magno vixisse perhibent, a quo donatus praedio Wackenforte, sodalitium istic pietatis causa instituisse dicitur, cui multi principes sua nomina dederunt. Obiit magno apud subditos relicto sui desiderio ão 986.

13. Hildericus claris e Frisia natalibus, auctor fraternitatis, quam S. Salvatoris appellarunt, nobilibus viris frequentatam, vita abiit 993.

14. Stephanus, antiqua Saffenbergiorum stirpe oriundus, sodalitatem ad S. Benedicti honorem instituisse traditur, in quam nobiles viri inscribi solent. Excessit mundo ão 1001.

15. Udo, Namurcensium sanguine comitum progenitus, ab Henrico S. imperatore anno Domini 1003 suppellectilem sacram recognoscere jussus, praeter aliam omnis generis pretiosarum vestium synthesim, thuribula aurea duo, argenteum unum, et ejusdem metalli candelabra tredecim inveniebat. Sed damnosa quid non imminuit dies! ubi nunc decus pristinum? Reliquiarum tamen thesaurum sanctum hodiedum asservatum diligenti studio retinent, cum instaurata priscae religionis laude. Sub ipso restitutio quaedam collapsae disciplinae facta est, cui Henricus imp. operam passim dedisse, monumenta veterum undique testantur, qua in re cum aliorum insigni pietate praestantium, tum S. Popponis, Stabulensis abbatis, industria plurimum usus est, sed consummatus brevi tempore ão 1003 explevit multa.

16. Immo de Spanheimensium familia comes, ex Gorziensi coenobio, in actis Augiae divitis (quod monasterii nomen in Bodamici lacus insula est) ad Prumiensis monasterii gubernacula pervenisse legitur, atque ão 1006 ab Henrico imperatore

monachis Augiensibus datus abbas, quorum cum asperitate morum et pari insolentia sublatos animos asperior et ipse provocat, et majorem in modum exulcerat: biennio post dejectus, Bernoni, Prumiensis item coenobii alumno, jus Augiensis abbatiae concessit, qui egregia virtutis juxta atque scientiae fama quadraginta ipsis annis illud temperavit. Immo vero majorem apud pauperes et xenodochia, quibus impense deservivit, liberalitatis atque humanitatis laudem, quam Augienses promeritus, haud multo post in pace quievit.

17. Uroldus, ex comitum de Dauna prosapia, ão 1017 cum in oppidi speciem Prumiensis familia jam tum coalesceret, collegio canonicorum juxta monasterium suum a fundamentis educto, et S. Henrici imperatoris ope, necessariis locupletato vectigalibus, memoriam nominis sui cum laude sempiterna posteris reliquit. Sepultus in eadem ecclesia, quam Salvatori ac Mariae, Dei genitrici, posuerat, ad cornu dextrum altaris S. Quirini, ão 1018, cum hac epigraphe:

Subjecto tumulo templi hujus structor Uroldus
Post habita cura funeris est positus.
Duna progenitus, Prumensi mensibus octo
Et centum ecclesiae praefuit abba pater.

18. Hildradus, ex familia comitum de Burgundia, S. Henrico et Cunigundi impp. charus, Poppone sedente floruit, et Mediolacensis quoque coenobii res gubernavit, fato functus ão 1026.

19. Rupertus de Are, stirpe nobili, magni nominis a religione et industria praesul, monasterium vetustate collapsum instauravit, amplificavitque, et postquam annis 42 utilissime praefuisset, fatis ão 1068 concessit.

20. Niso, comes Juliacus, religione et zelo spectatus. Is confoederatus San-Maximinianis, memoriam istic inter defunctos XIX. calend. augusti obtinuit; digni, qui memorentur ejus titulo inscripti versiculi:

Attrahe, pelle, fove, quis sis non immemor ipse
Sic prodesse tibi poterit, quod diceris esse.

Decessit ão 1077.

21. Wolffradus (Wolfranus) de Bettinga, eruditionis juxta ac probitatis laudatae, moritur ão 1103. Sub quo anno Domini 1095 crypta basilicae Prumiensis instaurata fuit. Epigraphe dedicationis extat ista: *Annō ab incarnatione Domini 1098 indict. VI. concurrente IV. epactā XV. calend. octobris rogatu imperatoris Henrici IV. et permissu domini Engelberti Trev. archiepiscopi consecrata est haec crypta a venerabili Wicelino Witernensi episcopo in honorem Sanctae et individuae Trinitatis et S. Crucis et S. Dei Genitricis Mariae, et S. Michaelis archangeli, et S. Andreae apostoli, et Sanctorum XXIV. seniorum.*

22. Poppo de Bellomonte, qui et Stabulensi monasterio praefuisse scribitur, mortuus 1119.

23. Lantfridus (Lutfridus) de Hassia, vixit sub Lothario imperatore ão 1131, quo et tabulis a Lothario Treviri datis subscripsisse eum invenimus.

24. Albero (Adelbero) vero successor, Basileensis episcopus fuisse proditur, veteribusque monumentis rector appellatur Prumiensis ecclesiae: nullibi vero, in variis licet diplomatibus reperitur archiepiscopum ecclesiae Trev. fuisse, et utriusque loci dignitatem adiisse. Sed et Albero Trevirorum post annum 1150, quando Prumiensem abbatem obiisse Bucellinus statuit, biennio adhuc superfuit. Nos tamen annos solum quinque praefuisse, adeoque ão 1136 mortuum reperimus, ut alia argumenta dissimulem, quae Trevirorum archiepiscopum ab eo distinguunt.

25. Godefridus a Hochstaden, vita atque eruditione spectabilis, de quo in catalogo abbatum Epternacensis monasterii, cujus ille praecipuum honorem habuit. Carnem exuitur 1155, a Prumiensibus tamen monachis ante vitae finem repudiatus. Sub hoc Potho (Poppo forte; conf. Baron. t. 12. annal.), Prumiensis presbyter et monachus, circa annum Domini 1152 ingenio, scriptisque libris claruisse traditur.

26. Rotherus (Retterus) de Malberg, sub Hillino archiepiscopo 1157 vixit, subscripsitque diplomati Friderici imp.

pro archiepiscopo Trevirensi adversus S. Maximinum. Errant itaque, qui primum ão 1162 admotum clavo tradunt. Sub hoc Berno, doctissimus, floruit, postea Augiae divitis abbas.

27. Robertus, ex illustrissima comitum Clivensium stirpe, virtute non minus illustris, quam genere, ão 1174 fatis concessit.

28. Georgius (Gregorius) de Geldria, cui rhytmicum hoc dant praeconium:

Moribus iste gravis rector, pius, atque suavis.

Valedixisse mortalibus scribitur ão 1184.

29. Gerardus, Viennensis, in ditione Luxenburgica, comes, innocentiae praeclaro testimonio a majoribus celebratus, ita ut hujus ecclesiae privatus usus, V. non. octobris in Sanctis eum reponat, et Tritthemius quidem, lib. 3. illustr. viror. cap. 27°, virum Deo omni modo deditum, et monasticae disciplinae praecipuum cultorem, quin virtutum multarum quoque perfectorem eximium praedicat. Ipse vero S. Prumiensis ecclesiae humilem se ministrum eo in diplomate vocat, quo Sophiae, praecellenti item religione et consanguineae virgini in inferiore Prumia facultatem erigendi parthenonis, copiamque tribuit, tam suis, quam Adelheidis, germanae sororis, quae comes dicitur a Molbach, additis vectigalibus ão 1190, transtulitque eodem ad religionem loci augendam corpora SS. Gordiani et Epimachi. Ipse cum fama sanctitatis quievit ão 1212. Sub eo monachos titulis gaudere observo decani, cantoris, custodis ecclesiae S. Salvatoris. Ipsum vero teste Caesario Prumiensi munificum in devinciendis sibi potentum clientelis. Ait enim, Gerardum p. m. temporibus Henrici imperatoris, et Adolphi Coloniensis archiepiscopi, allodium ac munitionem, nomine Kentam, super fluvium Arlafae, magno coëmptam pretio, Henrico comiti Seynae, dilecto ac fideli, ad incrementum feudi concessisse, et allodium Ambelae, aere non exiguo quaesitum, illustri viro Henrico duci de Limburg, feudi loco item tradidisse.

30. Caesarius de Mylendunck, quadriennio in abbatis functione expleto, ad perfectionem monasticae dignitatem et quasi fastigium disciplinae severioris aspirans, ordinem cistertiensem ex benedictinis reformatum amplexus, monasterium S. Petri Heisterbachium, quod in Coloniensi ditione, proxime a Rheno, supra Bonnam situm, iniit, ibique Caesario monacho, cujus extant illustrium ordinis S. Bernardi miraculorum libri, perfamiliaris vixit. Nam celebrat eum is scriptor non uno in loco, atque etiam Romae, Innocentio sedente, eum egisse memorat, quodque ad Prumiae pertinet magnificentiam, adhuc abbatis munus gerenti, viros nobiles a poculo et a dapibus ei fuisse, literis prodidit. Nam Henricum Falckensteinium Caesarii pincernam narrat, cum daemones, malosque spiritus existere vix crederet, denique nefariis necromantiae ministeriis usum, ingenti cum horrore, juxta atque discrimine, terribilem oculis adspexisse cacodaemonis speciem, quam furialis artifex clericus excitarat. Errant itaque, qui cum Heisterbacensi Caesario eundem confundunt.

31. Cuno de Arc in munere abbatiali successor, obiisse scribitur ão 1220, cujus ut pii, doctique praesulis spem et praeclare meditata mors abrupit.

32. Fridericus de Petra, nobilitate ac virtute laudatus, vixit sub Theodorico archiepiscopo ão 1223, eique Caesarius librum inscripsit de possessionibus veteris Prumiae, quem anno restitutae gratiae 893, quo clades a Nortmannis accepta, collectum, indeque temporum usu et longa die obscuratum Caesarius coenobio, cui abbas praefuerat, gratificans recognovit, et cistertiensis jam tum monachus glossis et annotationibus ão 1222 illustravit. Caeterum Fridericus strenuus disciplinae monasticae promotor, et provinciae sibi commissae, temporibus licet difficillimis praeclarus defensor: unde et anno secundo administrationis Prumiensis ob praeclaras animi, virtutumque dotes ad regimen ecclesiae Stabulensis assumptus est, quo in munere utrobique insigni prudentiae atque humanitatis laude versatus est ac pium legislatoris nostri consilium sedulo prosecutus, quo infirmorum pauperum, ac peregrinorum hospitali-

tatem ac curam suasit. Quocirca a Gregorio IX. pontifice, qui id temporis Romanae ecclesiae cathedram possidebat, impetrato consensu, decimas ac reditus Wasweilerianae parochiae sublevandae pauperum inopiae seponebat, nihil omittere solitus, quo illorum calamitatem, miseriamque solaretur. Quibus in officiis occupatum mors aõ 1245 eo transtulit, quo viri misericordiarum a Deo destinantur.

33. Goffridus de Novo Castro, sive, ut alii, comes a Blankenheim, de quo breve, sed ingens elogium relictum: *vir religiosae et sanctae vitae.* Obiit 1274, postquam geminas parochiales fundasset ecclesias, unam in Ahrweiler, quae hodiedum a Prumiensibus administratur, et alteram in Arnheim, quam haeresis intervertit.

34. Walterus quoque a Blankenheim, quem in Boëmundi I. archiepiscopi monumentis cum Henrico Schönecko litigantem anno Christi 1290 auctore Boëmundo pacem amplexum lego; hinc aõ 1298 celebre scabinorum et nobilium clientum obiit judicium, quo lité ambigua inter ipsum et Henricum Schönecki dominum, monasterii advocatum, majorum jurisdictionem praeclare vindicavit. Eum vero Blankenheimiae stirpis fuisse, colligimus ex actis Leodiensium episcoporum, ubi traditur: sede vacante, cum Arnoldus de Blankenheim, vir nobilis, praepositus ecclesiae Leodiensis, mamburnus ibi, sive defensor, creatus esset, renitente nobilitate ac fratre suo abbate Prumiensi contra aemulos consilium sensisse aõ 1312. Ante hoc igitur tempus vita ac munere suo defungi non potuit.

35. Henricus de Schöneck, ex antiqua Hurtenorum stirpe, frater Danielis, episcopi Metensis, sub Balduini pontificatu vixit aõ 1322; longaevos annos complures extraxisse in hoc munere notatus est, ac demum fato functus 1342. Sub hoc minime invito, 1332 Balduinus, quod a majoribus annotatum diligenter, reformavit abbatiam et conventum Prumiensem, etiam monialium Prumiae inferioris, coepitque postridie ascensionis processio saltantium, hodiedum magna populi devotione frequentata, qua neglecta pecudes et infantes in cunis usque ad mortem saltare visi.

36. Dietherus, ex familia comitum de Katzenellenbogen, hujus monasterii clientum, successit. Is rem hic familiarem multiplici clade bellorum attritam et lapsantem cernens, cum extrema jam omnia et ipsi coenobitae metuerent, et potentis alicujus opem ad conservandum monasterium requirerent ultro volentes, nec ullius permoti precibus, abbatiam, jura, clientes, castra, munitiones, rerumque summam omnium Balduino atque successoribus permisere, quo ipsi tandem a bellicis infestationibus longe remoti, tranquillius in otio cultui divino vacare possent. Qua de re literae supersunt a Diethero et congregatione 14. junii 1347 datae, quarum et Bonifacius pontifex in suo rescripto meminit, attestans Caroli IV. regis approbatione id factum, atque consensu. Excessit vita aõ 1350, mense octobri.

37. Joannes I. de Merle, Zandtiorum ex gente. Huic lis cum domino terrae Juliacensis fuit, quam Innocentius VI. auctoritate sua diremisse traditur. Mortalitatem exutus 26. novembris 1354.

38. Theodoricus de Kerpena, ex monasterio S. Pantaleonis Colonia postulatus. Hujus magistratu fortunarum et veteris dignitatis magna jam ante inclinatione facta anno Domini 1358 permissu Boëmundi archiepiscopi, primariique collegii Trevirensis, annona abbatis seorsim praeberi coepit, ne communi militarium onerum, luxus et hospitalitatis, tum clientum comparandorum gravamine monasterii facultates pariter omnes demersae perirent, ac diffluerent. Caeterum in magna lavernionum et direptionum licentia, cum hostes ecclesiae Trevericae plerumque per Prumiae latus apertum in Trevirensem archiepiscopum impetum facerent, et vectigalia utrobique accisum irent, tandem Caroli IV. imperatoris pleniore nutu literis aõ 1376 ultima maji, Bacharaci datis, abbatia ab imperatoris potestate soluta, mensae episcopali et corpori dioecesis adjuncta, quam quidem unionem Bonifacius IX. anno pontificatus VIII. cum onere tutelae et utriusque status conservatione Cunoni archiepiscopo, ejusque successoribus volens libens confirmavit; quanquam enim Bucelinus notaverit, Boni-

facium re melius perspecta, decretum rescidisse, constat tamen, archiepiscopos deinde jus sibi vendicasse, contranitentibus semper Prumiensibus, suoque ex corpore praesulem eligentibus, dum Jacobus ab Eltz denique archiepiscopus, abbate submoto, jus regendi sub administratoris titulo occupavit. Extant tabulae litis, hoc tempore, āō 1416 ab ipsis confectae coenobitis; quibus cumulate testantur ipsi, abbatiam olim ob justas, sanctas, et rationi consentaneas causas in corpus translatam dioecesis. Subscripsere Guilhelmus Merrebach, praepositus, Adolphus Garslau, custos, Henricus ab Hirsdorff, cellarius, Fridericus de Wilre, pastor in Arenheim, vacante sede apostolica et decanatu Prumiensi, indictione IX. Confluentiae. Caeterum Theodoricus, postquam juxta domesticas tabulas annis quadraginta tribus (licet alii dissentiant) praefuisset, vita abiit āō 1397.

39. Fridericus II. de Sleida, qui āō 1423 superstes adhuc fuit, ante B. Catharinae martyris aram tumulatus est āō 1427, quem a Bonifacio pontifice adhuc ferunt confirmatum, frustra obnitente archiepiscopo.

40. Henricus II. ab Ahre Hirstorffius, mortalitatem explevit āō 1433; a Martino V. confirmatus.

41. Joannes II. de Esche. Venit appellationis scheda in manus nostras, qua contra novas indictiones Jacobi a Sirk, archiepiscopi, causam egit suam Prumiensis congregatio apud Guilhelmum de S. Theodorico, Tullensem episcopum, qui tunc curiae Trevirensi judex praesidebat. Scripta ea fuit āō 1454 indict. II. Nicolai papae V. anno VIII., et specimen nobis exhibet nobilium monachorum, qui Prumiam tunc incoluerunt: Joannes de Esch, Dei patientia abbas, Adolphus, decanus, Nicolaus de Montreal, praepositus, Theodoricus de Wilre, cellarius, Conradus, cantor, Joannes de Heyren, infirmarius, Henricus, camerarius, Reinerus de Hoffelys, Fridericus de Wiltz, conventum repraesentantes monasterii S. Salvatoris Prumiensis. Verum Joannes āō 1472 amore erga creditum sibi gregem singulari praestito commendatus, post lapsantem ibidem disciplinam per se aliosque sui ordinis viros instauratam, et

privilegiis monasterii a Friderico imperatore novo diplomate firmatis, abiit e vita. Hic ultimus suae stirpis fuisse fertur, a quo haereditas devoluta ad Trevericum archiepiscopatum est.

42. Robertus, ex familia comitum Virnenburgensium, Sixti IV. auctoritate sibi dignitatem stabiliendam curavit, qui et apud Fridericum imperatorem ei gratiae locum quaesivit. Hinc quo se validius adversum ecclesiam Trevirensem communiret, obliquum foedus, et Schöneckianae advocationis titulo velatum, cum Carolo, Burgundiae duce, iniit. Mox laudabiliter ecclesiae suae consulens, nonnulla pignori apposita praedia redemit, et basilicae instrumentum magni pretii veste, cultuque decoravit, quadraginta uno amplius annis honorem gessit. Ipse anno Domini 1511 coortus in arma adversus Richardum Trevirensem archiepiscopum admoto metu, cum veterum instrumenta Stabuletum transferri jubet, oppido S. Viti, quo transitus erat, forte oborto incendio, panchartae veteres et diplomata irrecuperabili posteritatis damno conflagrarunt. Nec diu Robertus superstes, Joannis Flammingi epitaphio cohonestatus est:

Ter centum lustris a partu Virginis almae,
    Si duo lustra simul conjungis (1) cum tribus annis
Annua cum Titan scandebat cornua tauri,
    Octavam revehens lucem, quae mensis (2) aprilis
Transiit ex vivis quando clarissimus abbas,
    Qui fuit illustri Virnburg ex stirpe Robertus
Spiritus æthcrio cujus nunc vivat Olympo.

Anno 1513 Christi nascentis, die 8. aprilis.

43. Georgius Humburgius, juris candidatus, infulas hinc expetiit; electus in schismate, aliorum votis in Guilielmum a Manderscheidt inclinatis. Cui denique studio pacis, et periculorum ex hoc dissidio imminentium, devitandorum gratia, jus suum ultro largitus est, quod mors prope diem sex hebdomadibus (alii 6 menses ponunt) evolutis ereptura erat.

---

(1) Conjunxeris.
(2) Mensisque aprilis.

44. Wilhelmus comes a Manderscheidt, qui Stabulense et Malmundariense amplissimi nominis monasteria, dioecesis Leodiensis, obtinuit, ubi in amoena convalle ad Amblaviam rivum, S. olim Remaclus religionis officinam posuit, stabula alta ferarum Dei famulorum egregio coetu commutans. Hic Wilhelmus sapientiae, virtutis, aliisque animi et ingenii dotibus excelluit. Prudentia civili in senatu imperii Maximiliano et Carolo, nepoti, operam suam probavit. In monasteria sibi subjecta, Bursfeldensis disciplinae leges intulit, cultui religionis majorum ita addictus, ut natalitio Christi triplicem liturgiam sedulo perageret ipse, et in galli cantu Stabuleti, in aurora Malmundarii, luce sacrae diei Prumiae altaribus adsisteret. Apud Stabuletum plurimum sedem fixit, et arcem contra montem e regione monasterii condidit, in qua archivum, codices scriptos, et meliorem ecclesiae supellectilem adversus bellorum injurias tutius asservaret. Caroli V. caesaris, cui a consiliis fuit, electioni cum aliis imperii proceribus interfuit, ejusque illa solennis rogatio ad proceres extitit: Vellentne dicto esse audientes electo caesari? Vixit usque ad annum Christi 1546, quando obiit calendis julii; sepulchrum cum epigraphe nactus in medio templo Stabulensis monasterii. Ab ejus morte postulatus abbas ex eadem stirpe, 28. julii,

45. Christophorus Manderscheidtius, Guilhelmi ex fratre nepos, cui et cum Malmundario Stabuletum obtigit. Autoratus ipse anno Domini 1548 a Paulo III. structuris basilicae et monasterii manum admovit, piae mentis variis indiciis, recusato quoque Leodiensi episcopatu, monasticae apud suos disciplinae promotor egregius, orator excellens, ita ut in comitiis imperii, oratore suo attonito, et haerente, ipse extemporali eloquentia in admirationem, amoremque sui traxerit cum caesare imperii principes. Triginta circiter annis regimen tenuit. At vero semel jam in praeceps data monasterii prisca fortuna, et per injuriam temporis, aerisque contracti magnitudinem expositis ad praedam, et insidiantium cupiditatem, tum loci facultatibus, tum avitis majorum sacris, Jacobus archiepiscopus cum veteri fretus jure suo, quo superiore aetate, regum bona

pace, fuerant usi Balduinus, Cuno, Wernerus decessores, tum praesenti periculo, ecclesiaeque suae commodo admonitus, sapienter fecit, ut tempestive, quod Ferdinandus caesar Francofurtensibus comitiis ão 1558 decreverat, principumque consensu approbarat, id Maximilianus ante Christophori decessum ratum haberet, et monasterium cum omni regalium jure ecclesiae Trevirensi, mensaeque episcopali adjiceret, id quod Maximilianus cum annuisset, si rite, atque ordine pontifex suam auctoritatem prius interposuisset, sane Gregorius XIII. amplissimum diploma Jacobo ão 1574, pontificatus sui anno III. misit, quo graviter causis voluntatis suae expositis, datisque de rebus monasterii recte constituendis praeceptis, simul ac vacaret, ei atque plenam concedit regiminis et administrationis adeundae facultatem. Quo quidem unionis, ut appellant, et incorporationis beneficio in urbe impetrato, Maximilianus caesar literis Viennae 28. novembris 1575 datis, et suam in hanc rem voluntatem contulit, et ão 1576 Christophoro vita functo, Jacobus, priscae nobilitatis ab Eltz, Trev. archiepiscopus, Pruniae fuit administrator primus, de quo poëta Trevericus:

Te duce crux agno juncta est, et judice coelo,
Sunt Salvatoris symbola bina Dei.

Insigne Pruniensis ecclesiae candidus agnellus, purpureum labarum gestans pedibus; at metropolis Trevirensis aenigma, crux rubens in area candida.

Caeterum abbatiae res superiorum annorum injuriis afflictas, impigre Jacobus suscepit, oeconomia, et disciplina per idoneos homines in meliorem statum erecta. Qua in re Petrus Binsfeldius, theologus, collegii Germanici Romae nuper alumnus, Jodocus Vosingerus, Trevir, Romanus item theologus, et postea S. Wendalini plebanus, Bertrandus Regius, societatis Jesu sacerdos, aliique probatae virtutis et doctrinae viri haud segnem operam posuerunt. Porro ad liberandum alieno aere monasterium Hassiae principibus dominium S. Goaris vendidit. Sed et

Joannes, ex familia Schönbergiorum, archiepiscopus, Jacobi successor, pro studio, quo divini cultus amplificationem semper prosecutus est, fabrica, ornatuque vario sacrorum Prumiam excolere aggressus, dormitorium, ut vocant, aliasque operariorum officinas, in ruinam inclinatas, novo opere instauravit. Basilicam Salvatoris, ejusque sacrarium, variis ornamentis e squallore pristino erexit, reditusque oppignoratos redemit, hoc gratior, quod ut verus religiosorum pater, eorum consortio delectatus, omni illos humanitatis officio prosequebatur, donec calendis maji anno 1599 mortalia reliquit.

Lotharius archiepiscopus, ex familia Metternichiorum, administrator III. Prumiensis, primam religiosae, ut par erat, disciplinae, qua reparandae per se, delectosque ad hoc pietatis officium viros, qua in pristino vigore conservandae curam suscepit. Nec temporali necessitati suorum deesse visus, penuria laborantibus paterne succurrit. Porro cum propter haeresum, per Belgium, vicinasque ditiones incrementa, pleraeque illarum ditionum possessiones coenobitis debitae, in discrimen praesens venirent, auctor earum Ernesto Casimiro Nassoviae comiti per Geldriam Zutphaniamque dividendi fuit, quo pecuniis in censum locatis tutius fruerentur. Ita alienatis hinc inde possessionibus, uti et dominio S. Goaris sub Jacobo ad Hassiae principes traducto; Prumienses abiere; unde res illorum angustior, haeresi passim invalescente, reddita. Interea Lotharius ão 1623 septembri mense, VII. nonarum, in vivis esse desiit, sui apud bonos omnes relicto desiderio.

Philippus Christophorus a Soeteren, haud multo post VII. ante calend. octobris successit, qui varia bellorum ac controversiarum sorte jactatus, quam se profitebatur, adferre auxiliorum voluntatem, hanc nisi in muro per ambitum monasterii instaurando, praestare non est visus, donec ereptus mortalibus ão 1652 calend. januarii, vivere ac jactari desiit.

Carolus Casparus a Petra, ut in archiepiscopatu jam ante delectus adjutor, ita in administratoris quoque Prumiensis officio, felicioris pacis auspiciis, successit, qui intermissum studiorum usum non sine disciplinae instauratae fructu in

monasterium anno salutis 1661 reduxit, aedificiumque hinc inde labascens, novo, magnificoque opere per geminum majoris ambitus latus assurgente, non reparavit tantum, verum etiam magnopere amplificavit; cui nuper, aõ 1676, successit,

Joannes Hugo ab Orsbeck, quem Deus ad illustriora etiam beneficia incolumem diuturna prosperitate, ac vita potitum servare dignetur.

Porro in administratorum absentia prior loci totius qua spiritualis, qua temporalis administrationis curam sustinet, ut insigni hodiedum industria vir eruditionis solertiaeque minime vulgaris, ab Ubiis huc translatus praestat, Cosmas Dilckrathius, quem diu coelites sospitem conservent.

Indulgentiae et reliquiae ecclesiae Prumiensis:

Par jam est, ut sua Prumiae antiqui cultus, et religionis insignia quaedam reddamus, quae nisi in literis vivant, saepe excidunt animis, et tempore fatiscunt. Liberalis hic olim ut a tot episcopis profecta, quot cum Leone dedicationi interfuere, noxarum expiatio, solutio nexuum, sed liberalior etiam extitit piorum operum et asceticae vitae fructus, quaeque orando, vigilando, seque afflictando praevenit, laborum ac proemiorum communicatio, quam cum indulgentiis haec familia offerre consuevit digne S. Salvatoris basilicam adeuntibus. Excitamenta a tot Sanctorum pignoribus, quorum gloria et sanctitate templum coruscabat, varia, et singulari pietate illapsa quoque visentium animis, cum palam ostenderentur, pretiosis et metallis, et gemmatis vasis, thecisque inclusa, sandalia Domini Salvatoris nostri, a Zacharia pontifice Pipino quondam regi oblata; S. Jacobi majoris brachium; scapula S. Bartholomaei apostoli; maxilla S. Thomae; caput S. Cosmae martyris et medici, aliaque id genus innumera, quae integris tamen beatorum corporibus dignitate postferri possunt, de quibus hic index legitur:

SS. martyrum Marii, Marthae, Audifacis et Abachum corpora, quorum festum agitur 19. januarii in hoc monasterio

Prumiensi, introitu cryptae a sinistris recondita, venerationi sunt. S. Lupiani confessoris corpus post altare summum quiescit, et colitur calend. julii. SS. Primi et Feliciani, martyrum, corpora inter principem aram recumbunt, unum a dextris, alterum a sinistris, quorum festum V. idus junii ab ecclesia celebratur. S. Pontiani, martyris, corpus apud altare S. Petri ad ingressum ambitus quiescit, cujus passionis nobilis triumphus ab ecclesia VIII. calend. septembris recolitur. Epigraphe sepulchri: *In hac tumba continetur corpus S. Pontiani martyris, qui sub Commodo imperatore occisus est.* S. Eusebii martyris corpus, qui cum Pontiano, Vincentio, et Peregrino Romae passus, jam olim Arnhemium Carolo (1) ultimo duce Gelriae petente, translatum, et in medio amplissimi templi gremio honorifice argentea tumba asservatum, donec fanaticus ille et feralis Belgicae furor Calvini poculo venenatus, Sanctum hunc memoria nostra migrare sedibus suis et latebras quaerere compulit. Vestigia monumenti, in quo Prumiae quievit, adhuc cernuntur ad ingressum peristyli SS. Chrisanthi et Dariae (martyrol. Rom. 25. octobris), ac SS. Gordiani et Epimachi (10. maji) martyrum corpora, quae Prumiensem quoque basilicam, ceu coelum sydera, quondam illustrarunt, quo locorum exporta sint, tempestive meminimus; illa enim Monasterio Eifliae, haec collegiatae ecclesiae Prumiensi concessa sunt.

Loca varia a Prumiensibus olim fundata, et illustrium virorum ab illorum disciplina profectorum, eisque deservientium memoria.

Industriam quoque suam hujus congregationis alumni foras protulerunt, locorum propagatione, et personarum. Laudatus saepe nobis Caesarius enumerat tres cellas, in quibus extra Prumiam vixerunt plures una congregati monachi. Prima sita fuit in Wormatiensi dioecesi apud Altripam, juxta fluvium

(1) Referunt alii ad Arnoldum avum.

Rhenum, prope Neckarau, ubi ecclesia visebatur S. Medardo dedicata; altera Agrippinensi dioecesi, non longe a Reinbachio, apud curiam et villam Kesslingen, oratorio S. Petri conspicua et celebris; tertia apud Rivinium, super Mosam fluvium, in finibus Arduennae, ubi prioratus extitit Prumiensium monachorum, et ecclesia honori S. Mariae Virginis sacra, in qua die noctuque gloriosae matri servitium, cultumque pie persolvebant. Sed cum Arnhemio, aliisque a nobis supra memoratis locis aut temporum, aut haeresum injuria intercidere.

Illustrium virorum extra ordinem, qui nunc obveniunt laudandi, vel primus habeatur S. Hunfridus, ex Prumiensi monacho supra memoratus abbas S. Martini, inde Morinensis, seu Taruannae episcopus. Singularis illum exempli et virtutis fama obiisse scribunt ão 869 octavo idus martii. Sede sua a Nortmannis pulsus, Nicolai I. responsum meruit, publico juris canonici cap. *sciscitaris causa VII. q. 1.* inclusum. Quiescit jam Ypris, in Flandria. B. Beringerius, solitarius et inclusus, cujus depositio ad IV. calend. octobris recolitur. Martyribus quoque annumerarunt majores, qui ex hac congregatione monachi, sacerdotes, aut familiares caede Nortmannorum ad VIII. iduum januarii oppressi, et crudeliter necati sunt. Dedit et Corbeyae abbatem Walramum; S. Huberti Andagio Wilhelmum, moribus, et eruditione praestantes; S. Nicolao Bruwilerii Arnoldum.

Advocatum olim adlegit ex vicino castro, Hurtena gente, Schönecki dominum, quem muneris dignitate insolescentem, Walterus abbas, ut memoratum, anno Domini 1298 publico nobilium scabinorum judicio juris certi limitibus, et a majoribus usurpati inclusum egregie refraenavit. Caeterum hanc dignitatem cum intermortuae stirpis jure tandem ad ecclesiam Trevirensem derivatam constat. Ministeriales abbatis olim fuere summus praetor, oppidi Kronenburgi dominus, Werneri de Bolandia, magni nominis in imperio viri, et Philippi, fratris, haeredes, castri Hoviletz seu Hoffalizii habitatores, Dunae et Schönebergi domini.

CAPUT VII.

Abbatia et monasterium Lacense.

Lacense hoc monasterium sub D. Benedicti disciplina institutum est, atque a lacu intermontano, cui vicinum est, nomen mutuatur. In finibus illud archidioecesis Trevericae, septentrionem atque occidentem inter haud procul ab Antonnacensi castello, in veteris Ripuariae pago, situm est, coeptaeque fundationis Henricum, palatinum comitem Lothariensem, una cum Adelheide conjuge, sub annum Domini 1093 autores habet; executorem vero, consummatoremque Siffridum comitem, privignum Henrici, ut suis locis annales nostri meminere. Literas Henrici Aubertus Myraeus, in notitia ecclesiarum Belgii, cap. 114, produxit, quas paulum tamen diversas reperimus, sic enim habent:

»In nomine sancte et individue Trinitatis. ego Heinricus »Dei gratia comes palatinus Rheni. et dominus de Lacu. ad »muniendam quietem humilium spiritu. notum facimus cunctis »Christi nostrique fidelibus. tam futuris. quam presentibus. »quod cum absque liberis essem. annuente et cooperante uxore »mea Adleide. pro remedio anime mee et eterne uite conse»cutione. in patrimonio meo scilicet Lache. in honore beate »Dei genitricis Marie sanctique Nykolai. monasterium regule »monastice cultoribus incolendum fundaui. propriisque bonis »dotaui. sub presentia et cognitione domni Heilberti uenera»bilis Treuirorum archiepiscopi. Aduocatum uero non alium »quam meipsum quamdiu uixero huic cenobio constituo. Post »mortem uero meam. quem fratres prefati monasterii. siue ex »prouignis meis. siue in provintia uiribus et benignitate. sed et »subueniendi oportunitate magis idoneum providerint; ejusdem »monasterii familiis et possessionibus preficiatur aduocatus &c. »Acta sunt hec anno MXCIII. regnante serenissimo imperatore »Heinrico III. anno regni ejus XXXVIIII. pontificatus uero

»domni Heilberti Trevirorum archiepiscopi XIV. Hujus constitutionis testes sunt. domnus meus Heilbertus Trevirorum archiepiscopus. Sygefridus priuignus meus. Heinricus dux de Lemburg. Wilhelmus comes de Lutzellenburg. cognati mei. Walrammus et frater ejus Volko comites de Arlo. Dudo comes de Lurenburch. Herimannus comes de Virneburch. Meffridus comes de Wiede. et frater ejus Richwinus de Kempenich. Burchardus de Vlbrucke. et frater ejus Henricus. Renboldus de Isenburch. Volkoldus de Brule.«

Sed cum Henricus jactis pro ecclesia fundamentis morte coeptum opus abrumpente, Sifrido privigno cum haereditate ultimae suae voluntatis executionem reliquisset; hic bonorum, quam ecclesiae amantior, varia cunctatione incoeptum distulit, donec per calamitates diversas ancipiti fortuna et Henrici imperatoris odio jactatus, cum e vinculis ad libertatem, et gratiam imperatoris aspiraret, parentis exequi propositum statuit: ratus hac neglecti numinis e coelo sumi vindicias. Nec multo post e carceribus liber, paternae etiam munificentiae adjecit, ut ex literis ejusdem, collatisque possessionibus agnoscimus. Non multa hoc loco non pigebit adjicere: »Ego,« inquit, »Sifridus gratia Dei comes palatinus notum esse uolo fidelibus, qualiter et a quibus ecclesia que uocatur Lacus constituta sit, et libertati tradita. Predecessor et dominus meus Heinricus comes palatinus exhortante uxore sua Athelheide uidelicet matre mea predictam ecclesiam edificare cupiens, fundamentum ejus tantummodo posuit, et jam morte imminente sicut bonorum suorum, ita hujus quoque laboris, ecclesie scilicet perficiende heredem me instituit. Quod primum quidem utpote juuenis negglexi, postmodum uero penitentia ductus, quod negglexeram, deuotissime corrigere studui &c.« Repetit deinde voluntatem sui vitrici ac de propria etiam liberalitate adjicit, nec promissis largior quam factis extitit: siquidem egregio totum monasterium perfecit opere, prout in annalibus descriptum ad annum 1112 reperies. Henrici fundatoris monumento haec in veteri tabula epigraphe appensa legitur, posteris tamen temporibus exarata:

O bone mi Jesu qui gaudens pauperis esu
Pasceris et tegeris, in paupere tuque foveris.
Respicito pia vota pater, tu viscera larga
Comitis Henrici miseris sua dona ferentis,
Qui patrium fundum mendicis fecit asylum:
Huic munus vitae resoluta carne repende,
Cumque cinis surget, duplici diademate regnet.
Hic tibi Christe pater, frater fuit, hic tibi mater,
Sis pater ergo patri, mater versa vice matri
Collige collectus, rege rectus, pasce refectus.
Quas sacras aedes pietas construxit majorum,
Has nunc haeredes devastant more luporum.

Ex ultimis his versibus non obscure liquet, hoc epitaphium Henrico illo tempore a posteris conditum, quando nonnulla imperatorum arma in schismate huic monasterio infestius incubuere, qui a majoribus asserta, defensaque sacra loca vastarunt, cum suae dignitati adversantes prosequerentur. Aliud a Theodorico abbate epitaphium ad finem saec. 13 conditum, Sifridi donationem simul his versibus complectitur:

Approbo majorum Sifridus facta meorum
Dona Brabantina haec tribuens tibi virgo patrona
Meilmanni e gente tribuo Gertrude favente
Ut nobis miseris pia virgo semper adesses.
Da coeli sedem Deus hanc fundantibus aedem.
Advocat hic nemo, datur omnis victus egeno,
Et nudo vestes fiunt, solatia moestis.

Dedicatio hujus basilicae sat diu prorogata, ab Hillino Trevirorum archiepiscopo instituta est, qui ão 1156 ecclesiam ejus loci in honorem B. Mariae Virginis, quam Henricus, Sifridusque fundatores inprimis statuerant, tum denique in B. Nicolai episcopi memoriam consecravit. Monastica hujus asceterii disciplina ex Affligemiensi, florentissimo tum Belgicae, in Brabantia, monasterio petita fuit. Cujus incunabula, cum ad annum Christi 1073 referantur, inde rectores etiam Lacensibus submissi perhibentur. Ex quibus tamen primipilares fere majorum incuria, aut certe injuria temporum intercidere. Qui porro literis veterum consignatus ab ão Christi 1138 abbas nobis innotuit; is est, a quo exordimur.

1. Giselbertus itaque primus hujus monasterii dignitatem abbatialem adiisse anno salutis 1138 legitur, sub Innocentio II. pontifice, Romano imperatore Lothario II. Adelberone Trevir. et Arnoldo Coloniensium archiepiscopo; qui initio sui regiminis ad formandum, roborandumque hujus monasterii statum, animum adjiciens, operam dedit, ut ab Innocentio II. fundatorum privilegia sanctiore jure confirmarentur. Apostolicum diploma impetravit, quo non solum facta fundatio monasterii Lacensis laudatur, et approbatur; verum et oblatae donationes majus robur accipiunt. Coenobium ipsum sub apostolicae sedis protectione suscipitur: ordo monasticus in eodem perpetuo consecratur, abalienationes bonorum ipsius severe interdicuntur; canonica abbatum electio mandatur et praescribitur; sepultura libera conceditur; publicae stationes citra voluntatem abbatis et fratrum prohibentur. In ecclesia Lacensi tempore interdicti officia divina celebrari permittuntur. Advocati potestas justis limitibus circumscribitur, aliaque multa ecclesiasticae dignitatis beneficia conferuntur. Inter haec domi, forisque Giselbertus singulari prudentia, morumque integritate spectatus, ac principibus imprimis viris, praecipueque Eugenio III. pontifici charus ab eo ampla pro libertate, ac eminentia monasterii Lacensis privilegia tulit, quibus superiorum pontificum indulta, caetera monasterii bona ac privilegia confirmantur. Familiarem eundem D. Bernardo, literisque mutuis cognitum fuisse, argumento est epistola in Lacensi bibliotheca reperta, quam sub hujus praefectura scriptam, temporis ratio arguit, cum altero post Giselbertum anno Bernardus vita mortali defunctus, in eandem pene regiminis periodum incidat. Digna vero est, quae lucem videat, quare illam huic loco inserimus: »Venera»bili domino abbati et omnibus fratribus in loco, qui vocatur »Lacus, Deo servientibus, Bernardus, abbas Claraevallis, sa»lutem et orationes. Frater iste venit ad nos consilio vestro, »ut de salute sua nostrum expeteret; cujus causam et ad »quos, et a quibus viris missus esset, cum cognovissem, vitae»que vestrae ordinem, ac mores diligentius perquisivissem, nihil »mihi consultius occurrit, quam ut vobis eum remitterem,

»quorum pietatis viscera ex ipsius verbis non pauca esse »deprehendissem. Suscipite ergo, charissimi, jam tandem vias »suas cogitantem, et in testimonia Domini pedes suos convertentem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei, ut »probetis vos esse consimiles et concives eorum, quibus gau»dium est super uno peccatore poenitentiam agente; credo »enim et confido de misericordia Dei, cui nihil impossibile est, »quod inter vos conversans, et in ordine vestro poenitens, »quantorum libet peccatorum suorum veniam orantibus vobis »pro eo ex affectu pietatis plenissime obtinebit.«

Haec D. Bernardus, more suo ad consolationem apposite. Caeterum Giselberti nomen in synodo Trevirensi, quam Adelbero archiepiscopus ão 1142 Treviris celebravit, expressum est, quo in conventu Wilhelmi palatini defuncti legata distributa sunt, et B. Richardo Springiersbacensi plurimum concessa et commendata. Obiisse Giselbertum tradunt ão 1152, quo Fridericus imperator Bedendorffium praedium restituit, quod Henricus Mollesbergius invaserat, literis, Coloniae datis XII. calend. maji. Giselberti vero, primi abbatis sepulchrum crypto porticu abstrusum, injuria temporum oblitescit, epitaphii superstes haec est memoria:

Praeclarus genere, meritis praeclarior abbas
Gilbertus jacet hic, virtutis regula cunctis,
Abbatis titulo, monachi vel nomine functus.
Idibus octonis quando est leo regia solis
Decessit vita, requiescat pace beata.

2. Fulbertus, ejus successor, gratam et magnificam suis memoriam reliquit, cum vicinum lacum per mille et quingentos passus facile excurrentem, magna subinde aquarum vi per vicina prata agrosque ad ipsa monasterii penetralia sese effundentem novae inventionis industria, cuniculis per vicinum montem actis exstructosque canales ita partitus est, ut suis nunc ripis coercitus eadem magnitudine perstet, aquis superfluis per meatus subterraneos exoneratis. Toto ille regiminis suo decursu illud spectavit praecipue, ut liberalibus disciplinis et pietatis artibus monasticem ampliaret et secundo religionis

cursu monasterii fortunas quoque prudenter ac provise eveheret. Quod feliciter in utroque genere est assecutus: nam ut ad specimen disciplinae illius tempore accedamus, cum fama religiosae conversationis ejus ac fratrum suorum, quae diu latere non potuit, pietatis, scientiae, et sanctioris vitae laudibus cumulata se longe lateque diffunderet, non pauci hujus saeculi magnae dignitatis, et eruditionis viri ad eum confluebant, ut votis nuncupatis sub Fulberti magisterio divino se cultui consecrarent. Inter quos magnae auctoritatis vir, Gerlacus, ecclesiae Bonnensis decanus, spretis, quae apud mortales prima sunt, libertate et opibus, sese religioni addixit, arctiori regula S. Benedicti in hoc monasterio Lacensi complexus, secum crucem gemmatam, praestans antiquitatis cimelium, aliaque sacra donaria, ecclesiae Lacensis thesauris adscribenda, deferens. Haud dissimili pietatis affectu et liberalitate ecclesiam Lacensem Wilhelmus et Theodoricus ab Hochsteden ornarunt, monasticae vitae quietem turbidis saeculi illecebris in hoc loco anteponentes. Nec alii horum vestigia secuti defuere, qui ut religione, sic opportuna hoc tempore munificentia monasterium Lacense ditarent. Praetereundum vero non est, quod sub eodem Fulberto acre divinarum studium literarum, ardore pietatis accensum, egregie floruerit, cum tam ipsum abbatem, quam fratres numero quindecim ad hoc officium ex quadraginta singulariter electos, non paucos scriptitasse libros deprehendamus. Postquam igitur Fulbertus hisce pietatis operibus monasterium Lacense annis 25 moderatus, disciplinam optimis temperatam legibus stabilivisset, fato cedens ex hac luce abiit ão 1177.

3. Cunradus sub Arnoldo Trevirorum archiepiscopo surrogatur, qui cum virtute propria, tum gratia atque auctoritate Romanorum pontificum, Lacensis asceterii decus atque emolumenta praeclare stabilivit, humanasque post 17 annorum regimen curas deseruit.

4. Mauritius anno salutis 1194. Vir solertis ingenii, exercitataeque virtutis, mature ab hac curarum palaestra ão 1199 ad quietiorem vitam transiit.

5. Albertus in locum subiit, stabiliendis non minus abbatiae rebus, quam ornandae domus Domini studiosus, sub quo ão 1208 Joannes, Trevirorum archiepiscopus, apud Lacenses degens, oratorium S. Joannis dedicavit. Anno vero 1213 Grensavia arx trans Rhenum condi coepit ab Henrico Isenburgi domino, quae cum Lacensis monasterii fundum amplecteretur, Henricus area 200 marcis redempta, praedii in Crufftio pago acquirendi locum dedit, quo loco multis retro annis dominicalis vel salica decimatio monasterio obtigerat, et ab hac arce Isenburgici comites titulum obtinuere. Caeterum Albertus ad basilicae ornamentum insignes crucis dominicae particulas, aliasque Christi et Sanctorum reliquias, auro argentoque, ac gemmis pretiose excultas, religiosis, populoque venerandas exposuit, interque varios ancipitis fortunae casus jactatus, ão 1217 in morte quietem, vitamque reperit.

6. Gregorius non sine experimento probatae virtutis suffectus, improbos multorum adversantium conatus non minus fortiter, quam feliciter repressit, donec post annos praefecturae 19, anno Christi 1235 naturae concessit.

7. Theodoricus, sub cognomine Trevir, archiepiscopo Theodorico auspicatus regimen varia per usurarias exactiones ex mutuato aere perpessus incommoda, taedio curarum temporalium, cum spiritualium flagraret rerum amore, ad quietiorem, humilioremque aspirans vitam, franciscanorum institutum Andernaci ão 1247 complexus est, pedo abbatiali ad alienas manus post annos 12 consignato.

8. Henricus ergo de Virnenburg, illustri stirpe, pro illo abbatem agere coepit, solo genere ac nomine posteritati cognitus, quanquam virtute eadem, qua saeculi fastum deseruit, religiosos hosce fasces promeritum esse, sentiendum videatur.

9. Anselmus autem successor, cum 1248 Henrico defuncto substitutus esset, fluxos se adiisse honores, ão 1252 moriens, expertus est.

10. Waltherus, qui pedum exceperat, cum abdicasset haud multo post, ão 1256, hoc facto testatus istius diverbii

veritatem, quod omnis honor onus sit, a multis excussum rectius, quam susceptum.

11. Theodoricus tamen de Lemene pedum arripuit, quod cum annis 39 gestasset, re familiari, singulari ingenio, industriaque, miris opum incrementis, aucta tanquam abunde suo functus munere, ut sibi, Deoque, quietius viveret, ão 1295 sponte abiit, diemque functus est suum ão 1307. Reliquit post se non pauca sui laboris monumenta: xenodochium in pauperum et peregrinorum solatium, praeclaro, sumptuosoque excitatum opere. Reliquias Sanctorum argenteis thecis condidit, ut et cornu venatorium Henrici palatini, fundatoris, ossibus ejusdem in monumento perquam magnifico, quod hodiedum visitur, conditis; ara quoque ad caput ejusdem excitata, denique florentissimum ecclesiae, monasteriique Lacensis statum, deficiens ipse, successori sibi non impari tuendum, amplificandumque tradidit.

12. Cuno igitur ão 1295 sub Boemundo, Trevirorum archiepiscopo, gubernationem ingressus, omne suum studium ad dignitatem ecclesiae Lacensis exornandam, libertatem stabiliendam, et opes, fortunasque augendas providi ingenii vigilantia intendit, adeo secundo successu, ut amore apud suos, gratia et favore apud exteros longe, lateque frueretur. Qua re factum est, ut divino numinis instinctu non pauci etiam prolixa in Lacensem ecclesiam benevolentia, cum honores, tum commoda amplificarint. Nec defuerunt honestarum artium studia, magnae spei quoque et indolis ingenia, quae beatis sapientiae occupationibus disciplinam monasticam hoc loco praeclare efferrent. Ea enim aetate sub Cunone abbate vixit Wolframus hujus loci professus, doctrinae ubertate florens, qui gesta Theodorici abbatis de Lemene, aliaque documenta, quae lucem videre merentur, posteris consecravit. Sed ut humani casus ferunt, non defuere ad exercitationem patientiae adversa; siquidem hoc abbate Albertus rex, Colonia cum exercitu rediens ão 1302 noctem unam exegit in Lacensi monasterio; et forte suscitato incendio vicinis in contuberniis Crufftiorum ad 75 mortales fumo et flammis enecti, anno mox

1306 Rheinecki castri obsidionem tribus archiepiscopis simul urgentibus, extrema damna subiere Lacenses. Sed Cuno his, ut potuit, damnis instauratis, postquam annis 33 utramque Lacensium sortem egregia virtute, sapientiaque sustentasset, aevi, meritorumque plenus, ão 1328 mortales deseruit.

13. Joannes I. Vinkelinus de Nikenich, qui seu curarum taedio, seu quod rebus afflictis erigendis esset impar, ão 1333 abdicavit.

14. Joannes II. de Colonia, post hunc, sub Balduino Trevirorum archiepiscopo, renunciatus abbas, quem non segniter emolumentis monasterii promovendis intentum, ut residua ejus studii monumenta testantur, mors immatura, post annum regiminis tertium, subduxit.

15. Wigandus I. de Pannaw, omnium post Joannem votis, suffragiisque ex priore ão 1336 delectus abbas. Is nobili procreatus stirpe, nobiliori hanc virtute ornavit; nam antequam ad monasterii clavum manus admoveret, ingentis animi, vitaeque integerrimae haud paula reliquerat documenta, quae ad sanctitatem, amplitudinemque coetus cum observandam, tum augendam cum insigni liberalitatis ac hospitalitatis praecomio egregie per annos 24 tuitus, anno 1360 in Domino quievit.

16. Wilhelmus Bedendorffius, nobili quoque prosapia ortus, secundissimis in defuncti locum suffragiis est delectus, nec dispar viro virtus, animusque, res sacras, profanasque hujus loci tuendi, donec non infelici virtutis, gloriaeque proventu pro monasterii Lacensis salute laborantem, mors intercedens ab hac luce ão 1380 sustulit.

17. Wigandus II. de Pannaw, ut gloriosa de stirpe natus, ita ingenio, excelsaque animi praestans indole, hanc anno eodem sortem adiit, Cunone archiepiscopo res Trevirenses moderante, sed ut honoris, ita mortalitatis particeps, ão 1402 fatis cessit.

18. Wilhelmus II. Leudesdorffius, secundas, adversasque res monasterii aequo animo plurium annorum curriculo expertus, denique ão 1442 in tumulo succubuit.

19. Rudolphus de Lemene, nobili spectatus ortu, 16 non integris annis praefuit, eo quidem eventu, ut collapsae domi

disciplinae vestigia post se reliquerit, ão 1458 humanis exemptus.

20. Joannes III. Reuber, virtute, quam genere melior, cujus opera studioque, adnitente quoque Joanne Trevirorum archiepiscopo, introduci coepti meliores a prisca religione mores, et Bursfeldensis unionis reformatio; sed veteranis jugum, et advenarum, qui accesserant, exempla recusantibus, haud levis suscepta est dimicatio, quae morte Joannis, ão 1469 defuncti, majore mole coorta est, postquam Robertus Virneburgius, Prumiensis praepositus, a refractariis allectus, pertractusque in partes, libertatem reclamantium fovere coepisset. Joannes juravit feria quinta post dominicam Misericordia Domini 1458.

21. Joannes IV. de Dedisheim, monasterii Trevirensis ad Martyres alumnus, pervicit denique potentiorum fretus auxilio. Hic enim, cum bonorum omnium consensu abbas electus esset (juravit 14. martii 1469), Joannis archiepiscopi Trevirorum gravissimis primum animadversionibus; inde Sixti pontificis auctoritate post varia certamina malorum ac dissidentium refraenavit licentiam, improbitatemque coercuit. Unde Colonia octo coenobitae, ex S. Martini monasterio probitatis moribus ad Lacensem disciplinam restituendam ão 1469 a Reubero jam accersiti, a Dedisheimio defensi sunt, et Bursfeldensis instituti nova lux istic loci coepit exsplendescere, et regularis vitae observantia morum cultu et literatorum flore jam exemplum quoque esse caeterorum; ut hinc velut ex quodam disciplinae seminario viri reliquis monasteriis praefuturi peterentur. Ita Gerardus abbas cum septem collegis ad revocandum in Theologiense monasterium veteris sanctitatis institutum hinc evocatus est. Tuitiensi apud Ubios monasterio duo hinc dati praesules, Gerlacus de Breitbach et Henricus de Nussia, prior etiam cum sex viris monasticis erigendae disciplinae eodem transmissus est. Tres quoque Trevirim ad SS. Martyres destinati antistites, Joannes de Coverna, Petrus Carweiler, Lucasque abbas, rara omnes virtute commendati. Schonaviense quoque monasterium Gerardum de Colonia Lacensibus praesulem debet, ut plures in alia monasteria superiores ex hac

morum, virtutumque schola destinatos praeteream. Tanti erat, cultiorem disciplinam in Lacu admissam, promotamque fuisse. Decessit igitur hac gloria post 22 annos regiminis, ão 1491 Dedisheimius, quod primus abbatum reformatae disciplinae hic vixerat.

22. Simon de Petra, ex monasterio Hornbacensi, dioecesis Metensis, postulatus abbas, successit Joanni, juravitque 8. junii 1491. Nobili ille prosapia, patre Georgio de Petra, matre Eva Mauchenheimerina de Zweybrück natus, gratiae juxta, ac naturae donis eximie pollens: siquidem ut Piemontanus, ejus aetatis, locique scriptor, testatur, tanta prudentiae, eloquentiaeque laude pollebat, ut superiorem Bursfeldensis unio id temporis haberet neminem. Studiorum ille curam monasticae pietati sociari amabat, hanc ab illis mutua ope fulciri ratus, et adversus otium promptum esse remedium. Abbatialis per illum excitata domus, et praedia monasterii diversa contra aemulos non defensa modo, sed et aedificiis cohonestata. Basilica monasterii novis operibus et chorus sedilibus illustratus, cumque sapientiae, virtutumque fama clarus, carusque esset omnibus, maleficae cujusdam foeminae incurrit odia, quae, ut virum immortalitate dignum, mortalibus eriperet, acconitum caseo immixtum obtulit, atque in medio aetatis cursu fato omnibus inexspectato, sustulit (8. aprilis 1512). Qui inter majores suos, parentesque, Georgium et Evam, Lacensi in templo tumulatus, hanc in lapide murali, effigiem abbatis praeferente, inscriptionem exhibet:

Anno milleno quingenteno duodeno,
Idus aprilis sexto, vir nobilis hujus
Coenobii pater ac dominus, venerabilis abbas
Simon de Petra vita defunctus obivit.
Cujus anima fruatur aeterna p. P. M. E.

Sub hoc claruit Joannes Piemontanus (Butzbachius), lucubrationibus et sacrarum literarum studiis hic impense deditus prior Lacensis, et hujus symmista, doctrinarum aeque cupidus, Jacobus Syberti. Ambos epistolis suis Joannes Tritthemius hoc nomine celebravit ão 1508 et sequenti.

23. Thomas von der Wehe, seu de Weda, qui juravit feria secunda post dominicam Cantate 1512, Simonis in locum adscitus, ejusdem vestigia constanti monasticae et religionis cura pressit; sed ob villarum ruinas atque incommoda avertenda haud leves difficultates expertus, cum senio atque iniquitate temporum premeretur gravius, translato in alterius humeros abbatiali onere, tranquilliora ão 1529 turbidis praetulit, seque jam tumulo inclinatum ad mortem imminentem disposuit; anno unico post honorem superstes.

24. Petrus a Remagen, archidioecesis Coloniensis ex loco natali sic dictus. Hic ab oeconomia recte annis compluribus administrata, absens, ad clavum praesúlarem concordi suffragatione fratrum translatus est (electus 7. septembris 1529, confirmatur ab archiepiscopo Richardo. 1. octobris 1529), ea praesertim tempestate rerum, qua nova a Luthero exorta haeresis septentrionalem concussit ecclesiam. Sed Petri excellens doctrina, morum gravitas, animi magnitudo, et promovendae religionis studium, non solum his illum inconstantium hominum exemit motibus, sed in praecipuis etiam sui ordinis muneribus eximium collocavit. Quocirca praeter alia definitoris et compraesidentis munia, plurium monasteriorum per dioecesin Maguntinensem, Trevirensem, Coloniensem, Spirensem et Argentinensem visitator effectus, denique et loco abbatis Bursfeldensis praesidentis officium per triennium occupavit, qua sapientiae, virtutumque ejus existimatione Trevirensis archiepiscopus, Joannes Iseuburgicus, inductus, consiliarium eum sibi in rebus gravissimis opportunum delegit, invidia optimatum nonnulla primum, sed favore demum et applausu. Interea sui minime oblitus asceterii, praeter religionem, studiorum istic promovendorum curam non neglexit, quod ignorantiam apud plerosque haeresis esse causam cerneret, ideoque bibliothecam, ut potuit, egregia librorum suppellectile instruxit, cum hinc arma contra adversarios promenda esse non nesciret. Majus etiam utriusque formae aes campanum industria ipsius in basilica suspensum esse, nomen inscriptum docet. Sepulturam fratrum ex subdiario loco in monasterii ambitum transtulit, disciplinae regularis

tam serius, constansque observator, ut ostenti pene loco esset, sub hoc reperiri in monasterio dissolutum. Adeo dispar a Luthero sectatus hoc tempore studium. Quanquam enim sub Alberto Brandeburgico in archidioecesin irruente, vastanteque universa, suos spargere in diversa asceteria cogeretur, nihil tamen ante religionem duxit. Penetrasse nihilominus ad animum recte sentientem has religionis et monasteriorum late profligatorum clades, vitaeque ao 1553 succumbentis praecipitasse exitum, vix est dubitandum.

25. Joannes Augustinus Machuis, Confluentiae natus, suorum, quamvis renitens, votis successor factus est (juravit 18. februarii 1553), qui doctrinae, facundiaeque singularis, et pictoriae artis ornamentis, praesertim encausticae, qua vitreis fenestris imagines inuruntur, abunde instructus, monumenta sui laboris reliquit plurima. Sed et rituum, observationumque monasticarum diligens investigator, defensorque hoc argumento monasterii sui institutis accomodato librum posteris tradidit, *Claustralis hyparchiae* titulo inscriptum. Quam acer religionis orthodoxae propugnator fuerit, facile ex epistola ad Eisengrenium, celeberrimae ea aetate doctrinae virum, data, liquet, qua crebras, acresque dimicationes pro aris, focisque sibi cum heterodoxis susceptas fuisse, commemorat. Ita et monasticae pietatis zelum alibi his verbis abunde testatur: »gaudeo,« ait, »ex animo, quod morem hunc« (vacandi meditationibus post matutinas) »ad nos usque propagatum, videam plerosque »omnes dulcissimos filios et alumnos nostros aemulari et ab »hoc pietatis curriculo non deflectere.« Hinc summa viri apud patres Bursfeldensis congregationis auctoritas, variis monasteriis ab eis visitator designatus est, et in gravissimis quibusque rebus exquisita illius consilia, ut non paucis scriptis compertum est. Sacellum S. martyris Leodegarii in villa Crufftia ab eodem excitatum, ac diversae praediorum domus vetustate collapsae illius instauratae opera, ac pristinae integritati sunt restitutae. Denique 15 annis hoc munere magna industria, virtutumque laude gesto, 10. julii 1568 ad meliora decessit.

26. Joannes VI. Cochemensis, Mosellanus, ex cellario eligitur abbas 27. julii 1568, confirmaturque 17. decembris a. e. Vixit senecta gravis, literaturae, sermonisque politioris non expers, privata in mensa frugalis parcusque, liberalis in hospitali, quam hilaritate condiri, quamvis ipse gravitate spectabilis, amabat. Egregia animi mansuetudine, oeconomiae et majorum disciplinae tenax, inter latronum irrumpentium injurias, ac damna, gubernandi provincia utique difficili perfunctus pie, ut vitam egit, sic clausit 13. januarii 1597. Vixit sub eo Petrus Novesianus, monachus Lacensis.

27. Joannes VII. Arraeus a Kettig, ex prioris munere ascendit ad praesulatum, 19. januarii 1597 electus. Prompti ingenii, eloquiique, et disciplinae S. Benedicti retinendae ac propagandae solers, insigni fama nominis, virtutisque suae relicta; qui fervida non minus, frequentique cohortatione, quam exemplo, ad omnem pietatem, humilitatemque praevio suos inflammabat. Unde et 16 annorum (quibus religiose magistratum gessit) ultimo Bursfeldensi unioni praesidentis titulo praeclaram navavit operam. Summo tandem suorum moerore morbo dejectus, 26. maji 1613 terris abiit, crucis amator, et instituti sui propugnator invictus.

28. Joannes VIII. Schweitzerus, cellarii munere aliquot annis Werdinae, Mediolaci et hic functus, datus Joanni Arraeo, ex gravi aegritudine corporali decumbenti, coadjutor, die videlicet 18. maji 1613, ei decedenti postridie omnium consensione suffectus est, qui ut Mediolacensis et Thologiensis monasterii res gravissimis afflictas injuriis mirifica ingenii solertia erexerat, ita quoque hujus asceterii gubernaculis provide admotus, pristinum religionis decus solerti custodia defendit: ruentes aedificii muros, ac labentia tecta novis impensis aut erexit, aut instauravit. Unde basilicam recenti instravit tecto, alamque monasterio gemino elatam fastigio, quae aream superiorem subeuntibus sese objicit, non sine onere expensarum posteris levando excitavit, cum majora conantem mors in flore aetatis anno 1618 oppresserit.

29. Gaspar Bolenus, ex praeposito Evernacensi designatus subinde abbas, pietate atque integritate morum, singulari mansuetudinis condimento amabilium, tali honore dignus apparuit, sed apparuit tantum, brevi decem mensium praesulatu simul et vita functus.

30. Henricus Lungh, sive Longenus, hunc ão 1619 consecutus, par exspectatione, sed moribus impar, quos cum honor, libertasque non sine querela religiosorum everteret, prodigus ac profusus denique, atque ad rationem ab archiepiscopo Philippo vocatus, causae diffideret, Romam ad cardinalem, id temporis Germaniae protectorem, confugit, postquam Lacensibus quadriennio imperasset, ubi tueri se magis voluisse est visus, quam ut administrationem suam probaret. Viduae igitur abbatiae praelatus ad SS. Martyres, apud Treviros, quaesitus est, et perpaucos dies post Henrici resignationem (resignavit autem, »ob moventes et relevantes causas«), scilicet 24. junii 1624, electus est, »cum autem omnibus, pro dolor, nimis notum sit, »et constet, in quantis calamitatibus, molestiis et damnis, sive »incommodis monasterium Lacense versetur« (electioni, qua testis, interfuit, Joannes Novesius, pastor in Obermendig).

31. Christianus Schaeffgen (sic) monasterii B. M. V. ad Martyres professus, ex praepositura Wiltingensi, quam administrabat, ad pastorale hoc pedum avocatus est, juravitque 1. julii 1624. Hic laicus olim ad SS. Martyres a praelato assumptus minister, fratrem tandem eodem loco nuncupatis votis professus, illud memoriae ingeniique specimen ac promptitudinem in humili hoc officio dedit, ut literis humanioribus adhibitus, excultusque, haud magno annorum intervallo sacris initiatus, patrumque receptus in numerum, cellarii ac subinde pastoris in Wiltingen officio, cum approbatione omnium fungi coeperit, quem cum denique ad Lacensium abbatis munus virtus, numinisque divini providentia admovisset, conceptam de se spem non aequavit modo, verum tam insigni administratione superavit, ut et praeterita Longeni delicta facile obliteraret, et bellorum, quae denique universae archidioecesi incumbebant, calamitatem fortiter sustineret, dum aetate et cura-

rum mole fessus; onus in delectum coadjutorem inclinavit, in cujus etiam favorem, »ob diuturnam corporis infirmitatem et »senium adeptum«, resignavit 19. calend. septembris (14. augusti) 1638. Obiit Christianus in eodem anno 1638.

32. Joannes IX. Lucobach, electus coadjutor Christiani, ad regendum et gubernandum monasterium Lacense in spiritualibus et temporalibus, cum futura successione indubitata, confirmatur, d. d. Treviris, 23. junii 1637, ab Ottone episcopo Azotensi, ad illum confirmationis actum a capitulo ecclesiae metropolitanae Trevirensis commissario specialiter deputato. Ex adjutore successor, eadem bellorum tempestate aliquamdiu jactatus, clavum hunc, ut potuit, inter fluctus adversarum rerum constanter tenuit. Pacis quidem serenitate affulgentis, ex Monasteriensi transactione recreatus, sed quam inter solicitudinem damnorum per villas et praedia late deserta, aut vastata reparandorum, vix jucundam expertus est. Denique hydrope tumescens, et curarum impar, abbatiali munere, die 1. martii 1662 resignato, successorem delectum, ut superstes videre desiderabat, ita, sicut optabat, intuitus, oculos haud multo post in morte conclusit 14. martii 1662.

33. Placidus Kessenich, Agrippinas, igitur surrogatus (electus fuit 2. martii 1662), nominis sui mensuram placide, prudenterque hoc munus administrando hactenus implet, quem eruditione ac virtute sua non imparem dignitati officioque electores judicaverant. Cujus porro industriam superi secundent. — Obiit ille 10. januarii 1698.

34. Josephus I. Dens, juravit 17. martii 1698, ão vero 1711 in ipso paschate, servato omni officio solemni, vesperi circa nonam, apoplexia tactus, obiit circa primam noctis.

35. Michael Godart (mppria), sive Godarth (mppria), antequam prior claustralis, juravit 25. aprilis 1711, obiit vero 18. octobris 1718.

36. Clemens Aach, electus 15. novembris 1718, obiit 28. octobris 1731.

37. Benedictus van der Eydt, electus 14. novembris 1731, obiit 12. novembris 1755.

38. Franciscus Steinmann, electus 2. decembris 1755, juravit 6. januarii 1756, obiitque 11. februarii 1756.

39. Henricus Arz, electus 26. februarii 1756, obiit 1. octobris 1766.

40. Josephus II. Meurer, ex Rüdesheim, electus 4. novembris 1766, obiit 1. februarii 1801 (Gallis *12. pluviose an IX.)*, quem secutus est 18. junii 1802 *(29. prairial an X.)* Thomas Kupp, Hirzenacensis, hujus asceterii decus, quondam parochus in Krufft.

Reliquiae et antiquitatum cimelia.

Nihil hic illustrius illo crucis ligno, quod in argentea, affabreque elaborata tabula Lacenses possident, atque ab Henrico de Ulmena, viro nobili, a Jerosolymitana expeditione reverso, istic Deo oblatum memorant. Hic post Constantinopolim occupatam cum Germanis victor, locuplesque spoliis ex D. Sophiae templo subductis, diversas hic ecclesias ornasse dicitur. Ita pretiosissimum crucis cimelium, gemmis, auro, argentoque circumfulgens et inclusum nobilium ad Stubam parthenoni reliquit, et in hoc Lacensi sui quoque nominis testimonio in versuum epigraphe (quam Browerus XV. libro annalium recitat) signatus auctorem doni prodit; Alberto vero abbati oblatum munus indicat, quae ut rebus, ita temporibus conveniunt. Inter reliquas Henricus reliquias partem ex cranio D. Chrysostomi Lacensibus contulit, quo se pignore feliciores esse gloriantur.

Altero benefactore Ulrico, Suevicae nobilitatis viro militari Lacenses gaudent, quem Coloniae Ubiorum morantem, fratrique istic canonico, aliisque ecclesiasticis spectaculum quoddam sibi coelitus oblatum de reconditis ad S. Quintinum reliquiis commemorantem, cum riderent caeteri, is amicis quibusdam adhibitis, excussaque tellure, hoc depositum eruit cum literis auro exaratis, quae Helenae augustae donum ex Oriente translatum esse testarentur. In his vero erat: 1. Sudarium, quod capiti Servatoris nostri in sepulchro impositum fuerat;

32 *

2. bipennis, qua Christi corpus transfixum; 3. pecten, quo Deipara Christum filium pexuit; 4. cultellus, quo Christus usus fuit; 5. scyphus, quo potum Domino Zachaeus ministravit.

Ex his scyphum et cultellum Giselberto abbati sibi Coloniae familiariter cognito obtulisse Ulricus memoratur. Caetera Fulberto successori, cum ipso Ulrico monasticen in Lacu amplectente, delata, Lacenses, frustra obnitentibus Ubiis possiderunt, Friderico Coloniensium archiepiscopo, donationem demum probante. Memorabile est, quod referunt comitissae cuipiam Solmensi, quae ad haeresin proxima aetate defecerat, evenisse: haec enim spectatis reliquiis, dum scyphum manu tractat, vinoque affuso labiis, potatura, admovet, scissus ille repente, vinum effudit, nec hodiedum nisi argenteis constrictus filis haeret, scissura etiamnum hiante. Attonita hoc facto mulier, religiosos oravit, ut silentio rem tegerent, quam mutus tamen scyphus prodere ad posteros non cessavit. Aliisque quoque Sanctorum corporibus depositis hic locus nobilitatur, ex his corpora quatuor de societate virginum S. Ursulae a Coloniensibus translata numerat, et praeter haec non exiguam ex brachio S. Ursulae partem. Ad haec ossa quaedam et partem brachii D. Hieronymi, ut diversorum martyrum, virginum, confessorum, atque apostolorum, denique minus notabiles reliquias praeteream, quarum catalogum texere longum sit, et operosum.

Illustria familiae DD. de Petra monumenta.

Plura hoc in templo illustris familiae DD. de Petra, ex qua hoc tempore praesidens archiepiscopus cum fratre, praeposito metropolitanae aedis, descendit, monumenta reperiuntur. Singula legendo assequi non omnino promptum fuit, novissimum, ão 1619 erectum juxta altare, ab eodem constructum, tale est: *Joannes Fridericus a Petrâ dominus in Adendorff et Artzdorff consiliarius intimus electorum Coloniensis et Trevirensis &c.*

CAPUT VIII.

Abbatia et monasterium Mediolacense.

Mediolacus ad Saram fluvium seu amnem vetustatis ac monastices illustri fama coenobium, vel inter prima connumerandum hoc nomine, aut commemorandum, quod praestanti religione ac sapientia pontifices metropoli quondam submisit, studiisque literarum juxta ac perfectionis egregie claruit. Nomen obvenisse loco a vicino lacus monasterium olim amplectentis situ, creditur. Asceterii primordia haud temere reperies alibi luculentius expressa, quam in Luitwini vitae actis, a Nizone (an Theofrido, Epternacensi abbate?) conscriptis et ante annos 500 Udonis, archiepiscopi Trevirensis nomini consecratis, quibus Tritthemius et Wion suffragantur.

Luitwinum namque ducem, cum Sarae captus amoenitatibus, pisciumque foecunditatibus, nemorosa et opaca, quae fluvium inumbrant, montium juga frequenti venatu percurrit, fessum aliquando se dedisse sopori, atque sub dio sole flagrantissimo uspiam quiescentem a syderis aestu supervolitantem aquilam obtentis, umbraculi in morem, alis defendisse: cujusmodi accidisse Martiano, priusquam ad imperium veniret, Graecorum memorant annales. Hujus itaque miraculi memoria tam clari permotum ajunt ducem ibidem B. Dionysio faciendum locasse templum, atque in propinqua valle hoc condidisse monasterium, aede mox alia suscitata, et Virginis B. matris et principis apostolorum honori consecrata, quae ita saeculo praecipitante sexto a Luitwino gesta, vel ex eo liquet, quod B. Luitwinus ex abbate Mediolacensi, a Christo septimo saeculo jam nunc ineunte, Trevirorum creatus sit archiepiscopus. Porro cum Trevirenses antistites cum sede munus abbatis junxisse, ac Mediolacum praepositis institutis rexisse, antiquis literarum monumentis constet, ad textum seriemque temporum explendam et opinionem quoque tuendam veterum hujus mo-

nasterii scriptorum, ut in abbatum album referantur episcopi, necesse est.

S. Luitwinum in fastis suis, ad 29. septembris sic appellat poëta Trevericus:

Dum tria templa locas superis, pietate minora
Caetera quaeque doces: lectarum copia tantum
Crescit opum, quantum pietati accedere cultus
Noscitur: auctori tibi debet culmina tectum,
Cui Medius positum nomen lacus inclytus olim
Praecipuis hominum probitate insignibus aevi,
Uberibus rivis viridis quos Sarra refecit.

Atque haec genuina loci origo nobis tradita a majoribus, unde fluxae fidei ea diplomata censeas, quibus ad stemmata ducum Austriae Mosellanicae fulcienda, recens quidam auctor usus est, cum in medium affert unum Clodulphi ducis, ab anno Christi 646 quo Renoldo abbati in Metteloch donat villam Oblongam, alterum Lamberti ducis, quo ad annum 759 Orico abbati ille munus offert Udene praedium; denique Friderici, ão 813 donantis Rogero abbati Gedscitiam villam: praesertim cum de hujus auctoris mala fide constet, per quem alii nimium creduli in plures errores praecipitati sunt.

Milo, Trevirorum quoque archiepiscopus, quanquam aliis secundo sit loco.

Weomadus: nam Hildulphum praetereunt Mediolacenses. Sub Weomado scriptor, quem dixi, promit Caroli magni praeceptum, Theodonisvillae datum anno imperii ejus octavo, quo is litem super Mediolacu exortam Weomado et S. Petro Trevirensi adjudicat, cui et pronuntiat competere abbatiae vestituram, quanquam ex temporum et personarum notis hanc scripturam ostendi facile possit ab otiosis et imperitis esse interpolitam. Sequuntur reliqui abbates, Trevirorum quoque archiepiscopi:

Richbodus, ão 780.

Wazzo, post quem Amalherius quoque a majoribus praeteritus est, ão 792.

Hetti, ão 830.

Thietgaudus, ão 851.

Bertolphus, ão 870.

Ratbodus, ão 884, atque is episcoporum postremus, qui vel ex hoc monasterio ad pontificatus apicem ascenderit, vel abbatis functionem sustinuerit. Statum monasterii pristinum, quo consilio, haud liquet, immutasse traditur, an in melius? variis certe, ut ferunt, detractis possessionibus.

1. Eckenbertus, ex praeposito, quod munus sub Ratbodo gesserat, abbas.

2. Ruitwicus (Rudewicus alii) ão 941, qui sub Ottone I. imperatore floruit, a Ruotberto archiepiscopo ex monasterio Indensi ad Mediolacus gubernacula evocatus, ea triginta tribus amplius annis feliciter tractavit. Collapsa sub hoc disciplina, majorumque leges Ruotberti archiepiscopi studio, curaque revixerunt, qui et, ut Otto imperator, multa in amplificationem loci extulit.

3. Geribertus, ex Ruithwici disciplina per sapientiae, virtutisque ipsius vestigia ingressus, ad ejusdem honores pervenit, eosque sexennio ferme post moriens deposuit; atque haud scio, an hic Geribertus monachus ille Trevirensis sit, quem literarum monumentis celebrat Gerbertus in Aurelianensi et Floriacensi, tum Mediolacensi hoc contubernio magnus scholasticus, inde Remorum, Ravennae et urbis Romae episcopus: cum ait, ab Egberto Trevirensi praesule Remis avocatum.

4. Hetzzel, parum honestis praeditus moribus, abbas suffectus; quare amotus monasterii gubernatione ão 987 fuit.

5. Lioffinus vero Britannus, professione medicus, ab Egberto archiepiscopo coenobitis abbas praepositus. Quo item calumniis everso, et Epternacum relegato, Hettzel revertitur, sed dum vitae pravae tenax, antiquum obtinet.

6. Nithardus, sive Nizo, praestanti eruditione et rerum usu, successit, qui familiaris Gerberto, post Silvestro II. in duabus epistolis ab illo scriptis vivit, proclinata jam monasticae studia erexit, et languentes juxta bonas artes mirabiliter excitavit. Nam ex ejus gymnasio Remigius is prodiit, qui sapientiae pectus plenum circumferens Pruniae, Metis, adeoque

Treviris scholarum magister, demum S. Martini abbatiam honesti laboris proemium adeptus fuisse traditur; sed Guothilbertus collegae famam eruditione supergressus est. Quippe Franciam et Aquitaniam discendo docendoque pervagatus, Navaram denique in Vasconiam deveniens, scientiae, doctrinaeque gloria florentibus discipulorum ingeniis totam ferme Hispaniam implesse dicitur. Porro cum editus index manifestum hic in successione errorem habeat, Nithardo, seu Nizoni, Remigium, excellente doctrina monachum, ad quem Gerberti de numeris et sphaera, ad ipsum missa, duae extant epistolae, successorem dari non poenitet. Esto igitur proximus,

7. Remigius. Coenobium is habuit disciplinis omnium artium et religionis laude florentissimum, Ottonis III. Gerbertique scholastici amicitia et gratia pariter felix.

8. Hildericus, Remigii successor, Megingaudo episcopo sedente claruit, vir mansuetudinis ac pietatis praeconio non obscurus, sed ab improbis criminatione falsa circumscriptus, magistratu abire coactus est, functione tantisper Hildrado Prumiensi demandata, dum Cunegundis imperatricis, et Popponis episcopi Trevirensis, favorem promeruisset. Horum quippe consilio et auctoritate munus amissum in parte recuperavit ille quidem, at impar aemulationi, dum haud facile pervincit, pro eo tandem sequens

9. Bernardus, archiepiscopi nutu Mediolacum abbas iniit, cujus successor,

10. Folcodus, solo cum Bernardo nomine innotuit.

11. Reginardus, S. Eucharii, seu S. Matthiae coenobio Trevirensi praefectus, Mediolacum abbas moderatus est, non sine virtutis ac rei familiaris accessione.

12. Everhelmus, S. Martini apud Mediomatrices abbas, honorem pretio magis, quam merito consecutus est. Unde magistratu tandem pulsum excepit,

13. Nizzo II. qui Everhelmi erratis corrigendis et dissipatis monasterii colligendis fortunis praeclaram, utilemque suis navavit operam; floruit Udone archiepiscopo sedente, templumque novis operibus egregie perpolivit. Catalogo veteri

defunctorum principis ecclesiae inscriptum legimus: »Nitzo »abbas de Mediolacu XV. calendas novembris«. Atque hinc abbatum elenchus, idonea testificatione carens, incipit turbare, mutila, atque imperfecta serie.

14. Libo tamen Nizoni proximus ex eo colligitur, quod oblatus mihi liber sit, quo Libo praefantis more Brunoni archiepiscopo Trevir. operam suam consecrat; floruisse vero pontificem illum liquet ão 1112. Aõ 1128 Theodoricus, Mosellanorum, seu Mosellae regionis, fama, gestisque rebus inclytus dux, in hoc monasterio aetatis quondam et muneris vacationem non inertem, sed Deo consecratam, gratamque quaesivit, quam cum obnixius disciplinae tranquille et beate quidem exegisset quadriennii curriculo, ut bene speramus, coeli metam contigit.

15. Stephanus ão 1142 sub Alberone abbas diplomatum subscriptione proditur.

16. Adelhelmus (Adeselinus) Tritthemii literis celebratur, qui ex Hirsaugiensi coenobio ad Amminebergense evocatus, deinde Mediolacensium coenobitarum summa voluntate res monasticas hic administrare coepit sub Hillino archiepiscopo, easque strenue, et ad finem usque laudabiliter procurasse, testis idem Tritthemius.

17. Ansfridus, ão 1160, etiam abbas inter eos exprimitur, qui Hillino Treveris sedenti, seque ac monasterii res in ejus fidem, potestatemque permisere.

18. Udo, tabulis Lacensibus abbas repertus, de quo sic scriptum faciebant: »ão 1195 obiit Udo abbas a Mediolacu,« cui successit,

19. Siboldus de Lacu, atque ita eadem opera successoris origo patefacta.

20. Joannes in antiquo Mediolacensis bibliothecae libro praefuisse memoratur 1222, occ. etiam 1228 quo anno archiepiscopus Theodoricus praefato Joanni ecclesiam Losma donat.

21. Albertus subinde 1242.

22. Albertinus post hunc locatur annis non signatis.

23. Robertus quoque ad annum circiter 1265 in actis Henrici archiepiscopi Trevirensis, nº 61, exprimitur.

24. Walterus rursum ex bibliotheca Mediolacensi ad annum 1275 eruitur.

25. Everhardus ex monasterio S. Maximini prodiit ad annum 1291.

26. Petrus, censetur ão 1295.

27. Arnoldus, occ. 1310, 1313 et 1315, 28. april. quo die memoriam suam fundat cum 6 libris annui census de domibus quibusdam.

28. Conradus, ão 1324.

29. Ordulphus, ão 1328.

30. Theodoricus, occ. 1345 et 1346.

31. Joannes de Berberg, occ. 1360—1378.

32. Joannes de Boilig, ão 1384.

33. Bertramus ab Esch, ão 1398. — Ex saeculo insequenti porro nobis eruti ope domestici martyrologii, apud Mediolacum superstitis:

34. Petrus Bonindorffius, qui abiit ex hac vita ão 1436.

35. Wilhelmus ab Helmstatt, S. Martini apud Treviros monasterio praefuit, et Epternacensem abbatiam sibi vendicare studuit ão 1439, sed a Winando in Basileensi synodo repulsam passus, Mediolacu contentus fuit. Occ. abbas Mediolacensis 1457, quo anno declarat communitati Hulzbach (Saarhölzbach) missam singulis hebdomadis celebrandam in capella S. Antonii ibidem.

36. Arnoldus Clibis de Kilewaldt, qui diffluentes coenobii mores Bursfeldica primum illata disciplina coërcens, reformatoris adeptus titulum, desiit inter homines esse ão 1479.

37. Thilmannus de Prumia vero, eodem fastigio succedens (juravit 29. septembris 1479), Arnoldi institutum exequi, et aedem nobilibus adornatum operibus excolere aggressus est. Ejus quippe cura in altarium maximo ea perfecta tabula, cujus vere dicam Apellea manus sibi jure vendicet artificium. Thilmanni insuper magistratus B. Luitwini inspecto, et levato corpore insignis, id quod gestum anno Domini 1494 sexto nonas maji, celebris et frequens miraculis augusto in oratorio, quod diverso quidem pariete, cum templo tamen, committitur S. Luit-

wini memoria. Ibidem juxta loculum hujus Divi stat ara. Hanc abbas alia item posita tabula ad artis picta miraculum atque perfecta, argumento totius vitae rerum gestarum B. Luitwini ornandam curavit. Duobus item voluminibus res praecipuas monasterii complexus est, altero diplomatum, altero censuum monasticorum. Quibus rebus, memorandis sane, vita desiit ão 1504, die 21. sept.

38. Ekbertus inde abbas creatus, juravit 14. septembris 1504, obiitque ão 1518.

39. Franciscus de Odensirck, electus 22. maji, juravit 12. junii 1518, obiitque ão 1525, 7. maji.

40. Joannes de Lossheim, juravit 8. julii 1525; moritur ão 1547.

41. Jacobus ab Alten-Eberstein, Trevir, qui dignitatem male quietam Epternaci consecutus, cum anno Domini 1549 competitori locum fecisset, hic eundem honorem iniit. Electus 9. martii 1547, jurat dominica post Laetare 1548; finiit vero ão 1553, 14. aprilis.

42. Joannes Laudtwinus de Welbingen, vendit domino Hans Lambricht Fust de Stromberg 11 maldera annui census de ligio Büdlingen 1566, Dienstag nach S. Nicolaus. Electus ante 27. aprilis, juravit 15. maji 1553, reliquit autem vitam 20. septembris 1572.

43. Joannes de Greimerodt, electus 25. septembris 1572, honorem protulit ad annum usque 1580. Anno 1574 vasallo suo Henrico Kerpen de Detzheim permittit bona sua vendere ligia.

44. Gerardus de Sirck succedens, rei summam in uno mense clausit, obiit enim 17. aprilis 1580. Quare novus iterum eodem anno captus abbas.

45. Bartholomaeus Dorth, Trevir, electus 27. aprilis 1580, obiit 25. februarii 1584.

46. Michael Trevir, electus 16. martii 1584, obiit 17. augusti 1599.

47. Nicolaus de Saarburg, electus 19. aprilis 1600, post oppignorata bona redempta, novamque excitatam fabricam, aliaque instaurata aedificia, laude non vulgari obiit ão 1616.

48. Joannes Latomus, Trevir, 13. martii 1616 a Gregorio, suffraganeo, Servatio, S. Martini, et Petro, Lutzenburgensi abbatibus, consecratus Treviris, egregio cum pietatis, tum monasticae disciplinae zelo praefectus, 8. octobris 1627 hac infelicitate mulctatus decessit vita, quod sub se ão 1624 turrim monastici templi insigni altitudine conspicuam una cum sex campanarum aere liquescente, conflagrantem igne fulmineo conspexit.

49. Matthias Beurig, Saarburgensis, electus 21. octobris 1627, venerando in senio conspicuus post religiosi instituti leges medicarum rerum sibi, aliisque non inutilis consectator, fatalem annum sensit 1633.

50. Joannes Limburg, Saarburgensis, qui juravit 17. februarii 1632, more Trevirensi, cum suis bellorum tempestate monasterio ejectus, Treviris, 30. septembris 1638 diem clausit.

51. Jacobus Berg, ab exiguo quinque electorum numero, quem bellum, ac pestis reliquum fecerat, praefectus (electus 15. octobris; juravit 22. octobris 1638), annum 1641 est assecutus.

52. Philippus Schwab, Zeltingensis, juravit 27. julii 1641. Quantumvis jactatus bellis, res monasterii collapsas magna spe meliorum rerum sustentabat, nisi intempestiva mors raptum Mediolacensibus ão 1656 die 7. martii, invidisset.

53. Salentinus Mehrn subinde humeros supponere jussus, sua etiamnum mentis, ac menti candore grandaevus rem sustinet. — Electus 21. martii, juravit 4. aprilis 1656, obiitque 6. augusti 1671.

54. Joannes Breidt, electus 15. augusti, juravit 2. septembris 1671, obiit 16. martii 1678.

55. Matthias Josse, electus 23. martii 1678, anno 1690 27. octobris defunctus.

56. Ferdinandus de Koeler, electus 27. januarii 1691, nominatur a rege Galliarum Ludovico XIV. 23. februarii 1691, juravit 28. augusti anni ejusdem, obiitque ão 1734.

57. Henricus Lejeune, electus 15. februarii 1735, occ. ão 1739.

58. Josephus Meusnier, occ. ão 1760, obiit 16. octobris 1768.

59. Henricus Kleiner, electus 5. decembris 1768, resignavit 23. aprilis 1779, cum jam per bullas Pii VI. d. d. VI. nonas octobris 1778 archiepiscopus Trevirensis Clemens Wenceslaus, nominatus esset abbatis coadjutor, cum spe indubitata futurae successionis. Per transactionem tamen inter archiepiscopum et conventum 12. maji 1779 initam, et 3. junii a. e. ab archiepiscopo ratihabitam, is renuntiavit omni juri per pontificias coadjutoratus bullas adquisito, et in hujus recognitionem abbatia transtulit in proprietatem seminarii archiepiscopalis Trevirensis praeposituram Ouderen, in regno Galliarum sitam, cum universis ejusdem an- et connexis juribus, jurisdictionalibus, altis, bassis, mediis, aedificiis, sylvis, decimis, pascuis, pratis, aquis, aquarum decursibus, reditibus et emolumentis, nec non jus patronatus ecclesiarum in Reinange, Circour ac Reville. Per posteriorem tamen conventionem, de die 25. septembris 1784, praepositura de Ouderen remansit in abbatiae proprietate, contra annuum censum 4000 librarum, in perpetuum in usum seminarii solvendum. Conventus autem procedit ad electionem abbatis, qui fuit,

60. Joannes Nepomucenus Gottbill, electus 18. augusti 1779. Occ. etiam ão 1787.

61. Ludovicus Tisquin, occ. 1789—1794.

CAPUT IX.

Tholeia abbatia et monasterium, sive Theologium aut Tholegium.

De origine Theologiensis coenobii, quia domesticorum studia majorum silentio faciscunt, difficile sit exequi, et quae memoria veterum olim subjiciebat, ea nimirum exhausimus

in annalibus. Quare unum id duntaxat hoc loco monendum; sub Dagoberto rege quidem hujus domicilii emersisse famam, at antea tamen monasticae vitae impressa hic extitisse vestigia, cum, quo tempore B. Paulus Viridunensis hunc in locum venit, floreret jamtum coenobium accurata legum disciplina. Et abbates certe, qui Paulo in magistratu praeluxerunt retro incogniti, quique longa serie post eum rexere, nullis prope vel memorandis rebus celebrati, vel annorum intervallis distincti. Causam invenio hujus obscuritatis fluctuantia monasterii gubernacula, quod antiquitus Viridunensi ecclesiae et dioecesi paruit. Theologium quod a divinarum rerum florentissimo hic olim gymnasio derivant, Doleiam posteri dixere, S. Mauritio Thebaeae militiae duci, sacrum. Unde et titulus archidiaconatus, cujus in Westerichi et Saraegauviae finibus sacrorum jus longe patet. Inter eos, qui decus, famam, et opem loco perperere, cum primis laudant S. Modoaldum, Trevirorum archiepiscopum, Pirminium etiam illum Metensem (an Meldensem?) chorepiscopum, qui Augiam, aliaque complura religionis domicilia propagavit. Ad haec S. Wandelinum, regis Scotorum filium, qui Tholeiae ad amussim in rerum omnium despicientia asceticis praeceptis excultus, sive eremita, sive abbas, ut nonnulli volunt, sepulchro in vicinia accepto, ob miraculorum et gloriam, et frequentiam, oppido propinquo nomen, et originem dedit. Cujus Sancti memoriam poëta nobis amicus in Trevirensium fastorum commentariolo ad 21. octobris olim ita descripsit:

Rege Scoto natus: prope flumen molle Saravi
Soliuagam instituit vitam, curisque solutus
Vrbem Trebetae supra, convalle reposta
Auia secessu coluit loca Wandalinus.
Exosus mundum, scelerisque admissa nocivi,
Detracta sed enim persona, ortuque retecto,
Obscuroque habitu coelo notissimus exul
Proditus est, vrbemque suo de nomine dictam
Condidit apricis in campis vberis arui.

Caeterum inter Tholeianos abbates princeps nobis esto, qui ante alios celebratur,

1. Paulus, Trevericus eremita, et episcopus Viridunensis, de quo plura alibi; quem sanctitate clarum, obiisse diem perhibent anno gratiae partae 649. Ejus venerabile caput hodieque in ecclesia ostentui populis est, ut religioni tam exteris, quam domesticis.

2. Grimo, sive Adalgisilus, Dagoberti nepos, inde locum secundum obtinet; ecclesia Viridunensi in Pauli gratiam egregie locupletata et monasterio ditibus arvis perinde instructo laudatus. — Sepositis iis, quos vulgatus index maturius accersit ordinem rectius tuebuntur, qui ex abbatibus ad ecclesiam Viridunensem regendam episcopi inde creati sunt, quos antequam appendo, monendum reor, literas eas, quas Dagoberti nomine stemmatum auctor, Franciscus de Rosieres, evulgavit, fidem non mereri, cum cellae S. Mauritii, quam Sarae adjacere scribit, advocatum facit Clodulphum, ducem Austriae Mosellanicae anno Christi 522 et intervallo hunc ducem Augustino Tholeiano abbati, villam Meneriam donasse ão 651 perhibet, rursumque Martinum, Clodulphi filium, ão 673 Ehrardo abbati praedium Loegeapenum obtulisse, ac denique Loherum, Martini ducis ex Lamberto nepotem ão 778 Petro abbati villam Rettingen dono dedisse. Quibus in scriptis quam multa temporibus, personis, et stirpium veris originibus aliena reperiantur, hujus non est loci fusius explicare, cum alibi tradiderimus publica palinodia ab ipso auctore haec diplomata damnata in Gallia fuisse.

3. Gisloaldus, qui episcopus factus traditur ão 649.

4. Armoinus, ão 689. Hi tres abbatiam cum episcopatu administrarunt. Hos jamjam per nos licet insequantur (etsi multiplex in nominibus mendum latere videatur) Leochietmericus, Granderigus, Fradonus, Herbertus, Anodo, Fidenardus, Anno, Buermerus.

14. S. Pirminii per hoc tempus in Austrasiae regno laudatum monasticae passim exornandae, restituendaeque studium. Narrat ex originali volumine vitae ipsius Tritthemius, quod penes se fuisse testatur, saepius ipsum adiisse Dolegium, ibique disciplinae commendandae, et exempli relinquendi causa

etiam inter coenobitas vixisse, eorum mores instituisse, locum pulchrius decorasse. Id quod Paulus Voltius, abbas Hugoniscuriae, confirmat. Item, quando S. Pirminium ex monasterio D. Mauri Andegavensi ortum, posthabito Meldensi (an Metensi?) episcopio Gregorii II. permissu multa in Gallia, Germaniaque ordinasse, vel instaurasse monasteria, et in his apud Treviros Doleiam et Hornebachium commemorat, sed quos in eis reliquerit abbates, non tangit. Caeterum lux adhuc quaedam hisce temporibus internitet, Virdunensibus episcopis ipsis monasterium hinc gubernantibus, et quos vulgatus index appendit, exiguo delectu, in classem abbatum venire posse vix apparet; quin enumerentur tamen, nihil obstat quidem, praesertim quod episcopis absentibus pro coenobiarchis se gessisse creditu facile sit. Ut sunt:

15—24. Hildus, Theodofridus, Petrus, Guilhiarius, Rogobertus (Rigobertus), Fugehardus, Eberwinus, Ermonandus, Adalhelmus, Stephanus. Quod vero Hildum et Theodofridum Virdunenses nonnemo facit episcopos, id nisi alia interpretatione mitigetur, ex albo publico antistitum ejus ecclesiae defendi non potest.

25. Hilduinus itaque episcopus primus sit, quem penes hujus item monasterii summa stetit. Ecclesiam autem is Viridunensem accepit anno Domini 829.

26. Hatto utrobique item praefuit aõ 850, Berhardus aõ 870; Dado aõ 880.

29. Barnoinus, qui insequenti saeculo hic pariter, et Virduni rem gessit circa Domini annum 920; Berengarius autem illi suffectus aõ 939. Qui sex mitram episcopalem abbatis pedo adjunxere, et ab his antistitum Viridunensium series iterum interpellatur, ac succenturiatur.

31. Bernardus, Adolo, Rupertus, Elicherius, Elironius, Gerhardus, Richardus, longinqua Hierosolymarum peregrinatione non obscurus, ut in actis B. Simeonis, Treverici eremitae, propagatum memoriae est

38. Eberwinus; hic vixit pontifice Trevirorum Poppone, et cum in Richardi, decessoris, itinere Hierosolymitano comes

extitisset, forte de via cum B. Simeone amicitiae necessitudine contracta, postquam is in Treviris innocentissimam animam Deo reddidit, ipsius vitae memoriam literis ac posteritati consecravit. Simeon quippe aliquamdiu in Theologiensi monasterio commoratus, suavissimum virtutis odorem istic diffuderat, visiturque in hujus coenobii ornamentis psalterium ejus, sermone Graeco, literarum genere vetustissimo scriptum manu. Caeterum Eberwinum cum Harichone S. Maximini abbate, synodo Seligstadiensi interfuisse, Tritthemius (chron. Hirsaug.) monuit, quam Aribo Moguntinus archiepiscopus illic ão 1023 indict. V. II. idus augusti celebravit.

39. Folradus post hunc, Conradus et Eberhardus.

42. Abbo etiam causa non erat, cur publicis abbatum elenchis praeteriretur, eo namque abbate anno Domini 1066, adnitente Theodorico Virdunensi episcopo, B. Conradus sive Cono, Trevirorum archiepiscopus designatus, sed ante diem raptus martyrio, venerandum in ecclesia Theologiensi, plenumque miraculis sepulchrum adeptus est.

43. Arnoldus deinde subsecutus creditur, Hieronymus, Bertolphus, Hildericus, Bertholdus, Rudolphus.

49. Theodoricus vixit D. Bernardi aetate, Alberone sedente, ut cui chirographo manus obsequii fidem dedit sub annum Christi 1136.

50. Gregorius sub Hillino archiepiscopo vixit ão 1157, quem sequitur,

51. Wiricus, abbas, San-Maximinianae disciplinae alumnus, ubi ad IV. iduum maji titulum inter defunctos habet.

52. Thomas.

53. Henricus I. ex congregatione item S. Maximini huc ad regimen accersitus, at mortuus V. calend. februarii.

54. Henricus II.

55. Hugo II. cui monasterii jam aevo, ac vetustate prolapsi, novis ex integro positis fundamentis instaurati, conditique gloriam tribuunt antiqui libri.

56. Wilhelmus denique huic substitutus memoratur, quem ut vult Bruschius in catalogo episcoporum Virdunensium, non reperimus.

57. Henricus ab Hagen vixisse traditur ão 1238.

58. Folmarus.

59. Emicho de Lapide superiore, sive de Oberstein.

60. Betzelinus de Soeteren; quae stirps, in vicinia degens, hac etiam nostra aetate doctrinae utriusque fama claret, deditque Spirensi ecclesiae nuper episcopum Philippum Christophorum a Soeteren, Westerichiae nobilitatis ornamentum, et Trevirorum archiepiscopum; ex qua familia successere deinde plures.

61. Reinoldus, sub quo ão 1330 fulmen Theoberti monachi sanctitati imputatur, quod caetera vastans, intacta ossa ejus reliquerit, ut leonino hoc versu expositum reperitur:

Post bis quingentos, ter duos atque trecentos
Annos, lux sena junii tam turbine plena
Extitit, ut fulmen succenderet illico culmen
Templi, post cistam clausam descendit in istam,
Comburens cappas, praeter quasdam quoque mappas,
Sed mox abscessit, nec reliquias ibi pressit.

62. Philippus ab Hagen, vixit ão 1346.

63. Reinoldus de Soeteren subiit, ac deinde,

64. Thomas de Soeteren, is qui magna opinione religionis et sapientiae ão 1422 conventui abbatum, qui Martini V. jussu Treviris ex diversis provinciis coierat, una cum aliis praesedit, et emendationi suorum initium dedit.

65. Joannes ab Ellenbach, temporis intervallo Bursfeldensis observantiae severioris disciplinae fama excitatus; exemplum id emendatioris regulae vivendique normam, suam in familiam transtulit, meminitque Tritthemius (Chron. Spanheim. ad an. 1429), monasterium in Tholeia inter 75, quae saluberrimae unioni, sacroque foederi manus dedere: quanquam hoc nondum tempore effectum sortita sit.

66. Nicolaus de Löwenstein, juravit 1. decembris 1466, vixitque adhuc anno Christi 1474.

67. Casparus de Dalheim, sive de Dulheim, in locum cooptatus fuit, sub quo monastica disciplina pessum abiit. Juravit 3. martii 1475.

68. Damianus de Lommersweiler, qui juravit 18. septembris 1479, cladem religionis instaurare aggressus, rectius aliunde institutos monachos accersiit et se suosque unioni Bursfeldicae addixit; ão 1489 defunctus.

69. Gerardus de Hasselt, ex Lacensi monasterio ad constituendam disciplinam huc jam ante profectus, juravit 18. februarii 1489. Cum monasterii rebus optime formatis ac institutis unde triginta annos in abbatis munere recte collocasset, terris migravit Christi anno 1517. Successores autem Gerardi ad hunc usque, quo scribimus annum, sequuntur hac serie, quorum plerique fuere ortu, patriaque Belgae.

70. Jodocus de Colonia, juravit 16. septembris 1517, mortuus 1520, Coloniae quoque, ad S. Pantaleonem sepultus.

71. Thilmannus de Embrico, juravit 16. augusti 1520. Aõ 1526, die 31. januarii, vita ac munere defungitur.

72. Balthasar de Ultrajecto juravit die mercurii, in crastino S. Valentini, obiitque ão 1531, postquam muro monasterii introitum cinxisset.

73. Gerardus de Gouda, electus 30. augusti 1531, juravit 18. septembris 1531. Decessit ão 1540, a Lacensi et Pantaleonita abbatibus ex more unionis Bursfeldicae visitatus.

74. Rupertus de Wyck, confirmatus 7. februarii 1540, obiit 1. martii 1572. Vir, ut ajunt, humanitate ac hospitalitate nemini secundus.

75. Lucas ab Auffell (Aufeldt), electus 22. martii 1572, obiit 9. aprilis 1582, rerum gestarum memoria ignoratus, atque inglorius.

76. Antonius Treviranus, electus 19. aprilis 1582, haud levibus sua regendi tempestate molestiis perfunctus est. Siquidem mitram vix prehenderat, cum non nemo canonicorum regularium S. Augustini Romantanus prior, Claudius Stevenius

hanc suo aptius quadrare ratus capiti, quorundam suffragantium e monachis favore fretus, pontificia Sixti V. bulla armatus, quam prostratae istic religionis disciplinae obtentu assecutus erat, sese pro abbate ostentabat. Verum plerorumque repudiatus votis, et apostolici demum etiam nuntii exclusus sententia, foro ac choro hoc cedere coactus est. Quocirca rebus dein Antonius prospere fluentibus usus monasterii cum religione felicitatem haud modice provexit, dum aevo jam grandior potentiorem hujus mitrae procum circa annum salutis 1612 nactus est, qui adjutoris titulo sese offerret. Erat is Henrici Lotharingi ducis filius naturalis, Henricus de Lotharingia sive de Bainville, jam S. Michaelis abbas, vir quamvis saecularis, cui et preces, et arma, acatholicorumque vicini comites patrocinabantur. Sed industria demum religiosorum coadjutor electus, probatusque e gremio alter rivalem submovit, quo defuncto ad annum 1618 Antonio est surrogatus.

77. Martinus Nennich is fuit, qui juravit 20. novembris 1617 (sic), atque aliquot annorum curriculo rem disciplinamque monasticam cum integritatis laude sustinuit. Obiit. ão 1638, 16. junii. Cujus in defuncti locum, qui hodiedum superest,

78. Maurus Groffius, Mussiensis, jam exauctoratus abbas, impari felicitate successit (electus 25. junii 1638). Religiosorum ille contubernio submotus, foris certo proventuum tributo alitur, adjutore, D. Aemiliano Wiltzio rem, officiumque abbatis administrante.

79. Aemilianus Wiltz, electus praedecessoris in coadjutorem, 24. junii 1659.

80. Mauritius Gralingen, juravit 15. julii 1680, obiit ão 1712.

81. Casparus de Roussel, juravit 11. septembris 1712, obiitque ão 1730.

82. Theobertus d'Hame, electus 19. junii, juravit 11. novembris 1730.

83. Maximinus Moitté, occ. ão 1760, obiitque ão 1768.

84. Salvinus Schaad, electus 23. augusti 1768, occ. aõ 1784.

85. Petrus de Salabert, commendator-abbas, occ. aõ 1785.

CAPUT X.

Abbatia et monasterium Epternacense Sancti Willibrordi.

Epternacensis abbatia dignitate primis accensenda, quia tamen aliena Luzelburgensium regione continetur, huc post alias Trevericae ditionis seposita est. Hujus monasterii origo in annalibus a Browero jam olim e suis accersita fontibus, his paucis ad Willibrordum, Frisonum apostolum, referenda decernitur. Epternaci, quod oppidum est, situs, rupium ac collium leniter assurgentium aspectu, Sura fluvio piscoso intermeante, longe est amoenissimus. Alcuino, in poemate de S. Willibrordi miraculis conscripto, Absternacum, Reginoni in chronicis Asternacum (aliis Esternacum) appellare placuit. Sunt etiam, qui cum Browero, in propar. et ad an. 697, Andethannam (celebrem olim hisce Romanis locis vicum) censeant nuncupandum. Sed hoc jure corrigit diligens perspicaxque hujus loci antiquitatumque vestigator, P. Alexander Wilthemius, tum quod ipsa dissimilitudo vocis pugnet, tum vel maxime, quod ex Antonini itinerario, ac Sulpitio constet, Andethannam, sive Andethannelem vicum publicae Romanae viae incumbentem fuisse, quae Orolauno ducebat Treviros, qui tamen haud procul Epternaco dissitus, Anwen populari vocabulo ac prope cum loci ignobilitate obliterato dicitur. Epternaco vero propinqua loca Romanorum frequentia cultuque trita esse, diversis antiquorum monumentis hac etiamnum aetate per viciniam erutis, perquam est manifestum. Quanquam sub Willibrordi primum tempora post assurgentis illuc crescentisque indies monasterii

religiosi decus, aedificiis, muris denique locus vallari coeptus sit, unde quod Andethannae detractum est decus, Epternaco accessisse potest existimari.

Locupleti hoc olim monasterium censu fundatum, erectumque munificentia multorum principum non vulgari. Rerum quippe abbas non modo Luxenburgensium in agro, sed intimis Bataviae Scaldisque recessibus praesertim Walachros inter sive Zeelandos olim potitus est, postquam D. Willibrordus terras illas, profano Deorum expurgatas cultu, ad Christi obsequium inflexisset, ac pagorum conventus, qui ecclesiarum post titulis instituti, fundatique in potestatem illius concedebant. Primis tamen Pipini Heristallii majoris, et B. Irminae, Dagoberti filiae, vectigalibus adjutus favente Basino et Lutwino Trevirorum archiepiscopo, opusque caeptum promovente, apud Suram amnem in honorem SSS. Trinitatis, et principum apostolorum Petri et Pauli instituto monasterio insignem huic loco celebritatem ac gloriam addidit. Nec sileo dignum literis memoriaque donum, quod anno tertio Clodovaei regis hoc nomine tertii, Willibrordo oblatum; cum Rotingo illustri viro et Rebilina conjuge donante, ecclesiam amplis fundis possessionibusque S. Amando conditore, illustrem accepit infra Antverpiam castellum sitam super fluvium Schaldim in pago Rejensium, et tertiam partem telonii, quod nunc est (verba sunt Theofridi), in marca regni, atque hunc pagum docti viri, quia limes erat Lotharingiae, marchiam Riensem postea fuisse dictam, non immerito tradidere; sicut et illud veritati, nusquam sibi discordi, consonum est, unaque his nostris mutuam foenarari lucem videtur, quod in Antwerpiensium originibus Carolus Scribanius, nostrae societatis vir excellens, S. Willibrordi testamentum egregie pium produxit, quod, prout ab ipso reverendissimo D. praelato Philippo de la Neuveforge, Epternacensi recens mitra ornato, communicatum accepi, ita huc quoque censui referendum, ne tam sancti liberalisque animi dotes testamentariis hisce tabulis expressae, magnorumque id temporis principum profusa liberalitas, ingrata nostrorum annalium oblivione praetereatur. Porro memoriam harum rerum praecipuam non archivo tantum abbatiali, sed

geminis hujus loci scriptoribus, Theofrido et Theodorico debemus, quorum ille, loci abbas, circa annum Christi 1090, hic, abbatum brevis descriptor, circa 1190, seculi unius floruit intervallo, magno idem judicio delectuque rerum Francicarum res gestas complexus, sub *Aurei* etiamnum *libri* titulo in charta pergamena exaratus custoditur sedulo, quia antiqua simul ejus monasterii diplomata privilegiaque comprehendit. Praeter hos superiori saeculo Bertelius, ejusdem loci praelaturam assecutus, excussis omnibus monasterii et patriae, quantum licuit, archivis, historiam non Epternacensis solum asceterii, sed totius etiam Luxenburgensis ducatus prosecutus non indiligenti studio fuit; quanquam praepropero neque maturo adhuc expolitoque satis labore fidem utique mereri non possit, materiam tamen non contemnendam posteris ad cultiorem historiam suppeditavit: modo accesserit, qui scoria ab argento noverit separare. Suppeditavit et Browerus cum in hoc, tum in aliis benedictinorum monasteriis complura, quae usui mihi ad hujus operis absolutionem fuere. Quare a D. Willibrordi testamento res hujus loci auspicabimur.

TESTAMENTUM SANCTI WILLIBRORDI.

»In Christi nomine oportet christianos viam veritatis »agnoscere, per quam creatori suo digne meritis suis servire, »aut oblatio eleemosynarum eorum, et devotio perveniat ad »salutem, ipso summo dicente, date et dabitur vobis, facite »eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Idcirco ego »in Dei nomine Clemens Willibrordus episcopus, cogitans casum »humanae fragilitatis, qualiter peccata mea possim abluere, et »donante Domino ad aeterna gaudia pervenire, dono a die »praesenti donatumque esse perennis temporibus volo, hoc est »ad monasterium Epternacum, quod est constructum super »fluvio Sura, in pago Betensi, in nomine Patris et Filii et »Spiritus sancti et Sancti Petri et Pauli apostolorum, S. Joannis »Baptistae, vel caeterorum Sanctorum, ubi ego ipse Clemens

»Willibrordus custos et gubernator praeesse videor, etsi Christo »placet, corpus meum ibidem requiescere debet. Hoc est quod »dono vel trado ad ipsum sanctum locum Epternacum; omnem »rem vel villas seu mancipia, quae modo ingenui Franci, pro »amore eorum salute condonaverunt vel tradiderunt. Similiter »illas res, quas dominus Pipinus mihi condonavit vel delegavit, »seu matrona sua Plectrudis, sive filius suus dominus noster »Carolus Major domus, quas res ipsas dominus Carolus et »genitor Pipinus tam me vivente, quam de ista vita migrante, »mihi pro eorum mercede condonaverunt, et illas alias res ex »parte ego denomino vel homines qui mihi eas tradiderunt »vel delegaverunt, id est, ut et haec solemniter scriptura pro »temporum serie confirmare debeat, et hi sunt homines no- »minibus his nominatis. Rokingus mihi condonavit vel tradidit »ecclesiam aliquam, quae est constructa in Andwerpo castello »super fluvio Schaldeo in pago Renensium cum appendiciis suis »villas denominatas his nominibus. Bacwaldus Wimilinchenno »Fulgelarus, et in ipso castello Antwerpo tertiam partem de »illo telonio, et Heribaldus clericus mihi condonabat vel tradidit »ecclesiam aliam in pago Marsum, ubi Mosa intrat in mare, »cum appendiciis suis et marinum, unde berbices nascuntur, »et Angibaldus mihi condonabat vel tradebat villam, quae »vocatur Wadradoch in pago Texandrio super fluvio Duth- »mala, et Ansbaldus mihi condonabat vel tradebat omnem »portionem suam in villa quae vocatur Husloth in pago Texan- »drio, et Perethdinta, Deo sacrata femina, mihi condonabat »vel tradebat omnem portionem suam in villa, quae vocatur »Honcanschot, in pago Texandria, et Henricus mihi condonabat »in villa, quae vocatur Replo, et Engilbertus mihi condonabat »vel tradebat omnem portionem suam in villa, quae vocatur »Henesloth in pago Texandrio, Item quod Engilbertus mihi »condonabat vel tradebat villam integram, quae vocatur Alp- »heimso in pago Texandrio, Item Ansbaldus clericus mihi con- »donabat vel tradebat villam quae vocatur Diosna, in pago »Texandrio super fluvio Digena. Et Thietbaldus mihi con- »donabat vel tradebat ecclesiam aliquam, quae est constructa

»in villa Mulnaim, quae Araride vocatur cum appendiciis suis, »et illuster vir Hedenus mihi condonabat vel tradebat omnem »portionem suam in villa quae vocatur Armistadi super fluvio »Witheo in pago Thuringasnes. Superius nominatas et scriptas »ego Clemens Willibrordus trado atque transfundo ad illam »casam Dei superius nominatam Epternacum, vel ad illam »sanctam congregationem fratrum ibidem Deo servientium, ea »vero ratione, ut quidquid de eisdem rebus superius nominatis »facere decreverint, in omnibus habeant potestatem, ut et ibidem »omni tempore pro nostra mercede vel seniore nostro Carolo »Majore domus, seu eorum hominum, qui mihi suas res tra»diderunt, proficiat in augmentis, et illud nobis placuit inseren»dum, si fuerit ullus de heredibus vel proheredibus meis, seu »quaelibet opposita aut extranea persona, seu judiciaria potestas »qua contra hoc testamentum vel donationem meam, quam »ego Clemens Willibrordus, episcopus, sana mente plenoque »consilio et devotione integrà fieri jussi, venire aut agere vel »eam infringere voluerit, et si ista charta ei ostensa ad re»legendum fuerit praesentata, et sibi ipse exinde compescere »noluerit; imprimitus iram Dei omnipotentis incurrat, et sancto»rum angelorum, et ab omnibus ecclesiarum vel consortio »christianorum efficiatur extraneus, et habeat partem cum »Juda, qui Dominum tradidit, et cum Dathan et Abyron, quos »terra vivos deglutivit, et insuper, una cum socio, fisco auri »libras X, argenti pondus L coactus exsolvat, et quod repetit »evindicare non valeat. Actum anno VI. regnante Theo»dorico rege.«

1. Willibrordus, cui a Sergio pontifice episcopali honore inaugurato, Clementis nomen adjectum est, ut primus Epternacensis monasterii auctor, ita et instructor archimandrita fuit, quem ex Northumbrorum e Britania gente, Wiligisus pater, avito non minus genere, quam propria virtute illustris, sustulit, atque ad omnem pietatis religionisque cultum in Ripensi, benedictinorum patrum coenobio exercito, Sancto dein Egberto in Hibernia instituendum tradidit; quo demum impulsore cum delecto sociorum comitatu transmarinis sese in-

fudit regionibus, ut conceptum animo de gentium salute cum apostolis procuranda ardorem isthic latiori, quam in patriis insulis campo, promeret, quod transrhenanam Germaniam misere gentilitatis adhuc tenebris immersam cognosceret. Gravelingano igitur exceptus in Belgica portu, secum in Germaniam traduxit Sanctum Swibertum, Boructuariorum et Westphaliae postea apostolum, S. Wigbertum, in Frisonum conversione secum laborantem, ac denique martyrio coronatum, Edvaldos geminos, alterum nigrum, album alterum dictum, qui Saxoniae agros doctrina et sanguine suo irrigarunt, S. Accam, episcopum postea Lindesfarnensem, S. Willibaldum, episcopum deinde Eystatensem, atque, ut Stapletonus ait, Ratisbonensem quoque, S. Adalbertum, regis Derorum filium, archidiaconum Ultrajectinum, et monachum Epternacensem. His aliisque ejusdem consilii sociis, et adductis una, et post secutis, vir apostolicus universi per Germaniam gentilismi impietatem expugnare aggressus, postquam Romae archiepiscopus Ultrajectinus creatus esset, rebus utcunque per Frisiam constitutis, pietatis religionisque per sacra asceteria formandae firmandaeque rationem aggressus, de his per diversa loca excitandis curam iniit. Qua in re Trevirorum archiepiscopos, Irminamque cum Pipino fautores adjutoresque nactus, Epternaci, ut diximus, monasticen ipse et colere, et tradere aliis late ad viri laudatissimi famam affluentibus coepit, monasterio jam anno Christi 699 sua amplitudine evecto. Fuitque is loci amor, ut hic denique consenescere ultimosque vitae annos sacrare Deo constitutum fixumque habuerit, tanquam pater inter charissimorum filiorum, quos Deo genuerat, complexum moriturus, quod eidem ex voto jam octogesimum aetatis annum transgresso, contigit. Reliquiis isthic corporis non sine insigni miraculorum hodieque coruscantium gloria depositis, ubi gloriosae virtutis extrema vestigia fixerat. Ad quem Frisia, Hollandia, Zelandia, Flandria, Campinia, Brabantia, Geldria, Clivia, Transisulania atque Austrasia et late Germania tanquam patrem salutisque authorem vel promotorem respexit, occiduo hoc non minus sole moesta, quam oriente quondam laeta, ut

ceteris Treverica haec archidioecesis felicior censeri possit, quae raris in miraculis, propagatoque per suos hactenus eodem loci religionis cultu, nunquam sibi occidere hoc decus gloriatur.

2. Adalbertus (Albertus), quem Alcuinus, magni Caroli praeceptor, Willibrordi successorem in ipsius vitae memoria celebrat, et vino, quod forte exiguum in hilariorem coenam non sufficiebat, in lagena mirabiliter aucto, memorabilem predicat. Hunc usque ad annum 776 praefuisse per annos 37, Theodoricus tradit. Obiit 776.

3. Beonradus, cum coenobitis annos 22 praefuisset, archiepiscopus Senonum creatus est, quam tamen sedem cum monasterio simul, more ejus saeculi non raro, obtinuisse tradunt. Sane Theodoricus in pervetusto diplomate, quo Carolus magnus, prout ipse loquitur, Bernerardo vel Beonardo, sanctae Senonsis ecclesiae archiepiscopo, villas quasdam in pago Bedensi et officinas super Lesura rivo olim donatas confirmat, eum appellat rector monasterii Willibrordi, ubi tritum id de pagis Francicis eorumque situm fugisse scriptorem recentem, quilibet videat, cum angustius accepto nomine Epternacum terrae tantillum spatium pagi Bedensis longe amplissimi tractum obruisse putat, cum nos priscis literarum documentis exploratum habeamus, et vicos non paucos, et praedia ipsumque adeo monasterium cum vicino territorio in pago Bedensi collocari. Ceterum huic Beonrado vitam S. Willibrordi inscripsit Alcuinus.

Floruit hoc tempore Epternaci eximia religionis et virtutis praestantia Willehadus monachus, et primus Bremensis ecclesiae episcopus, qui Beonradi consanguineus et ex Northumbria oriundus, durissima Wittikindo, Saxonum regulo persequente perpessus, perseveravit tamen pro Christi fide inter barbaros amplificanda, caput in omne discrimen objicere, sed occasione occisis Bremae sociis, et gente magna cum pertinacia evangelio obstruente aditus, Romam apostolorum limina salutatum adiit. Hinc Epternacum tanquam in religionis portum quendam appulsus, et ad divinarum rerum contemplationem, cura omnique studio conversus, multis manu sua scriptis libris, denique ad-

junctis ad imperium Saxonibus, a Carolo Wormatiae in publico procerum conventu, ad Bremensem gubernandam ecclesiam sub annum Christi 788 accersitus est; quam ille ingenti cum animarum quaestu biennium, menses tres et amplius obtinuit. Bremae in aede S. Petri, quam exstruxerat sepultus VI. idus novembris, sanctitatis honore conspicuus. Porro Beonradum cum S. Theofrido Epternacum, positis archiepiscopatus infulis, accersiisse crediderim, qui otii et tranquillitatis desiderio huc venisse, scribit cum Stigando, Anglorum item archiepiscopo, captum amore loci, in quo S. Willibrordus quiesceret, multaque gemmis, auro argentoque illustria isthic ornamenta reliquisse, et praediorum descriptiones renovatas literis mandasse aõ 798 defunctus.

4. Ado subinde in locum subrogatus, ad 818 usque praefuit.

5. Sigvaldus, Spoletanae urbis fuisse traditur episcopus. Apud Theodoricum veteris rescripti exemplar inspeximus, quo pius Ludovicus Sigvaldo, Spoletano episcopo et abbati S. Willibrordi, tutelam addicit, et rerum securitatem. Extinctus 827.

6. Theogaudus, quem Bertelius in monasterio spartam sibi concreditam egregie exornasse statuit. Obiit 832.

7. Hetti (Hettinus), Trevericus archipraesul, abdicavit aõ 838, postquam fundis praediisque spectatis, Machtovillani, Ossevillani aliisque, iterata Ludovici regis donatione, rem auxit. Et cum in magna rectorum varietate, ne majores quidem ipsi, praelucente quoque Theodorico erudito monacho, annorum et historiae rationem perfecte constitutam habuerint, nos certe ex hac partitione temporum summam eam 109 annorum a Willibrordi morte censuimus, quam septem abbates explesse perpetua serie Theodoricus memoriae prodidit. Sed quae rerum mortalium summa inconstantia est! Ducibus a regum clientibus oculum denique cupiditatis ad tanti monasterii amplitudinem et vectigalia adjicientibus, quae utriusque Pipini et Caroli filiorumque et nepotum ac illustrium hominum munificentia jam se sustulerant in immensum, monasterii disciplina valere jussa illico prolapsa sunt. Postquam canonicorum colonia deducta ipsi reges occupavere monasterium; mandata provincia

praepositis ferme regendi coenobium, idque vivendi genus ad annos 125 istic haesisse, literis antiquorum traditur.

8. Hieronymus monachusne, an saecularis, incertum quibusdam: ego illud cum Theodorico tuebor. Vitam finiit 848.

9. Adelardus I. comes Lotharingiae, saecularis vitae, sacris manum perniciose admovit. Ne tamen profanis omnia manibus pessumdarentur, canonicos introduxit, qui sub praepositis vixere, ex quibus,

Guntramus, Hilgerus ac Paulus, sub praepositorum nomine censentur. Adelhardus interea 856 vita abiit.

10. Hatto, episcopus, abbatis beneficio et opibus fruitur usque ad annum salutis 864.

11. Reginerus, Lotharingiae comes, obiit 871.

12. Carlomannus, Caroli calvi filius, qui a parente ob dissolutam in clericali statu vitam, et insidias Carolo patri structas, captus, et oculorum amissione mulctatus, cum ad Ludovicum patruum confugisset, ille sortem aerumnosi nepotis miseratus (verbis Reginonis ad annum Christi 870 loquor) Asternacum monasterium S. Willibrordi, ei ad subsidium vitae praesentis concessit; ibi non multo post tempore, ão 878, mortuus et sepultus est.

13. Adelardus II. comes Lotharingiae, abbatis proventibus alitus, Folricum et Hemeradum praepositi titulo praefecit. Aõ 889.

14. Robertus comes, a Theodorico notatus, a Bertelio praeteritus, forte idcirco quod annos apud Theodoricum abundare cerneret; sed haec aberratio levior est, quam ut personae sint eliminandae. Sub hoc Helingandus et Hilduinus, praepositi, ão 896.

15. Ratbodus, Treverorum archiepiscopus, quem, quia catalogus editus, neque bono suo neque malo commendatum priscis existimat, laudo recuperatorem eorum, quae regia licentia jam pessum ibant. Nam diploma Zwendeboldi regis citant majores, quo dilecto archiepiscopo et summo cancellario suo Ratbodo anno regni primo condonavit, et concessit ea, quae Sancti Willibrordi monasterium a decessoribus acceperat,

et inter possessiones alias exprimuntur notissimae, Bollendorffia et ecclesia Croviae, apud Mosellam. Superstes Radboni

16. Reginerus, vel Reginhardus, dux et comes, qui coenobium item egregiis praediorum vectigalibus auxisse traditur, in quibus numerantur Bergen, Rodenbachium, Waderlo, Thremethin. Verum insigne de Reginhardo et praediorum istorum conditione documentum nobis ecclesiae Fuldensis pancharta suppeditavit, unde manifestum fiat, permutatione factam illam accessionem Ludovico, quarto ejus nominis rege, Arnulphi filio, et remedium animae pii genitoris in contractum adstipulante, et arbitris adscitis Hattone, Erckenbaldo, Rudolpho et Tutone, venerabilibus episcopis. Contrahentium nomina fere sic exprimuntur: Huogki, Fuldensis coenobii venerabilis abbas, et legatus Reginhardi, religiosi comitis et abbatis coenobii Esternach dicti, in honorem S. Willibrordi exstructi. At fundi permutandi hinc subjiciuntur, primum Fuldensis monasterii in pago Notasgouvie siti, Berge, Werde, et in Muselgouue Rotinbach, inde ad Esternachum pertinentes, qui Fuldensibus cessuri, in pagis Salegouve et Werengouve, Staffenhusen, Thusenstat, Widorff &c. Datum XIII. calendis aprilis anno Ludovici regis VIII., indictione X. actum in loco Fuldensi.

17. Berengandus, praepositus, suos annos seorsim habet annotatos — 905 obiit.

18. Giselbertus dux Lotharingiae, Regineri frater, magni Ottonis sorori matrimonio junctus, sub quo praepositi canonicorum fuere Godewinus et Herinus. Ei longe majorem aetatem Theodoricus attribuit, sed nos aut mendum subesse, aut cum praepositis omnino partiendum rati, ejus obitus annum in 939 cum Reginonis supplemento contulimus.

19. Hermannus, ejusdem Lotharingiae dux, successit, cui

20. Sigfridus, ex eadem, ut apparet, familia, ultimo est surrogatus, usque ad annum 974. Atque ad hunc modum annis omnino 125, ut Theodoricus statuit, ab Hieronymi abbatis obitu a canonicis in hoc coenobio exactis vel translatis, visum denique anno 974 imperatori Ottoni magno, Sigifrido duce postulante, ac cedente, monasticam ab exilio revocare,

et pristinis propriisque indigenis ac primigeniae religioni restituere domicilium, quod solemni institutione Magdenburgi in comitio procerum imperii peractum est. — Laudem asserti primaevae familiae monasterii Bertelius Sigifrido Luzenburgensi comiti tribuit, quem loci advocatum fuisse, imo regia donatione loco beneficii abbatiam obtinuisse et rexisse fatetur. Theodoricus ducem fuisse Sigfridum memorat, non alio, ut apparet, argumento, quam quod ducum ipse filius. Extat vero privilegium, quo religiosis potestas facta est ab Ottone, suo ex corpore abbatem eligendi, quoque Sigfridus comes suo se jure abire testatur.

21. Ravangerus, qui ao 974 abbas institutus, veteres excolere monachorum ritus, legesque S. Benedicti exercere coepit, magnaque principum Ottonum gratia felix et longaevus, maculam superioris aetatis desidia contractam abstersit, et postquam 40 monachis annis 33 praefuisset, obiit ao 1007.

22. Uroldus, successor, huic non impar artibus regendi, sed non perinde fortunatus; quippe Christi Domini anno 1017 coenobium incendio vasto atque exitiali periit, eaque clades tam tristis in annum Uroldi decimum incidit, approbante fidem versu, qui tumulo inscriptus fuit:

Flamma vorax templi sedes consumpsit et aedes,
Anno cum decimo praefuit a minimo.

Ipse vero uno et viginti annis magistratum functus, postquam aedes rursum ex cineribus coepisset erigere, in hoc opere flamma libidinis correptus, non sine plurium offensione exarsit, adeoque loco motus, ad Weissenburgum, Alsatiae monasterium transiens, quinquennium supervixit, cujus rei etiam fidem epitaphio debemus:

Deinde loco cedens annis quoque quinque recedens,
Se voluit soli credere Leucopoli.

Caeterum Sancto Henrico imperatore, ceu Hercule quodam monstrorum domitore, passim profligatis nequitiae pestibus, monasticae salutem afferente, ubi is abbatem hujus loci ab armatis imperii obsequiis exemit, jusque cudendae monetae ab

Ottone III. indultum confirmavit. Denique S. Popponis, Stabulensis abbatis, consilio,

23. Humbertus ex S. Maximini coenobio ad Epternacensis gubernacula provectus est, de quo in actis ejusdem Popponis. Eo coetum regente inchoata sub Uroldo templi structura consumata est, et anno 1031, XIV. calend. novembris aedem Poppo archiepiscopus solemni ritu, Henrico Bojoariae duce praesente, consecravit, quo tempore S. Willibrordi corpus elevatum, non sine miraculis et coelestis odoris afflatu, in novam basilicam translatum est. De Humberto extat memoria in S. Maximini antiquis calendariis: »Humbertus abbas S. Willi»brordi presbyter, et minimus nostrae congregationis, qui »religionem et monasterium ibidem reparavit.« Neglectam enim disciplinam monasticam suae restituit integritati, ratus praecipuam spirituali huic aedificio curam deberi. Inde munere et vita functus est anno 1051.

24. Reginbertus successit, qui caste pureque vita transacta, ceu e corpore evolans, multas saepe res coelestes vidit, earumque locos et sententias Theofrido discipulo describendas reliquit, et vero, ut ex antiquis donationum monumentis discere licet, tum jus amissum plurium ecclesiarum Bataviae a Wilhelmo Ultrajectensi praesule recuperavit, tum ão 1067 et magistratus initi 16. a Gerardo Alsato, Lotharingiae superioris et Mosellanorum duce possessiones alias hac lege sibi quaesivit, ut Haduvidis conjugis, Theodorici filii, Gerardi patris, et Gislae matris anniversariam coetus monasticus memoriam perageret, quae ita nobis obiter sunt annotata, quo et temporum distinctio clarius percipiatur, tum etiam palam fiat, qua diligentia et fide res Lotharingiae ducum a nuperis scriptoribus sint memoriae mandatae. Reginbertum quoque ão 1060 mitrae jus et infularum adeptum ab Alexandro pontifice perhibent; victus quoque domestici portiones locupletavit, ut indigentiae querelas plerumque adjunctas tolleret, adjutore etiam in successione admisso opportune monasterio vivens consuluit. Caeterum ão 1059 ex objecti quondam superni visi specie anniversariam venerationis reliquiarum Epternacensis ecclesiae

memoriam instituit, quae jam XVII. calend. decembris frequentatur. Denique post annos 30 regiminis, Christi 1081, vita functus excessit.

25. Thietfridus sive Theofridus, abbas post aliquam cum aemulo disceptationem, Romana sententia et investitura creatus est. Vir rara in coetu tuendo fuit vigilantia, ingenii vero dotibus excellens, quod ipse variis librorum monumentis, et prosa et stricta numeris oratione conscriptis, testatum fecit; extatque Treveris manuscriptum, in quo vita S. Willibrordi continetur, Epternaci vero alia leonino versu tribus comprehensa libris, quam ab hoc Theofrido vel Thietfrido concinnatam arguit epigraphe emblematis, quod supplex de Willibrordo visitur:

Thietfrid verna tuus Willibrord hoc dedico munus,
Pauperis ingenii tibi promo volumen honori.
Siquid desipui veniam da, te tua scripsi:
In libro vitae me laus mea, spes mea scribe.

Parentavit Bruno Treverensis archiepiscopus defuncto, cui libros quatuor insigni eruditione abs se elaboratos inscripserat: de floribus epitaphii Sanctorum, qui commentarius manuscriptus extat Epternaci, cum S. Willibrordi rebus gestis, ab eodem prosa conscriptis, atque huic Theofrido D. Willibrordi posthuma miracula et alias complures res gestas posteri debebunt, quae Belgicae et Trevericae anterioris aetatis antiquitatae illustrandae plurimum conducunt. Ut vero id eruditionis, sic religiosae disciplinae reique domesticae locupletandae curam non deposuit, allodialibus juxta Alsdorff bonis monasterio adjectis. Demum post annos praefecturae 28, anno salutis 1110 nonis aprilis defunctus.

26. Gerardus I. ão 1122 Henrici V. imperatoris et Brunonis archiepiscopi jussu, ob damna ingentia rei familiari illata, post duodecim suae praefecturae annos, quibus ad saecularium usum multa transtulit, ceu parum frugi tandem exauctoratus est.

27. Godefridus I. ad hujus monasterii imperia moderatius habenda delectus, prudenter et magno rei monasticae commodo, magistratum hic gerens, ad res Prumiensis coenobii

gubernandas etiam admotus est; cumque duodecim annis de Prumiensibus bene meritus, ab illis denique repudiatus esset, veneno etiam, ut sensit, ab aemulis sibi propinato cessit, quamque illic invisus, tam hic charus, post triginta tres regiminis annos, mortalitatem anno 1155 explevit. Huic tale posteritas epitaphium reliquit:

> Quod caro sit vermis, quod homo sit pulvis inermis,
> Approbat illud homo verme scatens in humo.
> Hunc pater ad mortem Godefridus carnis honorem
> Qui fugit, ut fumus mutat et hic fit humus.
> Provida mens, habilis complexio, sanguis herilis,
> Huic dederant aditum culminis ad meritum:
> Sed geminos Phoebus cum scanderet octo diebus,
> Carnis deliquio, transiit e medio.
> Annis ter denis, et quatuor haud modo plenis,
> Abbatis titulo functus, inest tumulo.
> Ast homo, qui cineris sors, hic dum vivus haberis,
> Ad cineres hominis vota fer ipse cinis.

28. Gerardus II. rursus parum auspicatum Epternacensibus nomen, variis incommodis jactatus, abdicavit ão 1171, postquam rexisset annis 24. Conatus est hunc in suam redigere potestatem, sub Friderico imperatore, Hillinus archiepiscopus, ut scripto manus ipsius constat, quo fidem et obedientiam archiepiscopo inconsulte addixit. Quae res a monasticis improbata, difficultatem deinde non levem peperit, et Joanni, postea archiepiscopo, spem injecit, abbatiae sibi vendicandae; qua tamen post varias concertationes depulsus, suam Epternacensibus coactus est restituere libertatem, ut mox intelligemus.

29. Ludovicus I. qui Treviris S. Matthiae et hic S. Willibrordi conventus simul abbas gubernasse videtur; prius ex iis quae diximus, satis liquet, posterius hujus monasterii traditione compertum. Porro Epternaci octo duntaxat annos substitit, eique ão 1181, Theodorico teste, subrogatus ejus sacellanus est, ipse vero Trevirim ad S. Matthiam se recepit, utique fugiens controversiarum nuper subnascentium.

30. Godefridus II. successit. Huic ingenii sui monumenta, quae aurei libri titulo nota sunt, consecravit Theodoricus anno

1191, eumque ipsum annum ordinationis Godefridi testatur fuisse decimum. Praefuit autem Godefridus 28 annis. Porro Godefrido huic magnum cum Joanne archiepiscopo Trevirensi certamen fuit, qui cum in celebri Wormatiensi conventu ab Henrico imperatore abbatiam prope impetrasset, cum Nassovici castri oblata permutatione, Godefridus, qui Joannis beneficio monasterium S. Matthiae tenebat, intercessit contractui, et Henrico Luxemburgensi comite, advocato, tum Conrado archiepiscopo Moguntinensi, monachisque pro libertate nitentibus, imperator pacta conventa rescidit. Joannes archiepiscopus Godefridum S. Matthiae abbatia dimovit, monasterium vero Epternacense in caesaris potestate duravit, pristinis ipsius privilegiis ab Henrico confirmatis, Godefridus etiam amplificatis coenobii rebus, sua in Rachtig, Wolfen, Erdenem, Rile et Enckeringen bona cum decimis, salictumque in Meckel et Osweiler ecclesiae contulit, tectumque ejus plumbo instravit. Defunctus ão 1210.

31. Bartholomaeus, sub quo anniversarii quorundam dies locupleti consensu fundati, festumque D. Catharinae solemni in ecclesia ritu est institutum. Obiit ão 1231, anniversaria sui memoria etiam relicta.

32. Reinerus II. qui ab imperatore submissus, et a Theodorico Trevirorum antistite ritu prisco inauguratus. Hic festum annunciationis Deiparae solemni ritu ac processione celebrandum indixit. Occ. 1235. Moritur anno salutis 1242.

33. Arnoldus. Laude magistratus rite peracti non obscurus, nam gravi 400 librarum aere obligatum monasterium solvit, lautioresque religiosis ciborum portiones praebendas constituit. Ambitus coenobii egregio ornatu auxit. Occ. 1246. Mortuus ão 1269.

34. Henricus I. Gallicus, successor, vita et munere abiit ão 1270.

35. Richardus, pro infirmariae redditibus amplificandis sollicitus, anniversariam quoque defunctorum fratrum, quot mensibus per tres ferias commemorationem cum lautioris mensae solatio instituit. Occ. 1283, 1284. Defunctus ipse 1296.

36. Ludovicus II. qui ad vestium calceorumque subsidium censum fratribus ordinavit, obiitque 1298.

37. Henricus II. a Schöneck, qui primus advocatorum enervata tutela rerum gerendarum arbitria ceu cliens ab imperatore accepit, monasterio oppidoque in feudum admisso. Civilia munia vectigalium titulo decorus ipse administrare coepit, sed speciosius, quam utilius eam provinciam ad posteros transmisit. Observo tamen in Henrici VI. caesaris rescripto investituram abbatis longe ante fuisse frequentatam, quam Joannes archiepiscopus cum Godefrido litigavit. Occ. 1312, 1315, 1316. Fato functus ão 1324.

38. Arnoldus II. a Balduino archiepiscopo Treverensi, comite Luxemburgico, abbas consecratus, a Ludovico Bavaro Epternaci dominus salutatus, in actis Balduini ad annum 1324 legi; ordinavit monasterium Epternacense, et eidem ecclesiam puta parochialem incorporavit ão 1330. Egregia hic laude, vir devotus, pacis cultor, mansuetudine ac verecundia insignis, tam sui commodi negligens, quam aliorum studiosus, praedicatur. Abiit ad immortales 1329.

39. Theodoricus de Arle, qui et ab eodem praesule dignitatis confirmationem, quanquam serius ob belli tempestatem adeptus est; undecim autem annis in hoc munere decursis, decessit. Jactatus ipse incivili tumultu incolarum, qui tantum non monasterii septa flammis abolitum ibant; hoc praemium nactus suae reconciliationis, qua cives a scabinis male divulsos studuit componere, cum pro aequitate scabinis faveret. Bello quoque Metensi cum Rodenbachio episcopus infestus immineret, vetustissimi juris Bergense praedium funditus eversum est; licet Epternacensibus extra hanc controversiam stantibus. Instauravit tamen illa, qua erat industria, et damna haec, et res ecclesiae monasteriique suis redditibus auxit. Quaterna etiam quot hebdomadis sacrificia, in suae decessorumque suorum animae solatium constituit, proventibus suis firmata. Denique senex, reluctantibus universis, pedum deposuit, alterique ão 1340 locum cessit. — Anno 1330 conditum Epternaci perhibent virginum monasterium S. Clarae titulo notum, ab

opulento urbis Trevericae cive, Petro Saraceno, quod primum a Juliana, ejus filia, gubernatum, inde per ingenuae ac nobilis plurimum stirpis antistites ad haec usque tempora propagatum est, quarum indicem Joannes Bertelius luce donavit. Theodoricus occ. 1330—1335.

40. Joannes de Winningen, Theodorici ex sorore nepos, qui prudentia, vigilantia ac devotione celebris, āō 1353 fato cessit. Occ. 1346. Quo gubernante parochia Epternacensis abbatiae a summo pontifice, assentiente Balduino archiepiscopo, incorporata est anno 1350.

41. Joannes II. de Novavilla, electus 8. octobris 1353, cujus item ob dissidium obscurior memoria, nam in eligentium et suffragantium magno dissensu, quod Henricus ab Arle coenobitarum suffragiis adversus Joannem staret comparatus, qui Innocentii pontificis authoritate submissus erat, donec āō 1359 Cuno archiepiscopus inter abbatem et conventum exortam litem composuit. Sed non multo post superstes fuit, nam āō 1362 mors ambitionem rupit.

42. Wilhelmus, e Kerpenatum gente. Is eodem anno 1362 a Carolo IV. ritu solemni beneficiis regalibus affectus scribitur, sed parum diuturno fructu dignitatis, cum anno salutis 1372 fractus laboribus, succubuit oneri. Occ. 1365, 1371. Interea duo novum certamen ineunt, infulas jam principali fastigio chariores pertinacius ambientes, videlicet,

43. Harduinus Waldeci comes, et Philippus Humburgius: posterior tamen āō 1375 humanis ereptus, antequam stabilita dignitas, eique successit, primum male quietus, āō 1377,

44. Robertus, qui āō 1377 competitore Harduino amisso, et lite ob pensionis solutionem cum archiepiscopo Cunone inita, relictaque, āō 1379 vitam pedumque coactus deseruit.

45. Wiricus Achtenbachius, Urbani VI. authoritate ingressus est, et ab eo Carolo IV. imperatori commendatus, a Wenceslao Romanorum rege regalia consecutus; qui postquam singulari industria res sui monasterii stabilire aggressus esset, mors āō 1400 filum abrupit.

46. Petrus a Gymnich, nutu Bonifacii IX. Wirici nepos, surrogatur, a quo ad vasallos et ministeriales Epternacensium recipiendi Petrum, obsequendique eidem sub poena excommunicationis mandatum tulit. A Wenceslao decoratus regalibus, moritur aõ 1414.

47. Nicolaus de Gymnich, ejusdem sanguinis, Confluentiae a Sigismundo caesare solemnia vestiturae retulit, ac sedulo munere functus, eodem anno 1434 defungitur.

48. Petrus ab Hubeyn vel Hubingen, qui auctis abbatiae et monasterii vectigalibus tam aliorum donatione, quam sua industria, tum festis D. Benedicti cum lautiore mensa solennius institutis, obiit 1437. Ottoni archiepiscopo promittit fidelitatem et obedientiam 1418 feria 6. post cineres.

49. Winandus de Glewel. Is adversarium expertus Wilhelmum ab Helmstatt, S. Martini apud Treviros abbatem, qui ex Petri promisso, honorem hunc gestiebat adire; sed concilii Basiliensis authoritate pervicit tandem Winandus, annua pensione Wilhelmo cessa, ac tranquille munus suum adiit, at non implevit, civibus domesticisque praesulis aequitatem juxta aversantibus. Sub eo Epternacum prope totum memorabili incendio conflagravit, monasterio aegre a flammis vendicato, relictumque in manuscriptis a Winando fuit, septem vini Mosellanici plaustra eo tempore ex abbatia ad levandam sitim laborantium esse impensa. Obiit aõ 1462.

50. Colinus Plick de Oirwick, Francisco fratre munus recusante, successit, at Colino mortuo circa annum 1474, cum in Franciscum Plick secundo inclinant suffragia, ac denique votis eligentium assentiretur, varia competitoris arte jactatus est.

51. Jacobus Fay de Novocastro enim ambitione per variorum coenobiorum praefecturas grassatus, in hunc etiam se locum conjecit, et magni patroni, Claudii de Neufchâtel domini in Fay, gratia, qui Luxemburgiis pro Maximiliano jus dicebat, Sancti Vincentii Metis, monasterii B. M. V. Luxemburgi, atque Epternaci denique simul mitram gessit, Francisco per diuturnos litis anfractus pene ad mutas redacto. Jacobus juramentum

reverentiae et obedientiae praestitit Trevirorum archiepiscopo aõ 1488, more Trevirensi.

52. Burkardus Boisswin de Novocastro, ceu litis interregno administrator institutus, Jacobo vita functo aõ 1489, post probatam omnibus industriam integritatemque, tandem monachorum etiam suffragiis coaptatus, anno 1490, abbatis nomen justosque titulos gessit, juramentumque praestitit die S. Aegidio sacrato 1490. Anno vero administrationis suae sexto, vitiosos et licentia longa coalitos pravos coenobitarum mores ad severiores instituti leges exegit, sed plerisque ut solet, obnitentibus, faventibusque aliis, ex monasterio D. Maximini assumptis praeclari operis adjutoribus, pervicit denique, privatisque multorum domiciliis, mensisque eversis, commune omnibus erexit refectorium, quo ad mensam convenirent; coenobiumque a curia abbatiali separavit, reliquosque murorum custodia septos, qua humanitate, qua cohortatione sedula ad religiosae vitae continentiam reduxit, donec aõ 1506 meritorum plenus quiesceret.

53. Rupertus a Monreal, nobili genere, Burkardi successor, juravit 30. martii 1507, anno, quo a Julio II. pontifice confirmatus est. Cum coenobium magis auctum operibus, deinde optimis artibus, summa cum utilitate tribus et triginta circiter annis gubernasset, morienti a coenobitis 5. maji antiquo ritu suffragiorum suffectus aõ 1539,

54. Matthias de Lutzeradt, qui juramentum praestitit 16. augusti 1539, sed eventu parum secundo, quippe Willibrordo, monacho ambitioso contraveniente eum, electionis ceu vitio factae robur excutitur a Belgico magistratu; exemplo novo cooptatur, atque immittitur Caroli caesaris, Belgarum domini, munitus literis et ingenti comitatu stipatus peregrinus hospes, Godefridus de Asperomonte, qui cum portis occupatis ad interiora coenobii penetrasset, conterritus Matthias per fenestram fuga elapsus est, primumque inter familiares, ac Treveris, denique in vico Dreysensi, qui Epternacensis juris erat, substitit, donec peste aõ 1542 correptus, vitam exulem

conclusit, coenobitis mox ad electionem praelati alterius, quem inviso sibi suisque Godefrido opponerent, studiose coeuntibus.

55. Jacobus a veteri Ebersteinio (vom Alten Eberstein) igitur concordibus suffragantium religiosorum votis substituitur; verum eadem ille cum Godefrido diu jactatus controversia, quod is regio favore subnixus, inexpugnabili lite adversarios urgeret, Mediolacensis abbatiae gubernacula delata admisit, cessitque paciscenti secum antagonistae.

56. Godefridus III. Asprimontanus itaque indulgente summo pontifice abbatiali mitra donatus, vix triennali honore pacate fruitus, diutina infirmitate jactatus, post mutata nequicquam ad salubriorem aërem captandum loca, disciplina domi neglecta, ão 1562 fatis urgentibus vita et praesulatu depulsus est, ipsa pentecostes nocte immortalibus adscriptus. Subinde pontificio indulto, quod Carolus V. obtinuerat per Belgium, ad Margaritam, Belgii id temporis gubernatricem hoc electionis arbitrium certis legibus delatum est, quo hodiedum inter aliquot a religiosis praepositos recturum Belgii proceres Hispaniarum regis nomine designant, evenitque id temporis, cum varii per Belgium episcopatus ad obstruendam haeresi grassanti viam erigerentur, ut Egmundana abbatia Harlemensi episcopo recens instituto tribueretur, ideoque ne hujus loci abbas omni fortuna excideret, Epternacensi praelaturae admotus est. Is fuit;

57. Antonius Hoveus, qui juravit 13. junii 1564. Vir rara humaniorum imprimis literarum eruditione clarus, qui quód Egmundana jam mitra donatus esset, pontificias confirmatae apud Epternates dignitatis literas neglexit, nec episcopali inauguratus benedictione fuit, ratus parciturum se impensis, dignitatemque cum persona transmigrasse, sed frustra, cum successori pretio impensarum duplicato haec negligentia fuerit luenda. Procera viri statura ingeniumque, doctrina cum egregia tum dicendi tum scribendi facultate conjuncta, authoritatem aestimationemque apud omnes conciliabant; inter Belgii scriptores illustres elogium in classe vatum sacrorum

castorumque promeritus de arte amandi Deum, ut Ovidium obrueret, non infeliciter lusisse videtur. Praeterquam dialogum de sui saeculi calamitatibus dignum lectu concinnavit. Epitaphium quoque, quod sibi vivus condidit, anno 1568 ad 6. sept. mortuus, tale obtinet:

Hic jacet aetherei praeceptor amoris Hoveus
    Exspectatque sui judicis ora Dei.
Urna ferat flores et vernent tempora circum
    Corpus humi recubet, mens colat astra poli (vel alta polos).

58. Martinus Masius, celebri apud Brabantos familia rusticolarum natus, post decimum vacationis mensem abbatialem Epternaci sedem tenuit, qui viginti annorum adolescens coenobio Affligemiensi susceptus, postque annorum aliquot probatam religionis indolem Mersensi benedictinorum haud procul Trajecto praepositurae cum laude admotus; postquam haec voluntate regis, Ruraemundano episcopo accessisset, Masius cedens Epternacensem mitram tulit anno salutis 1569 (juravit 18. martii 1575), quam doctrina et virtute tum indefesso labore, quo et ruentem domum novis fulcire aedificiis, et religiosam exemplo ac monitis disciplinam urgere visus, ad annum 1585, junii diem 20. sustinuit. Cujus hoc epitaphium vitae epitomen complectitur.

Heu quid mortalis quid in his mortalibus oris
    Quaeris? adest tacito mors inopina pede.
Masius est testis, quondam venerabilis abbas,
    Vir cui vita decus, gloria Christus erat.
Vir pietatis honos, fidei patronus avitae,
    Exemplum cleri religionis amor.
Quam bonus auxilio, quam praestans rebus agendis,
    Dic Affliginium, vir venerandus erat.
Hoc duce justitiae viguit decus, hoc duce virtus
    Maxima te tenuit sana, vetusque fides.
Quae fuerit pietas, fidei quis fervor avitae
    Mersica juxta Mosam praepositura docet.
Haec eademque domus testis, cui praefuit annis
    Vir sex atque decem sedulitate pari.
Pacis amans, aequi cupidus, studiosus honesti,
    Dux benedictini pastor et umbra gregis.

Ergo sex decies et quinque peractis,
    Clauditur inferius contumulatus humo.
Qui subis in sacri quocirca limina templi,
    Dicere non sit onus, molliter ossa cubent.

Quod a successore positum, sanctiori concludi voto potuisset; carmen caetera non impolitum.

59. Joannes III. Gladtius subinde, Luxenburgico satus agro, a rege Hispaniarum nominatus successit, cujus vita minori regiminis periodo stringitur, quam tamen recte administrata et defensa jurisdictionis laude implevit. Infeudatus 9. maji 1590, sepultus est anno 1594 in tumulo antecessoris Winandi Glewel, quem locum sibi vivus aptaverat.

60. Joannes Bertelius, Lovaniensis, a Philippo II. Hispaniarum rege, anno proxime sequenti ex Münsteriensi D. M. apud Luxenburgicos abbatia ad hanc translatus est. Res Luxenburgensium historico complexus scripto laudem tulit, majorem habiturus, si par diligentiae fides esset; caeterum insignem patientiae campum nactus, aerumnas capti secum spoliatique ab Hollandis monasterii sustinuit, nec ante libertati restitutus est, quam ingenti sedecim millium dalerorum imperalium aere se suumque monasterium redimeret, qua calamitate religiosorum fortunae haud leviter afflictae, Bertelio tandem 19. julii 1607 expirante, sub navo admodum gubernatore respirare coeperunt.

61. Petrus Richardotus enim, Joannis Richardoti, sanctioris nuper apud Belgas consilii praesidis filius, anno 1607 deficiente, aetatis suae 32, Vedastino excitus Belgarum monasterio, in quo jam septennis puer erat institutus, Epternacensibus praefectus a Belgii principibus fuit, jam ante diversis muneribus praeclare functus, et velut per gradus ad infulam educatus, moxque ut virtute bullae et confirmationis pontificiae, ab episcopo Azotensi Trevirorum suffraganeo, pedo mitraque inauguratus fuit. Ad aeris alieni, quo monasterium gravabatur, solutionem industriam omnem vertit, adeo feliciter, ut hoc brevi excusso onere altera parte religiosorum, quos tantum censebat, coenobium auxerit, ne disciplina pietasque monastica

paucorum cultu labefactaretur, suae ipse praevius ad optima quaeque religionis officia ducebat exemplo, caeteros in choro cum domi versaretur, assiduus, in mensa frugalis, in conversatione tam benignus bonis, quam asper discolis. Templi, monasterii, nosocomii, aliarumque domus partium instaurandarum adeo sedulus munificusque, ut non ad exhaustum, sed locuples aerarium accessisse credi posset, sed perita oeconomiae administratione hanc rerum indigentiam pensavit. Intercepit hunc tamen cursum munificentiae subinde hostilis vis atque injuria, quam nunc consilio ac prudentia ipsis hostibus suspicienda, nunc armata etiam auxiliantium prece avertit, in variis legationibus tam suorum, quam patriae gratia versatus, plurimum ubique ad persuadendum valere compertus est. Interea generosam fortemque animam imbecilli circumferebat in corpore, sicquidem pluribus hoc morbis obnoxium ophtalmia, caumate, tenasmo et arthitride conflictabatur, nec tamen a consuetis pietatis officiis, aut foris in itineribus, aut domi in choro deesse visus, huc etiam cum pedes jam fractum morbis laboribusque corpus ferre recusarent, solitus deferri, quod in extremo illi morbo saepius usitatum, ut sua coram Deo ferventius vota depromeret, quando et societatis Jesu patribus Treviris ad se evocatis, pro ultimo animae remedio solatioque conscientiae secrèta magno devotionis sensu aperuit, leviaque etiam vitae delicta, uberi lacrymarum profusione expiavit, jam aliud nihil desiderans, quam dissolvi cum Paulo et esse cum Christo, quod praevia ardentissima ad suos oratione, qua et suarum offensionum, si quos laesisset, veniam precatus, et ad constantem Dei cultum fraternamque concordiam omnes cohortatus, die 14. februarii 1628 creditur assecutus. Hoc illi praeter alia chronodisticho ad summam S. Willibrordi aram sepultò, parentatum est:

bIs septeM profert febrVarIVs aethere phoebos
forte rIChardotVs PetrVs Vt astra tenet.

62. Petrus Fischius, Luxenburgicus, academica apud Treviros disciplina ad eruditionem pietatemque egregiam in-

structus, et a Richardoto anno 1612 ipsa festivitate assumptae ad coelum Deiparae bono admissus omine primus est, post ipsum futurus inter Epternates eodem ex monasterii gremio primus, sicquidem et suorum religiosorum suffragiis et ordinibus Luxenburgicis hunc sibi perspectae jam prudentiae virtutisque virum praestantibus, Isabella Belgarum gubernatrix assensit. Mox Treviris ão 1629 juxta apostolicae bullae tenorem ab episcopo Azotensi consecratus, incolis accolisque plaudentibus. Antecessoris Petri sui Petrus alter, pari religionis zelo vestigia pressit, caeptumque non templi minus quam coenobii instaurandi a Richardoto opus strenue est prosecutus. Qua se munificentia ad sacella Divorum, imprimis D. Virginis et S. Sebastiani illustranda, foris etiam effudit, quin et ad senatoriam in foro Epternacensi curiam tanquam oppidi dominus et ad magnificas Treviri aedes, tam ad usus suorum gymnasticos, quam oportunum refugii diversorium, et denique ad locupletem voluminibus librorum bibliothecam augendam atque ornandam animum manumque adjecit, cumque sentiret, pietati recte divinarum rerum studia conjungi. Theologicam domesticis ab introducto doctore tradi scientiam voluit, quam et ipse non raro inter discipulos auditor considens suo exemplo ductuque suadebat, nec contemnenda tum ejus asceterii erat juventus, quam ipse duplicato pene numero auctiorem oeconomica felix industria fecerat, rebus egregie crescentibus. Donec hostilis denique vis atque injuria hunc conatum interverteret, quando tamen hoc, quidquid a domesticorum necessitate levanda supererat, id totum liberali adeo in pauperes manu effudit, ut nonnullis suorum visum sit, dum aliorum consuleret indigentiae, propriam evadere vix posse. Verum divina factum providentia est, ut, quantumcunque ex granario in egenos profunderet, vix quidquam inde tamen cum admiratione religiosorum id spectantium decessisse compertum sit. Interea tam in se ipsum parcus, quam in opera pietatis aliosque profusus, sibi uni suffurari risus est, quod pluribus largiretur; donec postremo hostilibus rursum turmis ingruentibus, cum priore monasterii capto pleraque amissa fuere: qua tamen calamitate redemto

ingenti litro priore, invicta inter prospera adversaque animi constantia non potuit deturbari, donec mors denique apoplexia victum anno 1657 martii die 15. prosterneret.

63. Richardus Paschasius ab illius funere per Joannem Austriacum, Belgii id temporis gubernatorem nominatus, anno insequenti ad XII. calend. augusti a pontifice confirmatus, ritu prisco ab episcopo Azotensi consecratus est (juravit 17. sept. 1658). Vir qui jam ante in prioratus sui munere pie religioseque versatus, hanc castigatae vitae disciplinam in se suisque, exiguo illo, quo praefuit, annorum curriculo, egregie tuitus est; qui ut quiete feliciterque, Pyrenea inter Gallos Hispanosque durante pace, novennium sui decurrit regiminis, ita jam stanti in vitae limine incumbentis e Gallia belli anhelum senio virum nonnihil turbavit, Trevirosque Epternaco fugientem mortis fato ultimo ex asthmate oppressum, ad palmam laborum Deo stitit 14. junii 1667, sepultum in aede S. Irminae, Epternacensium jam olim patronae.

64. Philippus de la Neuveforge, regii apud Luxenburgicos consiliarii filius, jam diu suorum religiosorum suffragiis ante Paschasium etiam praeoptatus, nunc eodem anno favente Belgio, Romaque confirmante surrogatus, suo hunc merito honorem capessivit, quod jam ante prior, ut domesticam monastices disciplinam, ita res ac jura monasterii periclitantia foris strenue juxta feliciterque propugnavit, legationibus ad Hollandos Gallosque laudabiliter obitis. Inauguratus Treviris coram eminentissimo electore principe, more majorum indultoque Clementis pontificis ab episcopo Azotensi, Joanne Hollero, 7. januarii 1668, perque varias hujus belli turbas cladesque ad patientiam exercitatus. — Obiit abbas ille 10. septembris 1684.

65. Willibrordus Hotton, juravit 16. octobris 1685, eodemque die ab Joanne Hugone, archiepiscopo Trevirorum, vi delegationis perpetuae imperialis, recepit regalia, temporalia et feuda quaecunque monasterii sui. Obiit anno 1693; multa passus Gallorum vi et in captivitatem abductus a Brandenburgicis.

66. Benedictus Zender, electus ão 1694, annoque 1717 defunctus.

67. Matthias Hartz, installatus et benedictus anno 1718, obiit anno 1728.

68. Gregorius Schouppe, electus 1728, investituram accepit ab electore Trevirensi, Francisco Georgio, die 8. februarii 1730, obiitque ão 1751.

69. Michael Hormann, occ. 1751—1775, juramentum fidelitatis praestat Francisco Georgio archiepiscopo 9. maji 1753.

70. Emanuel Limpach, electus 1775, defunctus 1793, initio mensis septembris; post illum Bernardus Binsfeld, prior, abbatis vices gessit.

Reliquiae Sanctorum.

S. Willibrordi reliquiae cum ejus tumulo sub ara summa recondito, magna hominum frequentia et pietate, ut alibi vidimus, invisuntur, ubi etiam de miraculis, et recepta multorum ex sacri ejus fontis usu sanitate meminimus, qui sub ara juxta tumulum scaturire atque emanere deprehenditur. Sacer ejusdem Divi calix etiamnum ad sacrificii divini memoriam tenetur, uti ara Divi portatilis Treviris, in abbatia S. Martyrum servatur.

Pars cranii quoque S. Sebastiani cum sagittae fragmento custoditur, nec sine miraculorum gratia. Quem Maximilianus imperator ipse praesens in beneficii accepti memoriam cereo librarum 354 anno Christi 1512 honoravit. Sed haec, alibi recensita, tangere magis, quam prosequi hoc loco visum est, minutiis reliquiarum praeteritis.

Ara S. Willibrordi portatilis servatur hodie in ecclesia B. M. V. Treviris, juxta aedem summam, cujus descriptionem in libro nuper a presbytero Trevirensi Liehsio insigni hujus operis fautore edito „Leben der Trierischen Heiligen" videri potest.

CAPUT XI.

Abbatia et monasterium Luzenburgense.

Quod Virginis sanctae Dei genetricis et apostolorum Petri et Pauli principum honori conditum olim sub arce Luxenburgica D. Benedicti legibus eximie floruit, id patrum memoria belli Gallicani metu, quo bis oppidum captum hostili praedae cesserat, tandem authoritate Caroli caesaris cum arce veteri, quae rupi editiori insidebat, funditus igne deletum, et ad inferioris urbis vallem ex declivi rupe translatum est. Quod ad originem attinet, eam majorum literis cognoscimus, quemadmodum videlicet Conradi comitis, ejus nominis primi munificentia surgere, ac mox conjugis et liberorum ope ad justam evehi amplitudinem coeperit.

»Ego Conradus comes, licet sero inspiratione divinae gratiae ad poenitentiam provocatus eleemosynis et caeteris pietatis operibus peccata mea redimere statui. Coepi itaque in monte hoc ubi nullus parentum prius adoravit Dominum nostrum domum Domini in honore et veneratione apostolorum principis a fundamento construere. Quae omnia ut magis rata essent, acta sunt annuente uxore mea Clementia cum filiis et filiabus nostris in praesentia domini Metensis episcopi Hermanni anno 1083 pridie nonas julii.« Huic diplomati appensum est sigillum, equitis armati effigiem exprimens, cum hac inscriptione: *Conradus comes de Lucelemburg.*

Quam fundationem cum adjunctis donationibus filius Conradi successor, Wilhelmus, novis tabulis firmavit auxitque. Neque ejus plumbeae tabulae, cujus in illustribus Germaniae monasteriis inscriptio literis consignatur, authoritatem prorsus aspernandam arbitror, siquidem ibi Conradi fundatoris iter transmarinum, quod ad sepulchrum Domini suscepit, sat diserte exprimitur. Religionis porro causam fuisse comiti schismatis

poenitentiam, quo tum ille, ut partium Henrici sectator fuerit conflictatus, sed ecclesiae tandem reconciliatum, vita decessisse aõ 1086. Filium huic Wilhelmum fuisse paterni comitatus successorem, publicis privatisque monumentis doceri potest, et nomen ejus Moguntiaci aeneis valvis templi B. Matris praescriptum sub anno dominicae incarnationis 1115. Quin et Trajectensis ecclesiae S. Servatii ministerialem fuisse cum Arnulpho Lossio, Wilhelmo palatino comitibus ex diplomate Moguntiae a Lothario abbati Heresveldensi, Adelmanno, indict. IV. Christi anno 1126 dato, constat, ubi autographi fide subscribitur, *Wilhelmus comes de Luzelburc.* Patris funus e Palaestina quarto demum post anno, ipsa die migrationis in natale solum reportatum, exstructo tumulo composuit, in quo tabula plumbea, quam diximus, reperta scribitur, tempusque medium haud dubie longum extitit, quo basilica condita, ornata et monasterii septa tam altis muris, ut vestigia docent, inclusa fuere. Quare, ubi tam multa vetustatis ignoratione parum explorata manent, Rudulphum abbatem a catalogo non removero, cujus in tabula nomen reperitur. Sed his altius expendendis non lubet immorari, cum Joannes Bertelius abbas, primum hujus monasterii, inde Epternacensis, jam olim peculiari libello, ac subinde opera repetita in historia sua Luzenburgensi, abbatum indicem ex archivo, quod in manibus erat, in lucem depromserit, et post hunc etiam P. Alexander Wilthem, soc. Jesu; atque in suis MS. Browerus ejusdem adstipuletur. Horum vestigiis lubens in censu abbatum conficiendo insistam: triumvirum hoc suffragio futurus securior.

1. Folmarus igitur ab his primi abbatis titulo cohonestatur, de cujus quidem exordio non satis constat. Sed cum promantur literae, quibus Wilhelmus comes anno 1093 patris instituta confirmari voluit, nisi Rudolphum cujus ante memini praemittamus, longaevum habuisse munus Folmarum fateamur necesse est; siquidem Honorii pontificis diplomate liquet, anno 1128 eum adhuc in vivis fuisse. Ceterum Folmarum e Treverica quadam familia isthuc evocatum narrant; sed an ex Maximineo, Mediolacu vel Epternacensi in incerto relinquunt.

Clarae, inquit Alexander, sub eo res duae, nimirum primo paroecias quinque et viginti (quas in suo Honorius papa scripto censet) perpetua supplicatione ad Monasteriensem basilicam quot annis instituendae obnoxias, Brunone, archiepiscopo Trevirensi, jam olim hoc factum probante. Secundo, quod B. Schezelo, eremita D. Bernardo olim, ejusque discipulo Achardo cognitus, cujus vitam conscripsit Herebertus (ex coenobita Claraevallensi Turrium Sardiniae archiepiscopus) eadem in basilica sepultus sit.

2. Godefridus deinde in ritualibus Trevirensis ecclesiae legitur Hillini archiepiscopi in verba jurasse; quare et illi coaevus vitam propagavit ad annum 1175, id quod rescripto Henrici Namurcensis et Lutzenburgi comitis item manifestum est, quem Henricum ejus saeculi annum 74 attigisse, Theodonisvillanae decimae S. Maximino confirmatae docent.

3. Everinus hoc loco ab Alexandro inseritur, Bertelio et Browero incognitus, ex tabulis, ut ait, coenobii D. Maximini anno 1184 editis ab oblivione vindicatus. Diem mortis Epternacenses habent ephemerides: *V. Idvs jvl. O. Everinus sacerdos et abbas in Lutzenburg, monachus nostrae congregationis.* Subjicit deinde: eædem ephemerides Franconem edunt, sed tempora ejus in obscuro sunt; dies fatalis hic est: *VI. calend. jvn. Franco sacerdos et monachus nostrae congregationis abbas S. Mariae in Luzenburg.*

4. Nicolaus inde successit ad annum Domini 1209 usque superstes, quo tempore Walleramus senior Limpurgi dux, copulata sibi Ermesinde, Henrici comitis filia, Luzenburgensem ditionem adiit.

5. Gerardus posthaec magistratum hunc adiit, quem Kettenhofiensi ecclesia praediisque quaesitis aliis, locupletasse rem perhibent. Nomen ejus in tabulis est ab anno 1210 usque ad 1222. Diem mortis sine anno, Epternacenses ephemerides conservant: *XV. cal. jun. O. Gerardus abbas Luccenburgensis coenobii frater noster.*

6. Thomas, hactenus, ut habet Alexander, in elenchis abbatum praeteritus, sed vindicatus tabulis autographis Villonrii,

viri nobilis, quibus anno 1244 appensa cera cum Thomae insignibus. De eo acceperim, quod est in vetustis ephemeridibus Maximinianis: *Idibus julii Thomas abbas Luccenburgensis.*

7. Matthaeus; et is praetermissus in elenchis, ab Alexandro exhibetur assertus tabulis autographis geminis parthenonis Bonaeviae, 1253 adhuc superstes et anni 1281, sed jam defunctus.

8. Arnoldus, clara stirpe satus, tam severus a Bertelio in propugnandis suae ecclesiae juribus memoratur, et strenuus in amplificandis, quam in subditorum regimine mitis. Ecclesiam Schittringen illi ab abbate Maximiniano, villam Burl ab abbate Virdunensi D. Pauli accessisse tradunt, sed quod addit rescriptum Henrici comitis Lucenburgensis de jure patronatus ecclesiae de Zeverii datum anno Christi 1249, quo jus praesentandi abbati Munsteriensi competere fatetur, hoc non Arnoldo, sed Matthaeo id temporis praefecto, concessum videtur, cum quo laudem auctae rei debeat communicare. Defunctum, cui non obstem, asserit 1276.

9. Thomas, clara Koerichiorum familia, cujus functio in annum incidit 1274, qui non ignobilem pagum Entringen cum omni fructuario usu a nobilitate patriae ad se pecunia traductum in bonis monasterii possidere coepit. Sed aemulatione cum D. Maximini abbate collisus, pacis denique amore et aequitatis ratione ductus, mutua gratia sociatus est; ad 1292 annum praefuisse constat, mortis tempore non designato.

10. Simon I. a Berwaert, nobili item loco natus, qui floruit saeculo tertio decimo ineunte. Cujus parentes vastissimam monasterio piscinam, Langholz dictam, contulere, quae tamen ad cognatam Schawenburgiorum familiam certo aere rediit, quo hospitale pauperum in urbe post exustionem monasterii concessum alibi excitare coacti sunt.

11. Philippus a Putlinga Simoni successisse traditur anno 1313, qui ecclesiam Fori Comitis, juxta Trajectum Mosae suo monasterio adjunxit.

12. Joannes I. familia Mailbergia, honorem adiit 1321, quando vero abierit, ex successoris chronarchia erit colligendum.

13. Simon II. stirpe Hondelingiorum, diuturnum regimen habuisse scribitur ab anno 1336 sumptis primordiis, quod anno 1357 etiamnum tenuit; unde sub ipso funus Joannis Bohemiae regis et comitis Lucelburgensis, Henrici VII. imperatoris filii, monasterio regia pompa illatum, et in basilica ejus conditum fuerit, postquam ille partes Philippi Valesii, Galliae regis, adversus Edvardum, Britanniae regem, secutus, Cressiaco in proelio anno 1346 occubuisset.

14. Matthias Epternacus jus mitrae et infularum posteris abbatibus reliquit, impetrato ab Urbano V. Avinione anno Christi 1365 XIV. calend. julii, eam in rem privilegio Caroli Rom. imp. precibus concesso; addunt eundem Trevirensi archiepiscopo in pontificalibus suffraganeum extitisse, titulo episcopi Syronensis. Hinc ad perpetuam Joannis regis isthic sepulti memoriam altare juxta ejus sepulchrum obtinuit decimis parochiae in Hollrich donatione Wenceslai, nepotis Bohemiae regis, locupletatum. Cujus tamen pars deinde monasterio Clarefontis et parochiae cessit. Ad annum 1375 produxis se vitam regimenque Matthias est visus, quando et ipse et successor signatus proditur.

15. Joannes II. Felzbergia domo nobili satus, patre Arnoldo et Lysa matre, ex coenobita Maximiniano integritate vitae hanc infulam promeritus est. Cujus nomen tabulae ad annum 1391 extendunt. Silva item Burlensi monasterio adjecta celebratur.

16. Tilmannus ab Eidel ortus, virtutis doctrinaeque juxta ornamentis celebris, qui vicario item episcopi munere Treviris dicitur perfunctus ão 1398; cui ut plenius vacaret, mitrae abbatialis curam adjutori post se relicto consignavit. Ipse Treviris domo pro Münsteriensibus excitata aetatem explens, apud carthusianos sepulchrum reperit, pietatis in vita cultae haud obscurum argumentum. Pagis Reckingen et Ruthgen monasterio additis, inter suos memoratur.

17. Aegidius a Fischbach, nobili item familia, abbas factus 1410, quamvis jam 1407 titulum (ceu adjutor utique) gesserit. Hic Theodoricum et Joannem nobiles a Schindelz,

multis sibi illatis damnis injuriisque mancipatos, ea demum lege, ut homagio sibi praestito feudatariorum inde legibus subessent, libertati restituit.

18. Joannes III. a Wesel institutus 1423, ad 1443 propagavit vitam, quando Philippus cognomento bonus, dux Burgundiae, pro Elisabetha Gorlitia Luxenburgum vi expugnavit, pace subinde in Monasteriensi coenobio pacta, cujus tamen basilica injuria belli conflagravit. Juramentum praestitit die martii 1422 m. T.

19. Sviggerus a Borscheidt, nobili genere, praefuit 1462 ad 1469 superstes, tum illa, quae bellorum calamitas hauserat instaurare conatus, tum eleganti sacello in D. Annae honorem erecto laudatus. Verum sub hoc labefactari, per saecularium vim principum, jus monasticae electionis coepit, cum Burgundio, ambitiosus homo, Claudius de Neufchâtel, dominus de Fay, qui proprincipis isthic potestate res moderabatur. Hic enim, ut suum protruderet nepotem, Lugduni professum, serio religiosis vetuit, ne ad electionem novi abbatis sine principis sui consensu auderent progredi, quo sub gravi interminatione impetrato denique sub Sviggeri mortem obtinuit, ut nepos in praelatum admitteretur.

20. Jacobus de Neufchâtel in Fay igitur sufficitur, de quo in Epternacensi monasterio actum est. Hic enim patrui sui Claudii, gubernatoris Luxenburgensis, authoritate pluribus coenobiis impositus abbas, Munsteriensi quoque obtrusus est, sed obnitentibus monachis, controversia ad judicium abstracta, diu tenuit, nec alio, nisi adjutoris hic acceptus nomine. Epternaci pari sorte jactatus, infelici denique, ut Bertelius censet, morte occubuit, cum monachos ad sepulchrum incondito, ut ait, strepitu accitos, ac deinde horribili foetore perfusos, templo cadaver ad profanum extulisse locum memorat. Juramentum praestitit Jacobus archiepiscopo Trevirensi anno 1488 more Trev., obiitque 4. augusti 1490.

21. Bernardus ab Orley ão 1490 exorsus (juramentum praestitit 3. mensis . . . . . . 1470) frugi patrem familias se gessit, genere, scientia et morum probitate clarus, qui ut res

Monasteriensium turbatas sub Jacobo, sua maxima authoritate sustinuit, cum ipse pro abbate a suis coleretur. Ita hoc defuncto, brevi, quo superfuit tempore, profligatas pro viribus erexit.

Post hunc Caspar Bruschius, de monast. Germaniae, Nicolaum quendam, Arlunensem sufficit, quem primum ait hoc loco genere fuisse ignobilem, sed ut hoc incertum, ita Nicolaum domestici annales non agnoscunt.

22. Joannes IV. Arlunensis (juravit feria quinta post dominicam Jubilate 1485), eum excepit anno 1494, et novem explevit annos in munere. Conjuncta in illo cum literis probitas hoc effecit, ut collapsam doctrinam, Ottone, D. Maximini abbate impulsore et adjutore, instauraret; unde factum, ut obtrectatores nonnulli, secessione facta, Caroli Burgundiae ducis theologum Wilhelmum ab Hecka sibi deposcerent, atque interea Joanne e vivis sublato, domestici, qui substiterant, Joannem Endovianum, priorem coenobii Clusani, Trevirensem suffraganeum delegare. Sed Carolus theologi sui causam tuitus, et authoritate pontificia pervicit,

23. Wilhelmus ab Hecka, Ultrajectinus, divinarum rerum, et civilis peritiae callens, qui conciliata pontificis gratia, protonotarii et inspectoris titulo a coenobia Cluniacensis instituti tota Alemannia visitanda destinatus, famam tamen nominis non avaritia minus, quam ambitione corrupisse visus, parum rei familiari consuluisse putatur, dum rei privatae impetratis passim per lustrata coenobia pecuniis, gloriose parum consuluit. Nec ubique ad votum cessere omnia, nam dum quosdam abbatum parum obsequentes excommunicationis fulmine perstringeret, iniquarum exactionum reus, ad Mechliniense tribunal sistitur, ubi ão 1508 vivendi simul et litigandi finem invenit.

24. Joannes V. Helmontius in Brabantia natus. Is una suffraganeus Trevirorum archiepiscopo Joanni Badensi, in pontificio munere dedit operam, ac Syronensis episcopo tulit titulum. Joannes, postulatus per Münsterienses, juravit 26. junii 1508, obiitque anno 1515. Clarus Joannis abbatis et episcopi magistratus fuit, Bursfeldensi sanctiore disciplina in hoc

monasterium, longe tum a majorum semita quidem exorbitans, anno 1510 introducta, quo uno si elogia demantur caetera, satis Joannes inclarescit, quem occubuisse tandem 1517 Bertelius tradit.

Inseruisse hoc loco juvabitur irradiantia quaedam sidera, Buslidios fratres, homines non patriae tantum, sed bono publico natos; habeant sane lucem promeritam quos Buslidius, parum nobilis regione Luzeburgica pagus prope a Bastonia extulit. Franciscus Buslidius, qui Philippo I, Maximiliani filio, moderator studiorum adpositus, unus non unum ei se Nestorem exhibuit, virtutis doctrinaeque merito cathedram inde Bizontinam archiepiscopus adeptus. Huic frater Hieronymus fuit, Aeriensis apud Artesios praepositus, apud Carolum V. aeque gratiosus, qui suo, Francisci et Aegidii fratrum aere collato nobili instituendo Lovanii collegio, ubi tres celeberrimae orbe toto christiano linguae gratis et publicitus docerentur, magnifice et liberaliter facultates suas omnes erogavit. Quare collegii trilinguis Buslidiani perennante apud posteros memoria, haud scias, an quidquam ab hisce viris fieri potuerit, vel ad laudem excellentius, vel ad fructum posteritatis utilius. Hieronymi vere pia disticha legimus quaedam, quorum hoc specimen haud dare piget.

Aeternum bonum perituris anteferendum.

Coecus amor niveusque pudor, mors, gloria, tempus
Praeterit, ergo Deum quaere, perenne bonum.

S. Hieron. Sententia.

Si sapies, quam sit super omnia dulcis JESUS,
Mundi falsus amor verus amaror erit.

Buslidiis annumero Nicolaum Rulerum, Luzeburgium, qui S. Petri Lovaniensis decanus, et Cameraci atque Atrebatibus praeclaris ornatus sacerdotiis, collegio Atrebatensi in Lovaniensi academia originem dedit.

25. Nicolaus Biedburgius, qui juravit 16. septembris 1517, destituit humana 1522, postquam vestigiis a Joanne impressis pene institisset.

26. Joannes VI. Harderius, Trevir, monasterii sui excidio superstes atque infelix. Cum enim anno 1541 inter Carolum V. Rom. imp. et Galliarum regem Franciscum grave urgeret bellum, jamque Luxenburgum obsidione tentandum esset, ne coenobium Munsteriense propinquum urbi, hosti emolumentum, urbi damnum ferret, injectis facibus succensum, miserabili servandae urbis remedio conflagravit, eversumque funditus est, sed bis urbe a Gallis capta, hoc religiosorum detrimento parum civibus consultum fuit. Ergo ne omni sede excluderentur, in valle S. Joannis xenodochium beneficio caesaris adeptus Harderius excoluit, usibusque monasticis dicavit. Ipse demum tot aerumnis fessus, quot iteratae bellorum clades afferebant, anno 1549 (rectius 1550) cum plerisque coenobitis suis ad tria solum capita reductis, succubuit, nonis (7.) martii defunctus.

27. Nicolaus III. Biedburgius, superioris Nicolai ex sorore nepos, ingenio et facundia bonus. Electus 27. martii 1550 annum tantummodo rarus incola abbatis munus non obivit. Quamobrem Mariae, pro Carolo V. fratre Belgarum gubernacula tenente, non sine delectu, ex Affligemiensi monasterio aliquot religiosi evocati sunt, qui rem labantem sustinerent.

28. Cornelius Wampach, Bruxellensis, ex his delectus abbas, juravit 22. octobris 1550. Qui exspectationem de se conceptam vix sustinens, dum propinquis tenacius inhaeret, Bruxellis, in matris et patriae complexu vitam amisit, anno 1555, quinquennio non amplius muneri superstes.

29. Wilhelmus ab Orley, ex S. Bertini familia apud Audomaropolim, dein Alfiaci, mox Gorziensis abbas, utrobique Francici belli injuria pulsus. Bruxellis in aula afflictae bis fortunae homo sexagenarius solatium quaerebat. Favebat ortus generis, patria, et ex belli conditione causa, ut facilius destitutum hoc monasterium supplici et petenti cederet; sed senecta et morbis invalidus, coenobioque dissipato, cum oneri succubuit, huc universa disciplina tandem recidit, ut conducta duorum sacerdotum opera, rem divinam procuraret. Atque ita res sub illo a die electionis, 20. decembris 1555 usque ad annum

1561 fuit, quando in paterno ipse tumulo apud franciscanos est sepultus.

30. Petrus Coelen, dictus Lissius, Stabulensis monasterii coenobita, atque inde ad prioris Epternacensis munus religiosamque tuendam illic disciplinam sub Godefrido abbate labefactam a Belgico magistratu submissus, postquam diu insolentia hominis sibi omnia vendicantis jactatus esset, obtenta secessione honesta, Lovanii, jam maturus licet, theologica canonumque scientia excultus, tanto unius decennii profectu fuit, ut vir doctissimus omnium calculo censeretur, et defuncto Wilhelmo Margaritae Austriacae commendatus, Munsteriensibus abbas ão 1561 datus est (juravit 20. octobris 1561), ubi principio summa industria et laude versatus, alumnis tum Lovanio (in quibus Bertelius), tum aliunde traductis, disciplinam instaurare monasticam, deinde et coenobii aedificia collapsa erigere aggressus est. Verum deinde plus aequo rebus augendis studiosus, et domestico in victu subministrando sordidus, avaritiae in senio notam, praeclaris caetera naturae et gratiae dotibus, si Bertelio credimus, aspersit. Extinctus anno 1576, pridie cal. aprilis, al. 1573, cum Bruxellis ab aula redux, Leodium pervenisset. Tale ei religiosi Munsterienses ad chori introitum panxere elogium: *Vir fuit magni animi, sermone promptissimus et eloquentissimus, natura callidissimus. Sepultus Leodii in ecclesia parochiali S. Joannis, a dextero latere summi altaris.*

Floruit hoc tempore Erforti in Thuringia Nicolaus Elgardus, episcopus Ascalonius, suffraganeus Danielis electoris et archiepiscopi Moguntini. Ortus ille Arluni, provinciae Luzeburgicae oppido non obscuro: Lovanii sapientiae studiis gnaviter excultus, et laurea donatus, Trevirim venit, ubi in D. Maximini lectoris, et in S. Antonii parochi rudimenta probe ponens, dignus ob indolem habitus, qui archiepiscopi Treverici sumptu ad uberiorem ingenii cultum, Romam mitteretur, collegii Germanici optimis institutis expoliendus. Hinc theologiae doctor, a Gasparo Groppero, nuncio apostolico in Germaniam revertente pro theologo in familiarium numerum cooptatus, in Saxoniam ad Brandenburgicum principem et Magdeburgensem

ecclesiam, Monasterium in Westphaliam legatione honorifica suscepta industriam suam catholicis approbavit. Denique Danielis archiepiscopi ope, nutuque episcopali munere pro ipso Erforti pie seduloque functus est. Ecclesiastae munus variis in locis, Romae, apud Helvetios, apud Treviros et Thuringos in Germania feliciter obiit et fructuose, vigilique cura medias inter luporum insidias, probi pastoris partes haud neglexit, ardua et difficilia multa perpessus, conservandae tuendaeque religioni et reprimendis haereticorum pravis studiis se actionesque suas omnes consecravit. Obiit Erforti 11. augusti 1587, suis et ecclesiae Erfortensi nimis immature. Conditus in sacello sacri Sangvinei apud memoriam S. Adelarii et Eobani episcoporum martyrum. Sacrum ornatum et alia liberalia dona collegio societatis JESV Heiligenstadiano reliquit. Epitaphium vivus sibi hoc conscripsit:

Dum vixit desiderabat et volebat Deum diligere et proximum, verum diabolus, caro et mundus, atque insignes hinc consecutae infirmitates retardarunt votum, opusque deturbarunt, proinde veritatem invocans, misericordiae innixus, ad transitum anhelavit Nicolaus Elgardus, Arlunensis, S. T. D. suffraganeus Erfordiae.

Non hic silentio involvam ejusdem fastigii praesulem, quem recentiori memoria Luzeburgium, provinciae caput, ecclesiae Argentinensi dedit. Est is Adamus Peez, Tripolitanus episcopus, qui doctrinarum omnium Treviris ornamentis excultus, a Carolo Lotharingiae cardinali, ad episcopalia munia in dioecesi Argentoratensi obeunda, virtutis et prudentiae fama accersitus, amplissimam illam functionem sub serenissimo Leopoldo archiduce et episcopo laudabiliter sustinuit.

31. Joannes VII. cognomento Bertelius, Lovaniensis, ex hujus coenobio corpore abbas creatus (diem electionis indicant 24. junii 1576), laudatione Philippi II. catholici regis 1574, atque ut Petrus a Joanne de Petra archiepiscopo, sic Joannes a Jacobo confirmatus, et abbas anno 1576 a Gregorio suffraganeo consecratus est. At Joannes ão 1595 ad Epternacense monasterium transiit, ubi illius meminimus. Hic reducti a se

ad aedem Munsteriensem Joannis Bohemiae regis (cujus ad franciscanos bellica tempestate cadaver translatum) memoriam reliquit, ejusdem monasterii decessores abbates resque gestas diligenti scripto et diplomatum fide complexus quibus hanc nostram historiam promovit.

32. Benedictus Hamblinius, Marchia (Marche) oriundus, electus 14. decembris 1595. Qui cum munus hoc non sine commendatione virtutis sex annis totidemque mensibus obiisset, ão 1602 mortalitatem explens, conditus est in sacello, quod juxtra sacrarium honori S. Benedicti ipse vivus exstruxerat. Laudes ejus panegyrica oratione complexus est Theodorus Becanus, collegii societatis JESU Luxenburgensis primus rector.

33. Petrus Roberti regimen excepit, Andagii, Hubertino vico, oriundus, sacrae theologiae licentiatus. Is concordibus suorum suffragiis, postquam id munus 9. julii 1602 adeptus, a serenissimis Belgarum principibus, Alberto et Isabella, 27. augusti laudatus est, atque inde Witliaci a reverendissimo archiepiscopo Lothario 16. novembris confirmatus, denique calend. decembris Treveris ad S. Martinum, adstantibus Joanne Keilio D. Matthiae, et Joanne a Malmundario Martiniano abbatibus, a Georgio suffraganeo, ritu solito est consecratus. Hic coenobii rebus qua gubernando, qua aedificando non mediocriter provectis, nomen restauratoris promeritus fuit. Joannem Bohemiae regem, mausoleo Parii marmoris magnifice exornatum coluit, Alberto et Isabella Belgii principibus, impensas suppeditantibus, et Eryceo Puteano epigraphen adornante. Porro annis 34 praesidendo expletis, 14. octobris 1636 excessit, juxta regem a se exornatum sepultus.

34. Henricus Suynen, quem paucis, at magnificis verbis Alexander extollit. »Vir,« inquit, »incomparabili modestia summoque usu rei coenobiticae: Fuldense et Sigebergense monasteria eo formatore in disciplinam jam olim redigi jussa. Infula exornatur anno 1638, ad IX. calend. aprilis. Saepe dein datus monasteriorum aliquot sui ordinis inspector.« Obiit anno 1664, eodem quo mitram sumpserat die, 24. martii,

coronandus ut pie sentimus in coelis, *inter veteris exempla sanctimoniae referendus,* quam multiplici, diuturna gravique infirmitate exercitatus, patientiae insignis merito cummulavit.

35. Gerardus Pontiani, natus in Wollenville, datus successor, nominatus fuit 24. augusti 1664. Juravit 13. septembris, consecratur in festo S. Michaelis archangeli, 29. septembris 1664. Post semestre, 7. maji 1665, tanquam post brevem magistratus bene auspicati scenam, persona rursum posita defunctus.

36. Nicolaus IV. Habben subinde Belgico Hispanici senatus arbitrio ad eundem profectus locum, altera post Christi resurrectionem dominica, juravit 4. maji 1666. Expectationem quoque longioris praefecturae vitaeque fefellit, quando tertio post anno, 2. februarii 1668, Pontianum ad immortales secutus est.

37. Willibrordus Cuno denique ex Epternacensis asceterii disciplina ad hoc pedum vocatus (nominatus 11. septembris, installatus 7. novembris 1668), moesto cum lacrymis vultu nuntium excepit. A Trevirensi tamen archiepiscopo Carolo Casparo 16. novembris ejusdem anni confirmatur. — Obiit abbas ille anno 1701, et abbatiale munus vacavit in tertium annum, tribus tantummodo religiosis in monasterio degentibus.

38. Theodorus Scholer, hucusque prior claustralis, nominatus fuit anno 1703, pedumque deposuit aõ 1705.

39. Romanus Edinger, in Theodonisvilla oriundus, obiit aõ 1717.

40. Benedictus II. Forting, restaurator monasterii, floruit aõ 1742.

41. Benedictus III. Haas, occ. 1760—1770. Propter continuas ejusdem infirmitates, ei adjungitur coadjutor, cum spe successionis, Joannes Paquet.

42. Joannes VIII. Paquet, coadjutor vi nominationis Mariae Theresiae, augustae, d. d. 12. decembris 1768, juravit 30. maji 1769. Abbas anno 1771, obiit 1792.

43. Bernardus Weis, nominatus per literas Francisci II. Romanorum imperatoris, d. d. 24. octobris 1792, confirmatus per Clementem Wenceslaum archiepiscopum, Dillingae, 13. aprilis 1793.

CAPUT XII.

Monasteria Virginum sacrarum ordinis S. Benedicti.

Nec illarum nos praeterire memoriam fas est, quarum in debiliori sexu gloriosa apud nos celebratur virtus animusque, carnalium ac fluxarum rerum contemptor, supra mortalium vulgus eminuit, praesertim si nobilitati conjuncta pietas ac religio majorum stemmata novae laudis ornamento decoravit. A Trevericae urbis incolis juvat ducere principium.

Horreense monasterium, vulgo Oeren.

De hujus origine in annalibus ad annum Christi 643, ejusque additamentis jam actum alibi est luculenter. Dagobertum enim magnum auctorem censet, qui filiae isthic suae Sanctae Irminae ad monasticam vitam aspiranti, ex regalibus horreis (unde nomen loco mansit) parthenonem aptavit et cum dote locuplete attribuit, ubi lecto sacrarum virginum consortio, sub Divorum Modoaldi ac Willibrordi institutione egregie ad omnem sanctitatem exculta fuit. Ipsa enim postquam mortali, quem sibi delegerat sponso Hermanno, Gallici nominis comite, improvisa morte destituta esset, lacrymisque profuse nequicquam indulsisset, mortalis deinde vitae lubricam sortem aversata, Christo immortali sese sponso addixit. Cumque Dagobertus solatii gratia filiam adiret, sponsumque jam amisso

ditiorem pollicitus, moerorem abstergere juberet, respondit illa, jam se ex voto ditissimum potentissimumque super omnes nactum esse Christum regem, cui fidem addixisset, neque causam moeroris superesse aliam, quam quod se minus eo dignam existimaret. Quo filiae consilio rex magnopere exhilaratus, praeter amplissimam illi a sponso dotem relictam, magnis eandem donationibus, ad sacri propositi executionem confirmavit, erexitque haud procul Mosella Trevirorum in urbe propriis ex horreis monasterium, virginum complurium habitationi idoneum, ubi illa ex Modoaldi archiepiscopi instituto, ex regulis D. Benedicti ad omnem pietatem formata sanctitate, atque innocentia morum reliquis virginibus, ut exemplo, sic suprema potestate denique praefecta est. »Ejus,« inquit ex priscis annalibus, in quibus Theofridi Epternac. scripta sunt, Tritthemius, »in pectore Christi fervebat amor, quo succensa magna et stupenda in Dei laudem faciebat, ab ejus mente nunquam oratio defuit, quae etiam in precibus saepe pernoctabat, carnem suam sedulo domabat jejuniis, dum animam oratione et scripturarum meditatione enutriret. Hanc B. Willibrordus singulari in Christo amore diligebat, cui sanctissima virgo medietatem fisci Epternacensis pro construendo monasterio fratrum contulerat.« Subjicit deinde, quemadmodum idem vir sanctus Trajecto Frisonum adveniens, cum pestifera lue sanctimoniales hujus loci afflatas comperisset, aqua suis manibus benedicta domicilium consperserit, peste omni repente fugata, quod quidem opinor beneficium occasionem fuisse tantae liberalitatis ab Irmina in Willibrordum profectae. Ceterum ad res parthenonis incoepta pietate firmandas lectissimam ad se virginem Modestam, S. Modoaldi e sorore neptem, Irmina ex S. Romarici coenobio accersisse memoratur, ut videlicet haberet, cujus post se consiliis exemplisque ad seros propagaret annos disciplinam. Ipsa denique annorum ac meritorum plena, anno salutis circiter 702 (ut alibi colligo, quanquam Tritthemius 710 statuat) IX. cal. jan. die 24. decembris ad coelos, e Weissenburgensi ad Vogesum monasterio, ab eodem Dagoberto excitato, clara signis transiit. Cujus multo post

tempore corpus tabis expers repertum, magnificoque ibidem monumento reconditum est.

Modesta eidem ex voto defunctae surrogata, paris sanctitatis aemulatione et se ipsam excoluit, ut creditas sibi virgines est moderata. Hanc B. Gertrudi perquam fuisse in vita familiarem Tritthemius memorat, illi, inquam, quae sanctae matris Ittae filia sanctior, Nivellense monasterium antistita rexit, quaeque miraculorum gloria in vita ac morte clara. Ea qua excessit hac mortalitate hora, anno 674, ad XVI. calend. aprilis, Modestae quondam in oratione constitutae apparuisse, et his verbis eam affata fuisse fertur: »Scias me hodie hac ipsa hora de habitatione carnis absolutam.« Quae cum sat diu ante regimen Modestae evenisse memorantur, apparet, quibus illa jam olim sanctitatis argumentis inclaruerit, ut hac praefectura digna haberetur. Quot tamen annis huic virginum asceterio praefuerit, fastis non invenio consignatum. Vix diu praefuisse ex succedentis antistite Willibrordo cognitae annis non inscite conjeceris, ut Browerus anno 709 meminit.

Anastasia igitur in Horreo Trevirensi, ut Tritthemius loquitur, »Abbatissa III. virgo sanctissimae conversationis, multis effulsit clara miraculis, quemadmodum in ejus gestis reperitur.« Claruit anno Domini 760, cujus natalis a morte die V. idus septembris celebratur.

Basilissa post B. Anastasiae mortem quarta omnium suffragantium consensu electa, ejusdem disciplinis ad eandem vitae morumque sanctimoniam exculta, quae suscepto, ut Tritthemius ait, regimine, »qualem se exhibuerit omnibus, quam humilem, quam piam, quam denique pro disciplina regulari zelosam, quis sermo explicabit? nihil illi defuit, quod industria regularis magisterii requirit.« Claruit anno Domini 780; festiva ejus memoria 5. decembris colitur, quam tamen a Bucelino ad 9. septembris animadverto referri.

Heliam post hanc claruisse, et parthenoni huic praefuisse, nec sine opinione sanctitatis Bucelinus ex diversis meminit, sed in anno nonnihil aberrasse censemus, quod 790 signare oportuisset, cum 750 memoriam illius ad 20. junii retulit.

Juliam, Luciam et Rothildem sanctimoniae quoque honore et titulo ornatas, his adjiciunt; sed earum regendi tempora suis periodis circumscribere ex veterum fastis est perquam difficile. Certe Rothildem illam, quae sanctitatis nomine apud Treviros jam sub temporibus S. Magnerici episcopi clara fuit in fine saeculi sexti, hanc ante Horreensis monasterii exordia extitisse necesse est, cum illustrissimam illam Metensis ecclesiae virginem Glodesindem, quae circa annum Christi 665 extincta, non obscuris testimoniis agnoscitur, a Rothilde ad omnem pietatem monasticaeque vitae disciplinam formata Treveris asseratur; illa enim mariti ab amicis obtrusi fugiens, postquam in templo D. Stephani Metis omni cibo potusque alimento destituta latuisset, ab angelo coelesti virginum choro stipato velata Deo consecrataque fuisset, Trevirim fugiens, Rothildem instructricem nacta, post egregia pietatis auctoramenta rarae sanctitatis et miraculorum gloria effulsit. Metim vero reversa, jam qui olim obstiterant probantibus, celebri virginum centum parthenone erecto, postquam septennio gloriose praefuisset, ad aeternos sponsi sui amplexus est evocata, cujus post annos 25 corpus, non secus ac recens depositum, integerrimum plane, et ad contactum stillans sanguine, repertum est. De hac ejusque tumulo oleum salutiferum profundente, supra in Metensis ecclesiae annalibus ad Christi annum 607 et 875 actum est. Haec explicatius tradere placuit, tum quod neglecta alibi, tum quod ex discipulae institutione et sanctitate Rothildis magistrae perfectionem aestimare liceat, ex morte vero temporis deducere rationes. Quamvis enim Rothildem facias annos Glodesindis superare, tamen Horreensi monasterio nisi sub initia ante Irminam praefici sub Modoaldo non poterit. Duarum praeterea sanctitate illustrium virginum apud Horreenses viget memoria, Severae ac Clementiae, et illa quidem coenobii non Horreensis, sed alterius S. Symphoriani in eadem urbe haud procul olim dissiti, abbatissa sanctitate inclyta fuit. Ut enim illustri Austrasiae ducum sanguine ex Arnoaldo et Oda parentibus, quae sororem, Pipini ducis conjugem haberet Ittam, et Modoaldum Treve-

rensem archiepiscopum fratrem, ita spectatissima ab his virtute nequaquam degener, spretis mundi illecebris, sponsum sibi delegit Christum, atque in parthenone a fratre erecto, ceteris praefecta virginibus rara vitae sanctimonia effulsit, fatisque circa annum 656 concedens, in S. Symphoriano sepulta est; memoria ad XIII. calend. augusti recurrente, quam monasterio jam abolito, virgines Horreenses conservant, Modoaldo olim non mediocribus beneficiis devinctae.

Clementiae pari devotione obligantur. Haec enim ex illustri Homburgensium comitum stirpe, Adolpho patre nata, cum traderetur Crafftoni, Spanheimensium comiti in thalamum deprecata connubium, quod sponsam sese addixisset uni Christo, adeo inflexit casti juvenis animum, ut et ipse Christum secutus Spanheimensi coenobio sese addixerit, et Clementia Treveris in Horreensi coenobio virginitatis florem Deo consecravit, duplicis victoriae laude cumulanda, nec generose minus, quam coeperat, prosecuta vitae severioris cursum, immortalis denique gloriae bravium anno 1176 apprehendit. Cujus recordatio 21. martii instituta est, ut latius in annalibus expositum reperies. — Abbatissarum subinde texere ordinem, et quo quaeque praefuerit tempore statuere, opus perquam incertum et difficile futurum est; illud ex archivi literis satis exploratum tenemus:

Anastasiam, ejus nominis secundam, tempore Ratbodi archiepiscopi floruisse, ad quam Ludovici imp. diploma, quo bona privilegiaque immunitatum juxta Dagoberti, Pipini et Caroli magni indulta firmantur, anno 903 exaratum, superest. Quae deinde Otto III. ut infra videbimus, labefactavit.

Beba post illam (quam Bruschius male Bedam invocat) successit, floruitque anno salutis 1000, ut Ottonis III. ad illam diploma testatur, quo Crucinacensis thelonii publicique mercatus isthic jura ad hanc praesidem transfert.

Luchardis deinde hac dignitate freta subit circa annum Christi 1051, quando Engelberti archiepiscopi Trevirensis diplomate libera illi usurpatio Casellensis sylvae delata est. Haec Gonzae rarae industriae prudentiaeque gubernatrici monialium

magno omnium moerore substituta fertur, quod adolescens aetate rudi, formaque quam virtute spectatior, ab archiepiscopo, cujus neptis erat, invitis ad electionem obtruderetur. Admissa tamen, postquam divina revelatione cognitum est, hanc in neglectae religionis poenam, verum citra disciplinae detrimentum imponi, de qua re annales ad calcem l. XII. consulendi.

Elveza sub Brunone archiepiscopo circa a. D. 1116 floruit, quo judice lis de bonis Caselanis inter S. Paulini canonicos et abbatissam Horreensem decisa est, ut ex literis archivi liquet.

Post hanc eodem saeculo nutare mores, disciplinamque coepisse ex diplomate Adriani IV. pontificis intelligimus; is enim de conservatione illius sollicitus, edicto cavit, ne a D. Benedicti legibus discederent, sed Eugenii antecessoris sui mandato, quamvis Richardum abbatem Springirbacensem, laudatissimum virum, moderatorem accepissent, veteris disciplinae cancellis includerentur. Sed horum denique praeceptorum negligentes, haud multo post Richardi mortem ad suorum praesidum, Springirbacensium abbatum leges, ac D. Augustini regulam transivere, ac nomine abbatissarum amandato, gubernatrix reliquarum magistra est nuncupata; extantque hoc titulo literae anno salutis 1228 exaratae.

Agnes enim, magistra parthenonis Horreensis, contractum permutationis bonorum inter Richardum S. Martini abbatem et Conradum Horreensem feudatarium, hoc tempore ac nomine probavit. Sub harum regimine lapsi mores instaurantur rursum gemino post saeculo, ut ex hoc diplomate doceberis.

»Joannes Dei gratia S. Trevirensis ecclesiae archiepiscopus, S. R. I. per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius ac princeps elector, ad perpetuam rei memoriam. Quia post nostri pastoralis regiminis ingressum, fere omnia sanctimonialium monasteria nostrarum civitatum ac dioecesis, a monastica clausura regularique vita defecisse, pro dolor, comperimus, ideo omni cura, ut hujusmodi monasteria recludi reformarique possent, studuimus, ut Deo nobis favente successu temporum pleraque sunt reclusa et reformata. Nichil enim

virginibus, quibus terrenae nuptiae viluerunt, quaeque terrenos amplexus non desideraverunt, pio suae virginitatis honore pure et sine macula custodiendi, regularique vita conservanda magis necessarium ducimus, quam eas sub stricta clausura, ab hoc nequam saeculo abstractas vivere, ubi nihil videant seu audiant, quo purum et pudicum virginitatis pectus inquinari queat. Nuper igitur ad magis inclyti monasterii S. Mariae in Orreo, civitatis nostrae Trevirensis, quod gloriosissimi et catholici regis Dagoberti filia S. Irmina erexit dotavitque; quodque S. Modoaldus, tunc archiepiscopus Trevirensis, consecravit, in quo nedum jam memorata Irmina, sed etiam Modesta, Anastasia et aliae virgines sancte vixere, antiquitatem, dignitatem et sanctitatem oculos nostros spirituales intendentes, consilio, assensu et applausu venerabilium et nobilium praepositi, decani et capituli ecclesiae nostrae, pluriumque abbatum, praelatorum, presbyterorum et clericorum nostrorum, procerum quoque, imo totius populi, dictum monasterium in Orreo, quod initio ad regulam S. Benedicti institutum, sub memorata Irmina et reliquis SS. virginibus viguit, postquam ad regulam S. Augustini translatum, novissimis temporibus canonissarum secularium collegium extitit, ad suam originem et primam S. Benedicti regulam, clausura, habitu, cantu, et aliis ceremoniis veneranda, religiosaque Joanna de Bassapetra, ante canonissarum magistra, nunc vero in manus nostras S. Benedicti regulam professa et abbatissa, id flagrantissime exposcente, hodie reducimus et reformamus per praesentes, volentes, ordinantes et statuentes, ut inibi, perpetuis futuris temporibus hujusmodi regularis vita maneat, vigeat et conservetur, quotiescunque abbatiam vacare contigerit, sanctimoniales abbatissam canonice eligant, quam sic electam nos nostrive successores uti ante hac magistram confirmabimus, nostris etiam et ecclesiae nostrae visitandi, rationes audiendi, patres seu commissarios deputandi, et reliquis ordinariis et temporalibus juribus semper salvis. Datum in saepe memorata civitate nostra Trevirensi. Anno Domini 1495, die mercurii post festum S. Brictii, sub sigillo nostro pontificali oblongo.«

Unde apparet coenobium hoc in ortu suo regale et liberum non solum Dagoberti regis, sed et duorum Ottonis impp. et Ludovici diplomate declaratum, archiepiscopis denique fuisse subjectum, ut ex Ottonis III. rescripto anno salutis 1000 dato, his verbis planum est: »Abbatiam S. Mariae semper Virginis, quae cognominatur Horrea infra Trevericam urbem sitam, praedecessoris nostri Arnulphi regis consensu, eidem Trevericae ecclesiae concessam, ut filii ejus Zwendebaldi regis permissione, et petitione praedicti archiepiscopi pro concambio Trajectensis praepositurae simul etiam ab avo nostro beatae memoriae Ottone imp. augusto (alio forte diplomate) prius suae munificentiae nova largitione donatam, denuo eidem ecclesiae nostrae praeceptionis munere habere permittimus. Ea videlicet conditione, ut praesens abbatia sub jure praedicti D. Eckberti et ecclesiae S. Petri, cui praesidet, successorumque ejus quieta permaneat.« Subjicit vero de abbatissa et bonorum administratione: »Abbatissam, quam sibi omnis congregatio de suis elegerit, ordinetur, in rebus autem vel dispositione ejusdem monasterii neque episcopum, neque aliorum quenquam principum habere permittimus potestatem.«

Haec aliaque privilegia aliis jam ante literis Joannes archiepiscopus firmaverat, postquam desertum a suis rectoribus locum in curam tutelamque suscepisset, magistra et canonissis probantibus, ut ex principis voluntate rector eis idoneus praeficeretur, obedientiamque hactenus abbatibus Springirbacensibus praestari solitam, archiepiscopo redderent. Feuda monasterii de manu quidem archiepiscopi in praesentia conventus reciperentur, verum caduca fructusque eorum ad communem utilitatem et usum dominarum transirent. Si ecclesiam, cujus investitura ad ecclesiam S. Mariae spectat, vacare contigerit, archiepiscopus non eam alicui suorum familiarium, sed idoneae conferet personae, quae in eadem ecclesia velit et possit in propria persona servire. »Ad haec,« inquit in eodem diplomate, »cum ex officii nostri debito paci et quieti earundem dominarum paterna sollicitudine providere tenemur, ecclesiam S. Pauli, quae est in ambitu ejusdem loci cum omnibus suis

appendiciis, decimis et oblationibus praememoratae ecclesiae Sanctae Mariae communi adstipulatione personarum ecclesiae Trevirensis confirmamus, statuentes, ne quisquam de caetero jus vel nomen pastorale sibi in illa ecclesia usurpare praesumat, imo capellanus dominarum, quem ipsae ad hoc elegerint, vices pastoris expleat etc. Quae in generali synodo nostra sunt promulgata, ne ea infringere vel mutare quispiam in perpetuum audeat.«

Apparet praeterea ex eodem Joannis archiepiscopi exhibito diplomate, quaenam magistrarum inter canonissas ultima, et reductarum cum monialibus abbatissarum prima nominetur, nam caeterarum, quas Bruschius memorat, magistrarum cum nudo, sine meritis ac virtute, si paucas exceperis, vulgentur nomine, exigua nobis cura est. Illud interea observamus, a legibus Springirbacensium, quae bona omnibus communia faciunt, sensim ad majorem libertatem, ut freno semel excusso, fieri amat, deflexisse, et diversis privatim possessionibus uti coepisse. Nam seculo 13. contractus cum privatis celebratos reperio nunc emptis nunc venditis censibus; unde Clementis et Gregorii pontificum eodem saeculo vulgatae literae, et ad decanum ecclesiae Ivodiensis et S. Simeonis datae, ejusmodi contractus rescindunt, ac resistentes poenis ecclesiasticis impellunt.

Tabula Bruschii abbatissarum et magistrarum, correcta, haec est.

1. S. Modesta, ão 659.
2. S. Irmina, ão 698.
3. S. Anastasia.
4. S. Basilissa.
5. S. Helya.
6. S. Julia.
7. S. Lucia.
8. S. Rothildis.
9. S. Severa.
10. Deda.
11. Ida.
12. Anastasia II.
13. Beba, ão 1000.
14. Maria, magistra.
15. Imysa I.
16. Helowisa.
17. Hadewidis.
18. Imysa II.
19. Hedewidis.
20. Helwigis.

21. Gonza. 22. Luchardis, ão 1101.
23. Elveza, ão 1116. 24. Gertrudis.

25. Hadelwigis, magistra dicta, eo quod aliquoties, relicta regula benedictina, canonissae regulares factae fuissent moniales.

26. Walderadis. 27. Waltrada.
28. Margaretha. 29. Adelheidis, magistra.
30. Pia. 31. Geisa.
32. Hedowigis. 33. Leutschwindis, magistra.
34. Irmentrudis. 35. Euphemia, magistra.
36. Dideradis. 37. Luitgardis.
38. Adelheidis, magistra. 39. Irmentrud.
40. Margaretha, magistra. 41. Saeva.
42. Richarda. 43. Sophia, magistra.
44. Adelheidis. 45. Randolpha.

46. Agnes, magistra, occurrit ão 1228.

47. Sophia II. 48. Adelheidis.
49. Catharina, ão 1320. 50. Hedwigis, ão 1339.

51. Elisabetha ab Hohenfels, magistra.

52. Irmengardis de Gymnich, obiit ão 1402.

53. Irmengardis de Kerpen, fundavit anno 1404 musicum diebus sabathinis pro animabus defunctorum sacrificium, obiitque ão 1432, magisterii anno 30.

54. Irmengardis II. de Kerpen, obiit ão 1436.

55. Catharina Rheni comitissa in Dune et Kyrburg, a singulari devotione celebrata, atque nec levi, nec una calamitate afflicta, praefuit annis 38, obiitque ão 1474.

56. Joanna, sive Joannetta de Bassompierre, de Bassa Petra, vulgo de Bettstein, cui ut religio summae curae fuit, ita animum ad pristinae disciplinae sub regula D. Benedicti decus revocandum admovit, Joannis Badensis lectissimi archiepiscopi favoribus et ope, ut supra vidimus, freta; et fluxere pro votis omnia, postquam accersitis ex cultissimo Boppardiensi parthenone, quas Browerus in annalibus recenset, virginibus, postliminio antiquae pietatis semina sparsisset. Velo igitur ab ipso archiepiscopo solemni ceremonia imposito 17. novembris

1495, abbatialique resumpto nomine, 35 muneris laudatissime obiti annos implevit, 13. aprilis 1509 defuncta. Cujus hodietum instauratae religionis ornamenta posteritas egregie tuetur; diversa sacrificiorum solemnia cum sua, tum aliena liberalitate Horreensi in aede constituit, ut quot annis sacro Omnium Sanctorum et dedicationis altaris, a se erecto die, sacrum cum musica solenne, tum gemina quod hebdomadis ejusmodi jovis et veneris diebus per sacerdotes D. Pauli celebranda impensis fundationis a D. Richardo ab Hontheim, ejusdem ecclesiae presbytero surrogatis.

57. Anna ab Helmstatt deinde in locum officiumque veteris instituti propagandi subiit, electa 14. aprilis 1509. Praefuit annis octo et aliquot mensibus. Obiit in vigilia nativitatis Mariae anno 1517, in choro cum reliquis abbatissis honorifice sepulta.

58. Francisca Waldecker a Kaimbt, anno 1517 electa, quadraginta virginibus, cum egregia humanitatis fama praesedit, usque ad annum 1558, quando 18. junii vita abiit.

59. Margaretha ab Enschringen, 20. junii 1558 suffragiis virginum communibus substituta est, quae variis calamitatibus jactata, 19. novembris anni 1580 vivere patique mortalia desiit.

60. Ottilia a Velbrück surrogata (per electionem die 22. novembris 1580 factam) in curas laboremque labantis abbatiae rudera novo aedificio, quam non sine fama inanis gloriolae captatae, ex gentis suffixis insignibus, expiatae tamen in hac, ut creditur, vita, decessit 26. februarii 1607.

61. Agnes Zand a Merl, Friderici Zand meritis apud Treviros praecellentis viri filia, electa 1. martii 1606 more Trev., aedificandi curam ad Dei honorem impensam templo ad insignem superbamque pene altitudinem evecto adhibuit; sed tempestatibus tanta sua elatione objectum, eadem qua Divae Virginis aedes, ventorum procella concussum, tecto suo nudatum est. Obiit anno 1636, mense junio.

62. Anna Amelia ab Hattstein subinde munus aggressa, turrim modernam feliciori eventu substituit, cognovitque etiam

superos humilibus delectari, ut demissionis illa et pietatis exemplar fuit. Obiit anno 1656, die 7. aprilis.

63. Regina Elisabetha Mohr a Wald, electa 24. aprilis, juravit 28. aprilis 1656. Villis exteris sub Irminiarum cura degentibus, ecclesiis instaurandis, perquam utilem locavit operam, anno 1665, die 7. octobris, defuncta.

64. Joanna Margaretha ab Enschringen, in spe magnarum rerum post annum mensesque aliquot lapsos, ão 1666 regere in morte desiit, quam praeclare vita anteacta munierat. Diem letalem habuit 24. decembris.

65. Irmina de Piesport nunc eidem parthenoni moderatrix praesidet, cui Deus regimen fortunet. — Juravit 25. januarii 1667, obiit 7. novembris 1677.

66. Anna Christina Cobb de Neudingen, occ. 1680, obiit 26. januarii 1718.

67. Maria Anna a Beck, electa 24. martii 1718, obiit ão 1744.

68. Maria Francisca Amalia de Mayerhofen in Aulenbach, electa 3. augusti 1744, obiit 24. julii 1769.

69. Maria Henrica de Löwenhaupt, electa 17., confirmata 23. augusti 1769, obiit Treviris, 24. martii 1808, aetatis anno 80. omnibus grata et veneranda.

Ex cartulario abbatiae S. Irminae Treviris.

Commissio visitationis, data abbati ad S. Matthiam 14. aprilis 1656.

Nos Carolus Casparus Dei gratia archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius, princeps elector, administrator Prumiensis perpetuus &c. Universis et singulis praesentes literas visuris, lecturis, seu legi audituris salutem in Domino. Postea quam pro majori cultus divini, regularisque disciplinae observantia

visitationem sanctimonialium ad S. Irminam in Horreo nuncupatam ordinis S. Benedicti in civitate nostra Trevirensi authoritate nostra ordinaria venerabili ac devoto nobis dilecto Martino Feuden monasterii S. Matthiae praedicti S. Benedicti ordinis abbati, ejusque successoribus, legitime intrantibus, abhinc imposterum, usque ad revocationem nostram, demandandam et committendam duxerimus, prout eandem praesentium vigore literarum demandamus et committimus; utile et necessarium existimavimus, illos exhortari, quatenus in id incumbant potissimum, ut cultus divinus juxta institutum S. patris Benedicti rite, pie et devote semper a sanctimonialibus persolvatur, disciplina monastica, morum integritas et vitae modestia diligenter inter eas conservetur, et ipsa abbatissa, priorissa et conventus secundum reformationem praedecessoris nostri archiepiscopi ex marchionibus de Baden perpetuo intra conventum suum reclusae maneant, nec cuiquam sub consanguinitatis, affinitatis, seu quovis alio praetextu seu colore sine expressa licentia et permissione abbatis praedicti monasterii S. Matthiae conventum ingredi liceat, quod nec ipse abbas sine rationabili et genuina causa permittere et concedere debebit. Volentes praeterea, quod abbas pro tempore easdem moniales in Horreo investire, velare, et professionem recipere, eisque de confessario idoneo providere, et in extremis, et alias quoties opus fuerit, per se seu alium, cui id commiserit, sacramenta sacrosanctae ecclesiae ministrare ac (praevia notificatione nobis facta, et salvo adjuncto nostro si quem juxta rei et temporum exigentiam adjungendum duxerimus) assumpto etiam uno vel altero ejusdem ordinis fratre singulis annis visitare, excessus vel defectus corrigere, singulaque pro observantia regulae, ipsius monasterii disciplina et prout secundum Deum animabus earundem expedire noverit, ordinare, rebelles ac inobedientes etiam per censuram vel incarcerationem et alia juris remedia compescendo, possit et debeat. Cui etiam pro tempore abbati, abbatissa, priorissa et moniales praefatae fideliter et humiliter obedient. In temporalibus similiter abbas visitator abbatissae et conventui uti in propriis consulat,

ratiocinia et reliqua quotannis loco consueto per cellerarium reddi et praestari curet, virginibus ne quid citra consensum abbatissae in esculentis aut poculentis superflue distrahant, ut accursus et colloquia, nec non hospitalitates nimias et familiaritates evitent, serio inhibeat, eoque collimet, ut quantum possibile, hypothecata bona denuo redimantur et recuperentur. Quod si quae forte controversia exoriatur, quam idem abbas cum uno vel altero suorum fratrum definire nequiverit, ad nos et successores nostros archiepiscopos deferat. Indultis tamen praerogativis, gratiis et privilegiis sanctimonialium ac earum monasterio per nos et praedecessores nostros quomodolibet concessis in suo robore alias permansuris. Nostris quoque et ecclesiae juribus ordinariis, quae hactenus in saepedicto monasterio habuimus et habere consuevimus semper salvis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes literas propria manu subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus. Datae e palatio Sancti Petri in civitate nostra Trevirensi die decima quarta mensis aprilis 1656.

(L. S.) Subscriptum: Carolus Casparus archiepiscopus Trev.

Notificatio electionis eminentissimo facta 12. aprilis 1656.

Eminentissime ac reverendissime princeps elector, domine domine clementissime.

Eminentissimae vestrae celsitudini exponunt humillime inframentionatae devotae ejus oratrices, qualiter septima currentis mensis aprilis ad^{m} r^{da} ac praenobilis domina Anna Amalia ab Hattstein, abbatissa nostra in fata concesserit (cujus anima aeterno fruatur gaudio), ex cujus obitu abbatia nostra vacare contigerit et de praesenti vacet. Ne itaque ecclesia nostra diutius capite et abbatissa viduata remaneat; nos juxta regulam et caeremonias sanctissimi patris nostri Benedicti capitulariter congregatae diem lunae post Quasimodo vigesimam quartam hujus pro electione novae abbatissae sta-

tuendum duximus et statuimus, illumque em^{mae} et r^{mae} celsit. v^{rae} humili devotione et observantia significare et notificare volumus et notificamus per praesentes. Rogantes Deum ter optimum maximum pro felici et diuturna em^{mae} celsit. v^{rae} incolumitate.

Datae e monasterio nostro Irminiano 12. mensis aprilis 1656.

Subscriptum em^{mae} et r^{mae} celsit. v^{rae} humillimae priorissa et conventus monasterii beatae Mariae Virginis ad Horreum.

Decretum seu instrumentum electionis abbatissae Reginae Elisabethae Mohr a Wald. 24. aprilis 1656.

Eminentissimo ac reverendissimo domino domino Carolo Casparo Dei gratia archiepiscopo Trevirensi sacri Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellario, ac principi electori, administratori Prumiensi perpetuo &c. Domino nostro clementissimo &c. Sorores Eva Deder senior, Maria Magdalena de Thissiers, Joanna Margaretha ab Enschringen, Regina Elisabetha a Wachemer, Francisca Irmina de Thissiers, Joanna Barbara ab Hattstein, Joanna de Boullain, Irmina a Piesport, Anna Margaretha a Loewenstein et Anna Catharina ab Enschringen, omnes professae monasterii S. Irminae in Horreo Trevirensi humillime exponimus, quod cum superioribus aliquot diebus r^{da} et praenobilis domina Anna Amelia ab Hattstein monasterii jam fati abbatissa, Deo sic volente, vitam cum morte commutasset, ac sic ejusdem morte abbatia vacaret neque nesciae essemus, diuturnam abbatissae carentiam ecclesiae nostrae ac monasterio plurimum incommodi damnique inferre posse. Hinc de nova abbatissa eligenda cogitare coeperimus, convenientesque omnes et singulae in loco nostro capitulari consueto de negotio futurae electionis tractaturae, eandem quoque legitime et canonice celebrare volentes, diem electionis hujusmodi diem lunae vigesimam quartam mensis aprilis statuere nec non omnes et singulos electioni celebrandae interesse debentes ac habere putantes ad eundem diem in valvis ecclesiae nostrae legitime citare placuit, quem-

admodum statuimus et citari curavimus; quo quidem die seu citationis termino adveniente, ac nobis in loco supradicto post solemnem divini officii de Spiritu S° decantationem, capitulariter congregatis, citationeque emanata una cum asscripta eidem legitima executione reproducta ac insuper cum r^do^ admodum in Christo patre ac domino Martino abbate S. Matthiae apostoli prope Trevirim visitatore nostro, nec non ab eminentia v^ra^ specialiter et gratiosissime deputato et adjuncto domino commissario communicato consilio, qua via ad hujusmodi electionis negotium procedere possemus in praesentia notarii publici et testium fide dignorum ad haec specialiter requisitorum, viam scrutinii rite tutiorem securioremque sumus amplexae, qua orbatae nostrae ecclesiae, monasterioque de nova abbatissa provideremus ac proinde bene memoratis dominis visitatori et commissario plenam facultatem dedimus et concessimus, ut nostra omnium vota singulatim et ordine justo praeviis consuetis in tali negotio communicatione venerabilis eucharistiae sacramenti, juramentis, exhortationibus et examinibus diligenter inquirerent, scrutarentur, conscriberent et suffragiis nostris inter se collatis illam in abbatissam orbatae nostrae ecclesiae et monasterii eligerent et nominarent, in quam nos omnes aut majorem sanioremque capituli nostri ac conventus partem consensisse et vota nostra direxisse intelligerent, et postea eandem a se modo praemisso electam nominarent et publicarent. Qui quidem domini scrutatores impositam sibi scrutandi provinciam subeuntes una cum notario subscripto ad haec specialiter requisito ibidem in loco capitulari juramentis per quamlibet nostrarum successive praestitis, nos singulas ad se venire jusserunt ac suffragia et vota nostra secrete et singulatim a qualibet mediantibus nostris juramentis recipientes et colligentes, eaque per ipsum notarium fideliter calamo excepta inter se conferentes compererunt, nos in dominam Reginam Elisabetham Mohr a Wald priorissam nostram consensisse, suffragiaque nostra direxisse; proinde in vim mandati et potestatis a nobis datae eandem dominam Reginam Elisabetham Mohr a Wald in nostram,

nostraeque ecclesiae ac monasterii abbatissam electam publicaverunt et pronunciaverunt in nomine Dei Patris et filii et Spiritus S. Quam quidem electionem sic solemniter celebratam rite et canonice factam, nos omnes et singulae supra et inframentionatae ratificavimus et approbavimus ratamque et gratam habuimus ac de ea gavisi sumus, praesentibusque ratificamus, approbamus, gratam habemus et gaudemus, nec non una ad ipsius ecclesiae chorum canticum *Te Deum laudamus &c.* cantantes ordine perreximus, ubi tantisper dum hujusmodi canticum una cum collecta absolvissemus, flexis genibus mansimus. Quapropter em^{me} ac r^{me} domine em^{tiae} v^{rae} in omni reverentia et obedientia unanimes supplicamus, ut ea pro solita sua clementia hujusmodi nostram electionem canonice et unanimi consensu omnium nostrum factam et celebratam admittere, approbare, confirmare ac praedictae dominae nostrae electae abbatissae, ea quae, em^{tiae} suae officii hac in parte fuerint, clementissime concedere et impartiri dignetur, quo sub ipsa uti nostro capite ac matre Deo opt. maximo commodius invigilare ac militare possimus. Caeterum ut em^{tia} sua certo intelligat hujusmodi electionem modo quo describitur esse peractam eamque a nobis omnibus et singulis ratam et gratam haberi et placere, praesentes literas conventus nostri appendente sigillo munitas per notarium subscriptum exinde fieri et subscribi curavimus, propriisque manibus subscripsimus.

Actum in monasterio nostro praefato anno Domini 1656 die 24. mensis aprilis, praesentibus honorabili domino Henrico Hees pastore ad S. Paulum, nec non discreto Joanne Weyrich cive Trevirensi, testibus ad praemissa rogatis et requisitis.

Subscriptum: Ego soror Regina Elisabetha Mohrin de Wald electioni de me factae de misericordia divina confisa consensi et praesenti instrumento subscripsi. Ego soror Eva Deder in r^{dam} d^{nam} electam consensi et subscribi feci. Ego soror Maria Magdalena de Thissiers in electionem r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi. Ego soror Regina Elisabetha a Wachemer in electionem praetactae r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi.

Ego soror Francisca Irmina de Thissiers in electionem r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi. Ego soror Joanna Margaretha ab Enschringen in r^{dam} d^{nam} electam consensi et subscripsi. Ego soror Joanna Barbara de Hattstein electioni r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi. Ego soror Joanna Mousa de Boullain in r^{dam} d^{nam} electam Reginam Elisabetham consensi et subscripsi. Ego soror Irmina de Piesport in electionem praedictam r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi. Ego soror Anna Margaretha de Loewenstein in r^{dam} d^{nam} electam consensi et subscripsi. Ego soror Anna Catharina ab Enschringen electioni r^{dae} d^{nae} consensi et subscripsi.

Arnoldus Clottenus sacris apostolica et imperiali authoritate notarius publicus, causarumque curiae ecclesiasticae et saecularis Trevirensis scriba juratus ad praemissum electionis actum requisitus.

Confirmatio ejusdem ab eminentissimo 28. aprilis 1656.

Carolus Casparus Dei gratia archiepiscopus Trevirensis sacri Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius ac princeps elector, administrator Prumiensis perpetuus etc. Notum facimus universis et singulis, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint. Vacante nuper abbatia monasterii sanctimonialium beatissimae Virginis Mariae in Horreo intra muros civitatis nostrae Trevirensis ordinis S. Benedicti per mortem quondam Annae Ameliae ab Hattstein ejusdem monasterii abbatissae novissime extra Romanam curiam defunctae, venerabiles ac religiosae in Christo nobis dilectae Regina Elisabetha Mohrin a Wald, Eva Deder, Maria Magdalena de Thissiers, Regina Elisabetha de Wachemer, Francisca Irmina de Thissiers, Joanna Margaretha ab Enschringen, Joanna Barbara ab Hattstein, Joanna Mouza de Boullain, Irmina de Piesport, Anna Margaretha de Löwenstein, et Anna Catharina ab Enschringen, moniales et conventuales ipsius monasterii professae, capitulumque et conventum facientes et repraesentantes, statuto ad hoc

termino, videlicet die lunae vigesima quarta mensis aprilis jam praeterita in loco suo capitulari de futura electione abbatissae convenerunt vocatisque omnibus, quae electioni hujusmodi potuerunt et debuerunt interesse ac habitis desuper tractatibus opportunis, demum cooperante Sancti Spiritus gratia per viam juxta scrutinii adjuncto compromisso praefatam venerabilem ac religiosam in Christo devotam nobis dilectam Reginam Elisabetham Mohrin de Wald in suum et praefati monasterii abbatissam concorditer elegerunt, prout in electionis decreto nobis desuper praesentato plenius cernitur contineri, fuitque nobis postmodum tam pro parte eligentium, quam electae humiliter supplicatum, quatenus ad confirmationem electionis hujusmodi juxta officii nostri debitum procedere dignaremur. Nos tum recepta tam super forma electionis dictae quam super meritis personae electae supradictae informatione diligenti, nec non perquisito etiam de aliis circa haec merito inquirendis, invenimus electionem de persona memorata electa ad praelibatam abbatiam rite et canonice fuisse celebratam, nec reperimus aliquod canonicum, quod deberet, aut posset confirmationem electionis hujusmodi impedire; idcirco ipsam electionem tanquam canonicam et rite et legitime factam (recepto tamen a praefata electa debito et consueto juramento) approbandam et confirmandam duximus et tenore praesentium in Dei nomine approbamus et confirmamus, praefatamque Reginam Elisabetham Mohrin de Wald de dicta abbatia ac ejus fructibus, juribus, proventibus, et emolumentis universis investivimus, mandantes priorissae, conventui ac omnibus et singulis personis regularibus, ecclesiasticis et mundanis, vasallis, curtariis, colonis et subditis monasterii in Horreo supradicti; quatenus praefatae Reginae Elisabethae Mohrin de Wald tanquam eorum atque ejusdem monasterii verae abbatissae pareant, obediant et intendant reverenter in omnibus et singulis, in quibus tenentur de consuetudine vel de jure, sibique de fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis dictae abbatiae respondeant et ab aliis, quantum in eis fuerit, faciant integre responderi.

Datae in civitate nostra Trevirensi nostro sub sigillo praesentibus subappenso die vigesima octava aprilis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto.

Juramentum electae in Horreo Reginae Elisabethae Mohrin a Waldt. 28. aprilis 1656.

Ego Regina Elisabetha Mohrin a Wald electa monasterii beatae Mariae Virginis ad Horreum in civitate Trevirensi etc. juro, polliceor et promitto, quod ab hoc in antea obediens ero domino meo gratiosissimo domino Carolo Casparo archiepiscopo Trevirensi suisque successoribus canonice intrantibus ac ecclesiae suae, quodque mandata ipsius domini mei archiepiscopi et suorum officialium maxime spiritualium in honestis, decoris ac religionem spectantibus benigne et reverenter recipiam, atque eisdem pro posse parebo, dictique monasterii mei bona praesentia et futura de novo nemini infeudabo, vendam, vel in emphytêusin sive perpetuam locationem concedam, neque alias quovis modo alienabo, in toto vel in parte, absque speciali et expresso consensu et voluntate dicti domini archiepiscopi suorumque successorum. In quorum fidem et testimonium has literas propria manu subscripsi.

Data anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto die vigesima octava aprilis.

Subscriptum: Regina Elisabetha Mohrin a Wald.

De moderno statu ecclesiae et monasterii ad S. Irminam Treviris.

Postquam nova ecclesia sub abbatissa Maria Francisca Amalia a Meyerhofen aedificata fuerat ab anno 1768—1770, rev[mus] et ser[mus] dominus Clemens Wenceslaus archiepiscopus Trevirensis et princeps elector hanc ecclesiam abbatialem Sanctae Irminae et altare majus anno Domini 1771 die 15[ta] septembris in honorem beatissimae Virginis Mariae in coelos assumptae consecravit, et reliquias SS. Willibrordi et Materni aliorumque

Sanctorum in eo inclusit, declarans, diem anniversariam habendam esse dominica post festum S. Crucis, quod nunc fit omni anno dominica post octavam Omnium Sanctorum.

Eodem anno 1771 die 18va decembris rev^{mus} et ill^{mus} dominus episcopus Myriophitanus, suffraganeus Trevir. Joannes Nicolaus ab Hontheim consecravit in hac ecclesia duo altaria, primum a latere evangelii in honorem S. Irminae, alterum ss^{mae} Crucis sub abbatissa Maria Henrica de Loewenhaupt. (1)

Monasterii aedificium modernum elegans et splendidum constructum fuit circa annum 1740—1744 sub abbatissa Anna Maria de Beck. (2)

CAPUT XIII.

Monasterium beatae Mariae Virginis in Monte juxta moenia Poppardiae.

Primordia loci ad Gregorii VII. aetatem et Henrici IV. imperatoris referunt, qua schisma inter regnum et sacerdotium pestilens exoriri coepit. Gregorius cura studioque suo monasterii incunabula fovisse dicitur; ipsius vero Henrici diploma

---

(1) Sub abbatissa M. Henrica de Loewenhaupt ser^{mus} elector et archiepiscopus Clemens Wenceslaus visitationem claustralem abbatiae ad S. Irminam fieri praecepit, quae praesidente r. d. libero barone Hugone Boos a Waldeck, canonico capitulari ecclesiae metropolitanae Trev. per r. d. Joannem Michaelem de Pidoll, decanum ecclesiae collegiatae ad S. Paulinum Trev. die 27., 28. et 29. julii 1789 ad effectum perducta est, sicuti ex protocollo commissionis et literis d. d. 6. septembris et 15. octobris 1789 perspeximus.

(2) Confer. Barruel, Mémoires pour servir à l'histoire du jacobinisme, tom. I. pag. 124 et tom. IV. Non minus luculenter disserit de prolapsu et reformatione monasteriorum in genere author quidam in opusculo Mscript.: *Mémoire sur les causes de la décadence et les moyens de réformation des monastères dans l'électorat de Trèves du 15. septembre 1793. — Abbé L. Bonaventure Proyart: Louis XVI. détroné avant d'être roi, pag. 128.*

legitur, quo civium totiusque communitatis voluntatem approbat in condendo parthenone. Monte igitur ad austrum oppidi vitifero capellam erexerant majores, quae jura Sacrorum a majori basilica S. Severi petebat. Haec turribus et antiquitate visenda, canonicos olim aluit, nunc oppidi plebanum et sacerdotes administros illius curae nonnullos. Cordi jam civibus erat pro religione, quae tum animis insidebat, oratorium id a collegii Severiani legibus absolvere, fundisque permutatis propriam in sedem transferre, quae Mariae virginum reginae, aliisque virginibus cederet, Christum illius matrem imitandi studio accensis; multa tum hic nobilitas vixit, et pro oppidi conditione ei magnus honos apud caesares et aestimatio fuit, stirps oppidi propria Bavarorum de Boppardia, quibus curae regia fuit, quae ad occidentem prope a moenibus conspicitur. Burgi tutores allecti genere optimi ac strenui, et potior ex his quoque senatus. Quare hi autores fuere praecipui, qui et liberorum pudicitiae consultum vellent, et de religione mereri quam optime. Missus igitur Conradus Waldeccus Treverim, qui communis nomine a S. Eucharii abbate virginibus magistrum exposceret monasterii, regimen abbati eidem subjiceret. Datus magister, acceptum regimen, et durat in hanc quoque aetatem. Faverunt loco reges, dynastae, praesules maxime Treverici, quam in rem ne plura, quam velis, ingeram, moneo, caesarum extare praeclaras exceptiones, quibus et de fisco suo aes non solutum virginibus annumerari jubent, et in alienatione qua regni vectigalia contingeret oppignorari, claustrum S. Mariae volunt immune et exceptum manere. Ita Henricus VI. dictus VII. anno 1224.

Monasterii cura penes magistras olim resedit, quarum cum fere memoria exciderit, nisi quod in ephemeride veteri nomina solum occurrant, ordiar classem antistitum ab illa morum conversione, quam Joannes Rode, S. Matthiae abbas, vir quem huic aetati singularem Deus ad monasticum veternum profligandum, avitum pietatis calorem excitandum, reipublicae christianae concesserat, et huic intulit loco. Anno quippe a Domini ortu 1437, maji 19., in frequenti hominum coetu,

solenni ritu — verbis utor majorum — *Mons S. Mariae fuit reformatus et firma ac perpetua clausura obseratus.* Duxit inter virgines familiam tunc,

Isengardis Griffenclaw, Richardi immortalis memoriae Trevirorum pontificis amita, quae septem et triginta annis in abbatissae officio expletis, vitae concessit ãõ 1469, cujus in anniversariis hoc elogium reperiebam: *Anno Domini 1469 decembris 2. die, transiit ex hac vita Isengardis Griffenclaw, hujus coenobii magistra, quae Dei cura hoc monasterium ad sanctae vitae reduxit laboriosissimè terminos.*

Christina a Griffenclaw rexit annos quindecim, obiitque anno 1484.

Margaretha Rheni comes, triginta duobus annis assidens regimini, eum fructum emendationis importatae disciplinae recepit, ut anno 1515 duo de quinquaginta virgines Deo dicatas, genere partim nobili, partim illustri, sub signis haberet, cum novem vix amplius Isengardis ex antiquioribus inscripsisset.

Caecilia Ingelheimia triennalem modo functionem habuit, quam anno 1517 erat exorsa. Obiit anno 1520.

Apollonia a Dalberg Cameraria, Joannis Dalbergii, Vangionum episcopi, ob excellentis ingenii doctrinaeque copiam celeberrimi, ex fratre neptis. Triennalis et illa fere potita regimine, obiit 12. aprilis 1524.

Maria Sunnebergia comes, 24 annis ferme praefuit, obiit anno 1547.

Barbara a Leiningen, Emichonis comitis et Annae Eppensteiniae filia, successit, cal. maji (alia Ms. postridie calend.) anni 1547 electa. Pervenit ad 1577, postridie S. Matthiae vita defuncta.

Joanna Rheni palatina, Joanne Bavariae duce et comite Spanheimio patre, nisi fallor, et Beatrice Badensi marcgravia matre progenita, quorum in anniversariis ad 57 ejusdem saeculi expressam observo memoriam. Vivendi finem fecit Joanna salutis anno 1581, ipsa luce purificationis B. Virginis.

Catharina Wulffen hinc septem modo vixit supra decem hebdomades.

Amelia Zandt a Merl, Mosellana, in augusto, ad decollati S. Joannis Baptistae diem cooptata, quae ut integritatis, sic innocentiae religiosae studio, in amplificationem loci incubuit, gratiam apud posteros, praemium apud superos merita.

Huc usque Masenius. Pauca sunt et minus relevantia. Altiora idcirco subjungam, historiam coenobii Marienbergensis, ab illustriss. Kupp elaboratam.

Von dem adelichen Frauenkloster Marienberg.

§. 1.

Dieses Kloster steht auf einer Anhöhe über der uralten Stadt Boppard, die von den Römern Bodobriga genannt worden ist. Das Gebirg hieß man nachhero von einer Marienkapelle, die darauf gestanden, und der Bopparder Pfarrkirchen zugehörig war, Marienbodenburg, endlich Marienberg. Die Bopparder Ritter- und Burgerschaft machte besagte Kapell durch einen Tausch von zehnfachem Werthe von der Pfarrkirche los, und beschenkte sie mit Gütern, um ein Kloster dabei zu errichten. Zur Vollstreckung dieses Werkes ward Marienberg der Abtei St. Matthias, bei Trier, durch Konrad von Waldeck, der zu dem Ende von der ganzen Bopparder Ritter- und Burgerschaft nach Trier gesandt worden, auf ewig übertragen. Alles dieses bestätigte Kaiser Heinrich V. ums Jahr 1123. In einem Bestättigungsbriefe der Besitzungen der Abtei St. Matthias vom Pabst Eugen III. im Jahr 1147 wird das Kloster Marienberg bei Boppard, Cella beate Marie, obenan gesetzt.

§. 2.

Diese Marienberger Stiftung vermehrte Kaiser Friedrich II. mit ansehnlichen Besitzungen, und was seine Vorfahren, Römische Kaiser und Könige, darzu verliehen hatten, verlieh er aufs neue am 22. April 1220. Sein Sohn, der Römische König Heinrich, nahm am 8. Jänner 1224 besagtes Kloster Marienberg in seinen besondern Schutz. Eben so ertheilten ihm die folgenden Römischen

Könige, Richard 1262, Rudolph von Habsburg 1274, Adolph 1293, Albert 1298, Heinrich VII. 1309, und Ludwig IV. 1314, ihre Schutzbriefe. Die vier letztern machten hierbei den Zusatz, daß Güter, die vom Römischen Reiche zu Lehen gehen, und dem Kaiser und Reiche zu Steuern und Diensten verbunden seyen, demselben Kloster Marienberg, ohne kaiserliche Einwilligung nicht zugewendet werden sollten. Hieraus läßt sich mit Grunde schließen, daß die dem Kloster Marienberg von dem Adel und andern zu Boppard geschenkten Güter reichslehenbare Güter gewesen seyn müssen, welche besagtem Kloster mit kaiserlicher Verwilligung zugewendet worden. Der Kurfürst Johann von Isenburg zu Trier erkannte dieses in seinen Briefen und gegebenen Aufträgen für das Kloster im Jahre 1551. Schon vorher hatte K. Karl IV. solches zum Beweggrund, als er in seinem großen Gnaden- und Bestätigungsbriefe aller Besitzungen des Klosters Marienberg im J. 1349 verordnet und auf ewig festgesetzt hat, daß wenn auch Boppard oder andere an das Kloster angränzende Theile in gewissen Fällen verpfändet, durch Tausch, Verkauf, Schenkung oder andere rechtmäßige Wege vom Reich abgesondert würden, besagtes Kloster mit allen seinen Zugehörden dennoch nicht beschweret, verkaufet, zu Lehen gegeben oder auf andere Weiß vom Reich veräusert werden, sondern bei demselben zu allen Zeiten frei verbleiben solle.

Eine gleiche Versicherung erhielt das Kloster von Friedrich III. als Römischen Könige im J. 1442, am Dienstag nach St. Kilians Tag, und als Römischer Kaiser im J. 1486, wie auch von Maximilian I. zu Worms am 13. October 1495, von Karl V. zu Worms am 31. März 1521, ferner von K. Ferdinand I. zu Augsburg am 19. August 1559, K. Maximilian II. eben daselbst am 11. May 1566, von Ferdinand III. zu Wien am 13. May 1637, von Leopold I. am 29. May 1669 und Karl VI. zu Frankfurt am 4. Jänner 1712.

§. 3.

Unter die kaiserliche Stiftungsgüter und Schenkungen gehören ohne Zweifel auch die Herrschaft Hailsfeld, Halsfeld, Holtzfeld,

zwischen St. Goar und Hirzenau, mit ihrer Zugehör: ferner Knebelhausen, Insul aufm Rhein, und Sachsenhausen jenseit des Rheins, unter Welmich gelegen. Es ist zu bedauern, daß die Urschriften davon der Feuersbrunst, die das ganze Kloster Marienberg am 10. März 1738 betroffen hat, nicht haben entrissen werden können. Dermalen sind nur noch einige Weißthümer, Register und der Vergleich zwischen dem Kurhause Pfalz und dem Kloster Marienberg vom 2. Oct. 1765 vorfindig. In einem Register vom Jahre 1557 befindet sich aus einer ältern Schrift folgende Stelle: „Die gaben und almoisen, die Ludewik ein „scholtes zu Boppard und Luccardis syn elich Husffrau dem closter „geben hant zu heyle irer seelen, myt namen Hailsffeld mit dem „gericht daselbst, den hoiff Sassenhusen (1), welde, wingard, und „was dazu gehöret, die sie fry, sonder hinderniss und beschwerniss „der faydie oder des saids und aller menlichs besitzen sollen."

Erlolph von Sterneberg übergab Hirzenaw dem Kaiser Heinrich IV. zur Stiftung einer Kirche und Probstei. Es ist glaublich, daß die Lukard ihr an Hirzenau stossendes Holzfeld mit seiner Zugehör dem Kaiser für das Kloster Marienberg ebenfals übergeben, oder gar selbst demselben mit kaiserlicher Genehmigung zugewendet habe. Eine bekante Sache ist, daß die Einkünften von grossen Flüssen und deren Insuln kaiserliche Domänen gewesen sind. Von uralten Zeiten her ist die Schirmvogtei Holzfeld und dessen Zugehör beim Kurhause Pfalz. Wie und woher solches komme, läßt sich aus der Urkunde vom Jahr 1340 abnehmen, als worin Pfalzgraf Rudolph II. alle Pfälzische Lehengüter auf der Rheinseite, worauf Trier liegt, die nicht vom Reiche oder andern Herren herrühren, als erzstiftisch

(1) Laut der Urkund Nro 2. hat Mechtild von Deyrne, genannt von Olkirhausen, ihre Güter in den Marken von Sachsenhausen und Prad im J. 1296 dem Kloster Marienberg auf 21 Jahre verpachtet. Marienberg hat also nur einige Güter zu Sachsenhausen von der Luckard bekommen, die andern aber nachher zu seinem dasigen Hofe erworben. Luccardis war mit Ludwig von Bikenbach, Stadtschultheise zu Boppard, verehlicht. Sie ward nach seinem Tode Klosterfrau zu Marienberg im J. 1214, und starb ungefähr 1249.

Trierische Lehen anerkannt hat. Ich vermuthe, daß die Klosterfrauen von Marienberg die Rheinischen Pfalzgrafen selbst zu ihren Schirmvögten zu Holzfeld erwählet haben.

§. 4.

Nach dem grossen Brand von 1738 suchten die Klosterfrauen die Grabsteine und andere Denkmäler vom Pfälzischen Hause sorgfältig hervor. So viel deren gefunden worden, sind im neuen Kreuzgang aufgestellt, und zum Theil schon in den Akten der kurpfälzischen Akademie der Wissenschaften, Bd. III. 27, verzeichnet. Nicht weniger fleissig sammelten sie die bei besagtem Brand zerstreute Pfälzische Urkunden, die wir nun zum ersten mal herausgeben. Es erhellet daraus, daß die rheinischen Pfalzgrafen das Kloster Marienberg als ein Erziehungshaus der vollkommensten Klosterfrauen angesehen und begabt haben. Pfälzische Fürstenkinder glaubten nirgend besser, als auf dem Bopparder Marienberg sich dem geistlichen Stande widmen zu können. Auf einer uralten gemahlten Tafel im Kloster steht unter den ersten Meisterinnen desselben Maria comitissa palatinatus Rheni. Wessen Pfalzgrafen Tochter sie gewesen, ist noch zweifelhaft. Nach Maßgab der Zeitrechnung läßt sie sich als eine Tochter des Kurfürsten Otten des Erlauchten oder Ludwigs des Strengen angeben.

§. 5.

Ludwig der schwarze, Herzog zu Zweybrücken, und seine Gemahlin Johanna von Croy überliesen ihre beiden Töchter Johanna und Anna im J. 1469 der Marienberger Aebtissin Issingard Greifenklau von Volraths, und verschrieben denselben eine jährliche Leibrent von ihrem Theile an den Zöllen zu Bacharach und Caub. Diese beiden Schwestern starben im Jahre 1520, Anna am 21. April, Johanna den 11. September.

Eben so begab sich aus dem Pfalz-Zweibrückischen Hause in den Marienberger Klosterstand Catharina, Tochter des Pfalzgrafen Alexanders und Margarethen, gebornen Gräfin von Hohenlohe. Diese Eltern vermachten ihrer Tochter deswegen am 6. Nov. 1509 eine jährliche Leibrent von 30 rheinischen Gulden

an Gold von ihrem Zollthurnos zu Boppard. Im Marienberger Todtenbuche wird der 26. März als ihr Sterbtag angegeben: »26. »martii obiit Catharina ducissa Bavariae, Alexandri comitis pala»tini, ducis Bavariae, et comitis Veldentiae, et Margarethae filia, »1509 professa.« Es irren sich also diejenigen, welche mit Tolner vorgeben, sie habe das Kloster verlassen, und sich mit einem Grafen Otto von Rietberg vermählet. Zu ihr gesellte sich ihre Schwester Margaretha, die im zweiten Jahre ihrer Profession, im 17ten ihres Alters den 9. Decemb. 1522 auf dem Marienberg gestorben ist. In eben demselben Jahre, den 3. Sept. 1522, hat ihre Mutter, Pfalzgräfin Margaretha, das Zeitliche verlassen.

§. 6.

Desgleichen wurden aus dem Pfalz-Simmerischen Hause in dem nämlichen Marienberger Kloster Johann und Odilia, Töchter des Pfalzgrafen Johanns II. und seiner Gemahlin Beatrix, Markgräfin von Baden, im J. 1520 versorget, und ihrem Beispiele folgte 10 Jahre hernach ihre Schwester Maria, welche Pfalzgraf Georg zu Simmern seine freundlich liebe Schwester in seinem Antwortschreiben an dieselbe vom 7. Jänner 1566 nennet. Im Marienberger Todtenbuche heißt es von ihr: »29. maji obiit »Maria, soror Odiliae et Johannae, scriba monasterii nitidissima.« Hiemit weiß man nun sicher ihren Vater, den die Akten der kurpfälzischen Akademie nicht gewiß angeben konnten. Von besagten drey Schwestern ist Odilia den 6. September 1553, und Maria den 29. May 1576, besage der im Marienberger Kreuzgange aufgestellten steinernen Grabschriften, gestorben. Von der Johanna wissen wir, daß sie unter der Aebtissin, Gräfin von Leiningen, Priorin des Klosters gewesen, und im Monat März 1576 an deren Statt zur Aebtissin erwählet worden. Hiezu war der Kurfürst Jacob von Elz durch ein Vorschreiben behilflich. Sie starb den 2. Hornung 1580, more Trev. Auch hatte der Pfalzgraf Johann II. zu Simmern eine Tochter, Namens Catharina, welche am 22. März 1572 als Aebtissin des Klosters Chumd bey Simmern gestorben ist. In dem Marienberger Todtenbuche wird ihrer als einer Chumder Klosterfrau gedacht: 6. septemb.

obiit Ottilia, ducissa Bavariae, Joannis comitis Rheni palatinatus, ducis Bavariae ac comitis Sponheimiensis, et Beatricis, natae marchionissae de Baden, filia, soror germana Joannae. Habuere et hi illustrissimi parentes filiam nomine Catharinam, professam in monasterio Comede ord. Cister. Nata haec erat 1510, 27. martii.

§. 7.

In der Beschreibung der Bopparder Belagerung und in der Nachtunge über Boppard, welche im Kloster Marienberg vom Simmerischen Pfalzgrafen Johann I. im J. 1497 aufgesezet worden, heißet dieses Kloster zum Unterschiede des in erwähnter Beschreibung so genannten Martinsclöstergen das groisse jungfer cloister, wie auch von seiner hohen Lage, wo nicht von den darin lebenden hochgebornen Professen, das hoecloister. Bei diesem Bopparder Krieg muste Marienberg sehr vieles leiden. Es gerieth durch nachfolgende Unbilden der Zeiten und Leute in bittere Armuth unter der Aebtissin Apollonia von Dalberg, welche im J. 1524 gestorben ist. Ihre Nachfolgerin, die Aebtissin Maria von Sonnenberg, stellte dem Pfalzgrafen Johann II. ihr Elend vor. Zum Pfälzischen Lehen Erenberg an der Mosel gehörte Rey, auf dem Hundsrück. Die drey Gebrüder von Pirmont und Erenberg verkauften dieses Rey als ihr völliges Eigenthum, der eine nämlich seinen Theil an Peter Hergott von Bobach, den 17. März 1479 more Trev., die andern aber, Friedrich und Heinrich, den 22. Sept. 1480 dem Kloster Marienberg. Eben dahin kam auch der an Peter-Hergott verkaufte Antheil. Nach dem Absterben Heinrichs, des lezten Lehenträgers von Pirmont und Erenberg, nahm belobter Pfalzgraf Johann das Lehen Rey als verfallen zu sich, und benuzte selbiges lange Zeit. Um aber dem bedrängten Kloster zu helfen, ließ sich derselbe bewegen, den Tochtermann Heinrichs, Philipp von Elz, aus neuer Gnad damit zu belehnen, und bethätigte die Sache so, daß die Belehnung sowohl von ihm selbst als auch von der Aebtissin und dem Konvent des Marienbergs eingeholet werden, und die Söhne Philipps von Elz, Heinrich und Friedrich, dem Marienberg für seinen Verzicht auf

Rey 400 Gulden zahlen, auch Mermich mit allen seinen Zugehörden auf ewig demselben abtreten mußten. Dieses geschahe durch einen Vertrag vom 29. April 1531.

Das vormalige Klöstergen auf dem Peternacherberg unter Boppard, ward anfänglich von den Marienberger Klosterfrauen für Jungfrauen des Kreuzbrüderordens gestiftet, kam aber um das Jahr 1494 an die Chorherren desselben Ordens. Diese übergaben es im J. 1551 den Carmeliten zu Boppard, mit der Bedingniß, sich die Einwilligung des Trierischen Erzbischofs zu verschaffen. Der belobte für Marienberg so sorgfältige Pfalzgraf Johann suchte diese Einwilligung des Erzbischofs zu verhindern, und gemeltes Klöstergen dem Marienberg selbst zur Abhelfung seiner Nothdurft zuzuwenden. So lehrt uns das Antwortschreiben des Churfürsten von Trier, Johannsen von Isenburg, an den Pfalzgrafen, dessen vielfältige Hilf, Rath und Beystand für Marienberg in seinen Nöthen er sehr lobet. Eben dieser Pfalzgraf verfertigte mit seinen fürstlichen Händen ein schönes Bildnis der Entschlafung der h. Maria für seinen Lieblingsort Marienberg. Brower, der solches gesehen, schreibt davon in seinen Trierischen Annalen, lib. 21, n°. 103. Noch jetzt wird dieses Denkmal Pfälzischer Andacht in dem Marienberger Chor mit Verehrung aufbewahrt. Ich selbst sahe es neulich in einer 27 Zoll hohen und 20 Zoll breiten schwarzen Einfassung. Auf den mit vergoldeten Gesimsen gezierten Zuschlägen siehet man auswendig der H. Johanna und Odilia Bildnisse in Schwestergleichen Gesichtern, vermuthliche Abbildungen der beiden Töchter des Pfalzgrafen, welche, wie oben gezeiget worden, Klosterfrauen auf dem Marienberg gewesen. Inwendig sind die Bildnisse der entschlafenen H. Jungfrau, und der um sie stehenden zwölf Apostel aus Holze, im weisen Anstriche mit goldenen Säumen geschnizelt. Brower nennt es daher der Apostel Theilung oder Scheidung, weil diese, wie die Ueberlieferung lehrt, gleich nach der Entschlafung der Mutter Gottes bei ihrer Ruhestätte sich versammelt, und sogleich in alle Welt vertheilet haben.

Des Pfalzgrafen Johannsen Sohn Georg war dem Marienberg nicht weniger geneigt, wie aus seinem Briefe an seine Schwester Maria, Schreiberin des Klosters, erhellet, als worin er die Be-

stättigung der Marienberger Privilegien beim Kaiser Maximilian II. auf dem Reichstage zu Augsburg durch seine Abgeordnete zu besorgen verspricht. Diese Bestättigung ist auch daselbst am 11. April 1566 ausgefertiget worden.

§. 8.

Das Kloster Marienberg ward von seinem Ursprunge an bis 1437 nach der Regel des H. Benediktus von Meisterinnen regieret, von welchen wir nur diejenigen namentlich anführen wollen, deren Lebens- und Regierungszeit uns bekannt ist.

Clara von Waldeck ums Jahr 1123 (1).

Guda 1273.

Helena von Dalberg 1304.

Anna von Hoheneck 1306.

Irmgard von der Leyen 1338.

Gertrud v. Ouersburg 1360 (Ovirsburg, Abirsburg), Priorin, erscheint als Meisterin 1377, 1385.

Gutta von St. Goar 1363, 1368.

Sophia Lobusch von Covern 1377.

Gertrud von Auirsburg 1385.

Meckele Kolb von Boppard 1398, 1399.

Gutta von Langen 1400.

Meckele Kolb von Boppard. Diese starb den 15. December 1432, und hatte zur Nachfolgerin,

1. Isingard Greiffenklau von Volraths, welche bey der von ihr eingeführten Reformation den 29. May 1437 zur Aebtissin erhoben worden ist. Sie starb den 2. December 1469. Bei ihrer genauen Klosterzucht waren über 100 fürstliche, gräfliche und adeliche Frauen auf dem Marienberg. Aus anderen Klöstern kamen

(1) Die im J. 1345 zu Rheinfels aufgehobene und anders wohin versetzte Benediktinerinnen werden von einigen ganz fälschlich als die erste Pflanzen auf dem Bopparder Marienberg angegeben, und zwar aus einer steinernen Inschrift auf der Veste Rheinfels. »An. 1345 hic locus a Diderico comite de Catzenelebogen ad Rhenum frenandum, et telonium erectum conservandum arce et moenibus communitus, monasterium, quod hic fuerat, consensu pontificis alio translatum.«

dazu im J. 1439 Lukard von Alberode (Abentrode, Obentraut), aus Oberwerth, bei Coblenz; Maria von der Leyen aus Engelport, und im J. 1449 Elisabeth von Lüsur nebst Margaretha Stumpf von Waldeck, aus Neumünster oder Clarenthal bei Wiesbaden. Es wurden auch aus dieser Versammlung unter der Aebtissin Isingard hin und wieder einige verschickt, um die Marienberger Klosterzucht einzuführen, als

I. nach Cumd, Margaretha von Rodeln, Aebtissin, Barbara von Wolfskele, Catharina von Ruwen, Catharina von Schönborn, Christina Winstock, Brigitta von St. Goar u. s. w.

II. nach Dierstein: Elisabeth Beier von Boppard, als Aebtissin, und Maria von Wirtenberg.

III. nach Eisleben in Sachsen, Margaretha Strunken, Aebtissin.

IV. nach Lobenfeld, im Elsenzgau, Wormser Bisthums, Agnes von Roirbach, Aebtissin.

V. nach Schönau im Nassauischen, ohnweit der alten Lurenburg, Bizela von Buchen, gestorben 1448.

VI. nach St. Walburg in Eichstädt, 1456 Sophia von Cöln, Aebtissin, Walburg von Fronwerk, Catharina von Caub, Dietrichs von Germersheim, des Zöllners zu Caub Tochter, Margaretha Richel von Geispitzheim.

VII. nach Walsdorf ohnfern Katzenelnbogen, Jacoba von Dailstein, Meisterin, und Sophia von Stuppelrode, Priorin.

Der Aebtissin Isingard wurde folgende Grabschrift gesetzet:

Anno Domini MCCCCLXIX. decembris secunda die transiit ex vita hac labili venerabilis dompna Ysengart Gryffclae hujus cenobii magistra que Dei cara hoc monasterium ad sancte vite reduxit laboriosissime terminos.

Isengard und ihre Nachbarin behielten aus Demuth lang den Titel Meisterin bei. In alten Urkunden werden dieselben bald Meisterinnen, bald Aebtissinnen genannt.

§. 9.

Die zweite Aebtissin des Marienbergs war Christina Greiffenklau von Volraths, eine Brudersttochter der Isengard, welcher

sie unmittelbar folgte ([1]). Sie starb den 23. Junius 1484. Unter ihr sollen 150 Klosterfrauen gelebt haben, wozu Anna von Oberstein aus Oberwerth, bei Coblenz, im J. 1475 gekommen ist.

3. Die dritte Aebtissin, Margaretha Wild- und Rheingräfin, war ohne Zweifel eine Tochter des zweiten Wildgrafen aus dem Rheingräflichen Geschlechte Johansen IV., indem sie der Wild- und Rheingraf Johann V. in einer Marienberger Urkunde vom Jahre 1492 eine *Wildgraiffyn vnd Reyngraiffyn frauwen uff sant Marienberg by Boppart* seine *liebe schwester* nennet. Bruschius nennt sie eine Rheingräfin, nachher aber wollte er sie zu einer Pfalzgräfin, Tochter Ludwigs des Schwarzen zu Zweibrücken umschaffen, worin ihm Hontheim und Crollius gewissermaßen gefolget sind, indem sie dieselbe für eine Tochter des Pfalzgrafen Friedrich I. zu Simmern angegeben haben. Nach Crollius ist sie zuerst eine Klosterfrau zu St. Agnes binnen Trier, Augustinerordens, gewesen. Wie konnte sie aber in dem erst neulich reformirten Kloster Marienberg Benediktinerordens, dessen Zucht sie nicht gelernet hatte, im 18ten Jahre ihres Alters Aebtissin werden? In der Reihe der Meisterinnen des Klosters St. Thomas bei Andernach, Augustinerordens, erscheint »Margaretha de Bavaria principissa, quae anno 1499 post obitum reverendae dominae Gertrudis de Limburg magistrae, in magistram hujus asceterii de parthenone ad sanctam Agnetem Treviris professa, postulata fuit.« Mit dieser pfälzischen Margaretha also haben Hontheim und Crollius die Marienberger Aebtissin, eine geborne Rheingräfin verwechselt.

Im J. 1465 schickte diese Rheingräfin auf Anordnung des damaligen Erbischofs von Trier folgende geistliche Frauen, Maria von Rosenberg, Anna von Helmstatt, Margaretha von Pirmont, Walburg von Coblenz, Beatrix von Leiningen, und Elisabeth von Boppard, in das St. Irminenkloster zu Trier, um die Marienberger Klosterordnung daselbst einzuführen. Im letzten Jahre

---

(1) Humbracht, tab. 32, setzet zwischen Isingard und Christina eine andere Isingard, Schwester der Christina, als Marienberger Aebtissin, aber ganz irrig.

ihrer Regierung waren, laut Schreibens Johannsen von Metzenhausen, Domsängers und nachherigen Erzbischofs zu Trier, vom 10. Jul. 1515, noch 93 Frauen auf dem Marienberg.

4. Ihre Nachfolgerin war Cäcilia, eine Tochter Johannsen von Ingelheim und Margarethen von Hantschuchsheim, welche ihr im Jahre 1500 auf Donnerstag nach sant Marthyns tag eine Leibrente verschrieben haben. Sie starb den 19. April 1518, und mag also nicht viel über 30 Jahre alt geworden seyn.

§. 10.

5. Die fünfte Aebtissin war Apollonia von Dalberg, welche im J. 1524, den 14. April mit Tod abgegangen ist. Von diesem freyadelichen Geschlechte finden sich mehrere unter den Marienberger Klosterfrauen, als Gutta, Tochter Johannsen Kämmerers von Dalberg und Annen von Helmstatt 1464; Gutta, Tochter Wolfgangs von Dalberg und Gertrud Greiffenklau von Volraths, welche als Priorin daselbst gestorben 1496; Barbara, Tochter Philipps von Dalberg und Barbara von Flersheim, die auch als Priorin 1535 gestorben ist; Ennel, ihre Schwester, 1569; Anna und Gertrud, Friedrichs von Dalberg und Catharinen von Gemmingen Töchter, wie auch Margaretha, der Aebtissin Apollonia Schwester, welche bis 1553 gelebet hat. Diese beiden Schwestern waren Brudersкinder des berühmten Bischofs Johann von Dalberg zu Worms. Die Aebtissin Apollonia erhielt die Bestätigung der Marienberger Privilegien vom Kaiser Karl V. im Jahr 1521, den 31. März.

6. Auf sie folgte Maria Gräfin von Sonnenberg, deren Schwester Felicitas auch Profeß auf dem Marienberg gewesen ist. Sie starb den 23. April 1546.

7. Die siebente Aebtissin, Barbara Gräfin von Leiningen, wurde den 1. May 1546 erwählt, und starb den 27. Febr. 1576. Auf dem Marienberg ist eine kleine vergoldete Monstranz mit der Inschrift: *Reinhart Graff tzu Linigen, her tzu Westerburch, dumdechent tzu Colen, und propst z. C. seiner herzfrindlicher liben schwester 1538.*

8. Von Johanna Pfalzgräfin bey Rhein, welche im März 1576 als Aebtissin erwählet worden, und den 2. Febr. 1581 gestorben ist, haben wir oben, §. 5, gehandelt.

9. Nach ihr regierte Katharina Wolf von Spanheim nur eine kurze Zeit, indem sie schon den 19. Jul. 1581, in der eilften Woche ihrer Erwählung verschieden ist. Ihr Vater Philips von Spanheim war Pfälzischer Amtmann zu Bacharach, und ihre Schwester, oder nahe Anverwandtin, Ursula Wolfinn von Spanheim, welche des von Friedrich III. Kurfürsten zu Pfalz aufgehobenen St. Johannesklosters bei Alzei Conventualin gewesen, und nach Verlauf einiger Jahre ihres Aufenthalts zu Bacharach ebenfalls auf den Marienberg sich begeben hat.

§. 11.

10. Amalia Zandt von Merl, ward aus dem St. Irminenkloster binnen Trier im J. 1581 postulirt und starb den 20. Jun. 1624. Diese Aebtissin schickte im J. 1613, auf Ansuchen des Abts vom Jakobsberg zu Mainz, und nach Anordnung des Capitels der Bursfelder Congregation eine Priorin nach Eibingen im Rheingau zur Herstellung guter Klosterordnung. Hingegen kam aus Liebe zu der Marienberger Klosterzucht Johannetta von Bellenhausen aus vorbesagtem Kloster St. Irminen hieher, und starb den 3. Jan. 1668. Unsere Aebtissin Amalia bekam ihre Bruderstochter,

11. Maria Margaretha Zandt von Merl im J. 1623 zu ihrer Coadjutorin, welche nach ihr 30 Jahre lang regiert hat, indem sie erst den 12. Dec. 1654 mit Tod abgegangen ist. Ihr Vater, Johannes, war kurtrierischer Landhofmeister. Unter ihr bestand der Marienberger Convent noch in 41 Professen. Sie erlebte die armseligsten Zeiten und die schädlichsten Verheerungen im 30jährigen Kriege, wobei sie und ihre Geistlichen sich und ihre Sachen öfters haben flüchten müssen. Ihre Nachfolgerin,

12. Eva Margaretha Greiffenklau von Volraths, die zwölfte Aebtissin, ward mit ihrer Schwester, Katharina Elisabeth, im J. 1627 aufgenommen und im April 1655 zur Regentschaft des

Klosters befördert. Ihr Bruder, Georg Philipps, kurmainzischer geheimer Rath und Oberamtmann zu Königstein, hat das meiste zu den Stammtafeln des Rheinischen Adels von Humbracht beigetragen. Im J. 1657 ließ sie eine Orgel für die Klosterkirche machen, worin bis dahin noch keine gewesen war. Der Kurfürst Johann Philipp von Mainz gab 200 Rthlr. dazu. Kurfürst Karl Kaspar von Trier trug zur Herstellung des Marienberger Kirchengewölbs auch ein merkliches bei.

Im Marienberger Todtenbuche kommen aus dem nämlichen adelichen Geschlechte mehrere Klosterfrauen vor, unter welchen, nach der schon oben als zweyten Aebtissin vorgeführten Christina, die Helena Elisabeth, eine Tochter des oberwähnten Georgs Philipps Greiffenklau, welche im J. 1722, im 68ten ihres Alters als Priorin eine unsterbliche Verehrung ihrer ausnehmenden Tugenden hinterlassen hat. Der Bischof Johann Philipp von Wirzburg überschickte ihr, seiner Schwester, für die Marienberger Kirche im J. 1715 eine 2800 Pfund schwere Glocke, welche aber im Klosterbrande 1738 verschmolzen ist.

13. Maria Agnes von der Leyen war Aebtissin vom 20. Junius 1688 bis den 31. October 1731. Sie erreichte das 78te Jahr ihres Alters, und das 59te ihres Klosterlebens. Der Kurfürst Karl Kaspar von Trier war ihr Oheim. Ihre Grabschrift lautet also: *Anno 1731, 31. octobris pie obiit reverendissima ac illustrissima domina Maria Agnes de Leyen, quae huic monasterio XLIII. annis optime praefuit, cujus anima R. I. P.*

Es finden sich nebst dieser Aebtissin verschiedene andere Frauen auf dem Marienberg aus dem Leyischen Hause, worunter Eva Margaretha zu Saffig, Priorin († 1668), und Eva Cordula († 1681), Johann Kaspars von und zu der Leyen Töchter, im Jahr 1666, den Altar in dem Klosterchor aus ihrem Spielgelde machen lassen.

14. Maria Elisabetha Theresia Waltpott von Bassenheim, ward erwählt den 21. Nov. 1731, und starb den 9. December 1744. Sie war eine Tochter Johann Emmerich Wilhelms Walt-

pott, Herrn zu Cranzberg, Pirmont und Sevenich, geboren 1674. Im J. 1738, den 10. März, Nachts 2 Uhr, gerieth das Kloster Marienberg auf einmal so in Brand, daß es um 3 Uhr mit dem Kirchendache, und eine Viertelstunde darnach auch der hohe Kirchenthurn in der Asche lagen. Kaum konnten sich die Klosterfrauen in ihren Nachtkleidern aus den Flammen retten. Sie flüchteten sich zu den Inwohnern der Stadt Boppard. Morgens versammelten sie sich bei ihrer betrübten Aebtissin in einer beim Marienberg stehenden Mühle, die vom Brande frei geblieben war. Die benachbarten Klosterfrauen zu St. Martin schickten ihnen ein Mittagsmahl mit Schuhen, Strümpfen und andern Kleidungen. Eine jede suchte und erhielt nun einsweilen ihre Unterkunft entweder bei andern Klöstern, oder ihren Eltern und Verwandten. Indessen wurde sogleich der neue Klosterbau vorgenommen, und dazu schon am 23. April desselben Jahrs der erste Stein gelegt. Bald wurden auch Zellen aus Brettern und auf andere mögliche Art zubereitet, so daß am 4. Oct. die zerstreuten sich wieder unter die mütterliche Obsicht ihrer Aebtissin versammeln konnten. Zu dem Klosterbau musten 17,866 Rthlr. aufgenommen, und klösterliche Kleinodien für 2710 Rthlr. veräussert werden. Sonst erscheinen unter den Marienberger Professen nachfolgende Waltpottinen von Bassenheim: Maria Elisabetha, Georgs Anton zu Ollbrück und Agatha Maria von Schönborn Tochter. Ihr Verzichtsbrief ist vom 17. Nov. 1609. Eine Schwester derselben, Maria Margaretha, stund anfangs zu St. Thomas bei Andernach, kam sodann auf den Marienberg 1658 und starb 1687. Auch befindet sich folgende Grabschrift daselbst: *Anno 1705, 21. maji obiit religiosa ac praenobilis domicella Magdalena Elisabetha Waltpott a Bassenheim de Ollbruck, aetatis 62, professionis 46.*

15. Maria Sibylla von Esleben, erwählt den 29. Dec. 1744; vereidet den 21. Febr. 1745, starb den 9. Dec. 1755. Von ihr ward der Klosterbau vollendet, Klausur und die alte Klosterordnung wiederhergestellt. Die gemachten Schulden beliefen sich bei ihrer Regierung im J. 1746 auf 27,086 Reichsthaler. Ihr folgte

16. Maria Philippina von Lobenthal, erwählt den 30. December 1755, vereidet den 17. October 1756, verstorben den 31. August 1780. Ihr Vater, Leopold von Lobenthal, war kurtrierischer Hauptmann. Sie that ihre Klostergelübde im J. 1735, und ward wegen ihrem Eifer für die erbauliche Klosterzucht von dem Erzbischofe Johann Philipp zu Trier den 26. September 1756 mit der Befugniß, ein Brustkreuz und andere Insignien zu tragen, begnadigt.

17. Augusta von Mauderoda, heutige Aebtissin, in der Reihe die siebenzehnte, ist den 12. May 1744 von Friedrich Wilhelm von Mauderoda, kaiserlichen Hauptmann, und Elisabetha von Pflug geboren; ward Profeß den 28. Jul. 1760, zur Aebtissin erwählt den 18. Sept. 1780, und ist in dieser Eigenschaft von Sr. Kurfürstlichen Durchlaucht zu Trier am 5. November darauf in der Hofkirche zu Ehrenbreitstein mit allen Ehrenzeichen eingeweihet worden, nachdem sie bereits am 26. September den herkömmlichen Eid ausgeschworen hatte.

Urkunden.

1.

Kaiser Heinrich V. bestätigt die Stiftung des Klosters Marienberg bei Boppard, um das Jahr 1123.

2.

Mechtilde von Deren (Deyrne) genannt Olkershausen, Konrads von Deren Wittwe, verpachtet mit Willen ihrer Tochter Elisabeth und ihres Schwiegersohnes Thomas, auch mit Rath ihres Bruders, des Scholasticus Hartmund von Dietkirchen, ihre zu Sachsenhausen (Sasinhusen) und Prade gelegenen Güter, für die Dauer von 21 Jahren, an Mathäus den Propst und ganzen Convent von Marienberg. Samstag nach St. Maximini, 2. Junius 1296.

3.

Holzfelder Weisthum, vom J. 1473, errichtet zu Hirzenach vor offenbarem Gericht, den 20. Januar. Gerichtsgrundherr ist

eine Aebtissin auf Marienberg, oberster Vogt und Schirmer ein Pfalzgraf bei Rhein.

4.

Johann Herr zu Pirmont und Erenberg verkauft seine Güter und Gefälle zu Ney und Mermich um 200 rheinische Gulden an den Peter Hergott von Bubach. Mit dem Verkäufer siegeln seine Tochter Lysa und ihr Eheherr Wilhelm von Braunsberg. 17. März 1479, more Trev.

5.

Friedrich Herr zu Pirmont und Erenberg verkauft seinen Antheil an dem Gerichte zu Ney, auch Güter und Gefälle zu Ney und Mermich, um 100 Gulden Cölnischen Pagements, an Marienberg. Mit ihm siegeln seine Tochter Agnes und deren Eheherr Johann Vogt von Hunolstein. 21. September 1480.

6.

Pfalzgraf Alexander vermacht seiner Tochter Katharina, die Klosterfrau auf dem Marienberg, eine Leibrente von 30 Gulden jährlich. Dienstag nach Allerheiligen, 6. Nov. 1509.

7.

Die Bopparder Ritterschaft, Philipp von Lewenstein, Georg Herr zu Schöneck, Konrad und Johann Stump von Waldeck, Werner Holzsattel, Johann und Diether Brömser von Rüdesheim, Adam Vogt von Hunolstein, Siegfried von Lewenstein, Johann und Wilhelm von Schwalbach und Paul von Leyen, ertheilen an verschiedene Ritter Vollmacht, um in ihrem Namen auf dem Rechttage zu Mainz vor den beiden Kurfürsten, Berthold zu Mainz und Philipp zu Pfalz zu handeln. Besagte Ritter waren Johanns des ältesten Sohns zu Elz Anhänger in seinem Zwiste mit dem Erzbischof Johann von Trier. 25. Julius 1501.

8.

Pfalzgraf Johann II. zu Simmern verordnet seiner Tochter Maria, in dem Kloster Marienberg, eine Leibrente von 30 Gulden jährlich. Sonntag nach St. Lucas, 23. Oct. 1530.

9.

Vertrag zwischen Marienberg und den Gebrüdern von Elz, die von den Gebrüdern von Pirmont und Erenberg an Marien-

berg verkaufte, von Pfalz eingezogene und wieder an Philipp von Elz verliehene Lehen Ney und Mermich betreffend. Samstag nach St. Georgen, 29. April 1531.

10.

Auszug Schreibens des Trierischen Erzbischofs, Johann von Isenburg an P. Everhard Billius, Provincial der Carmeliten, das Klösterlein Pedernach betreffend. 15. Junius 1551.

11.

Antwortschreiben des nämlichen Kurfürsten an Pfalzgraf Johann II. von Simmern, welcher den Wunsch geäußert hatte, daß das Klösterlein Pedernach mit Marienberg vereinigt werde. 1. Jul. 1551.

12.

Der nämliche Kurfürst an den General der Kreuzbrüder, 29. Jul. 1551: „Prior der Carmeliter zu Boppard, welcher doch mit seinem Convent gewißlich kein Mangel hat, sehendt, daß das Clösterlein uff Peternacher Berg einen zimlichen guten Fruchthoff, auch etliche Weingarten hat, die er ihm wohl nutz machen können, von dem magistro generali ordinis crucigerorum die Resignation erlangt ...... Herentgegen aber wurden ihro Churfürstliche Gnaden von vielen Fürsten, Grawen, Herrn und Ritterschaft, die ihre Kinder, Baasen, Verwandten in dem hohen Closter, angelanget und gebetten zu verfügen, daß die Union des Clösterlein zu Peternach auff dasselbe hohe Closter gewendet werde in Ansehung, daß solches Closter auch ein kayserliche Fundation und aus eigennütziger Regierung etlich daselbst gewessenen Kelleren in trefflich große Schulden verfallen, also, daß den Jungfrauen, deren jetzund täglich mitt ihren Familien zu Tisch über 70 Personen seyn" ......

13.

Holzfelder Weißthum vom Jahr 1559. „Die Holtzfelder Gemarck geht an obig Hertzenau, in der Dembesbach, daselbsten in den Hieffenbusch hat vor Zeiten ein Stein gestanden, daselbsten die Bach hienauff biß an den Hartmansborn, davon dannen zum

Burgweg zu, vom Burgweg bis an den Heltenberg, unter dem Heltenberg her biß an die Morstaller Bach, die Bach hinab biß gegen die unverbottene Horst, daselbst in der Wiesen steht ein Marckstein, von dannen den Berg hienauß auff der Höhe steht ein Stein und also forttan von einem Stein zum andern biß an Brantzs, und dann die Bach hienab biß an den Rein. Serenhaußer Gemarck ist abgesteint fast wieder das Bopperter Reich und wieder Welmicher und Pratter Gemarck, es geht von der Kirchen zu Holtzfelt ein abgesteinter Weg nach Schlechthecken zu auff die Wehrter Kathrich, und davon dannen uber den Rhein die Schofftrab hinauf biß an den Hoff Saxenhaußen, und alle diejenigen, so Gütter haben die an solche Weg stossen, dieselben sollen die im Bawe halltten und reumen, das ein jeder nach seiner Notturfft den Weg auff und ab wandern könne" ......

14.

Pfalzgraf Georg zu Simmern schreibt an die Hochgeborne Fürstin „unser freundliche liebe Schwester Freulin Maria Pfaltzgräfin bey Rhein und Hertzoginn in Bayern ɪc. Closterjungfrau zu Boppart". 7. Januar 1566.

15.

Kurfürst Friedrich III. zu Pfalz schreibt an das Amt Bacharach und Caub von seiner mit dem Erzbischof Adolf zu Mainz getroffenen friedlichen Einigung. 27. Februar 1568.

16.

Ursula Wolf von Spanheim, gewesene Conventualin des Klosters St. Johann bei Alzei, besorget sich Wohnung und Unterhalt bei ihres Bruders Sohn zu Bacharach. 7. Junius 1574.

17.

Jacob von Elz, Kurfürst zu Trier, empfiehlt dem Abte zu St. Matthias die Beförderung der Pfalzgräfin Johanna zu der erledigten Stelle einer Aebtissin auf Marienberg. 3. März 1576.

CAPUT XIV.

Monasterium dominarum in Insula.

Situm est id supra Confluentes Rheno insulam efficiente, viridariis, arbustis, aliaque facie loci ab arte et natura amoenam, sed ex imbribus aut nivibus amne intumescente, haud satis fidam. Origo priscorum literis parum comperta, idem exploratum tamen antiquitus, jure subjectionis, donationis et obedientiae, ut literae loquuntur, paruisse abbati Montis S. Beati, quo de jure cum anno 1215 exorta lis fuisset, ad minuendas imposterum controversias, Theodoricus archiepiscopus scedas hujus argumenti complures, ceu litis materiam, aboleri voluit; unde probabile est, multa simul, quae illustrandis loci cunabulis conducerent, disperiisse. Oratorium vetus conspicuum est collocatum a Wilhelmo Helfensteinio, Ludovici filio, cujus stirpis et nominis arx in rupe vicina Valli Molariae stetit, possessionibusque locupletatum anno 1210, Joannis archiepiscopi bona pace, qui dedicationem sequenti anno cappellae impendit, crucis honore eam insigniens. At ecclesiae principis utique longe major aetas, in ea praecipuum altare Arnoldum archiepiscopum in honorem B. V. M. anno salutis 1229 ad VII. calend. maji consecrasse legitur, unaque sanxisse, ut S. Marci major litania a clero populoque Confluentino quot annis hac in insula rite celebraretur.

Sub magistris et coenobiarcha virgines has leges S. Benedicti secutas, tenor vetus, quem literis praescripsere docet; verum ut nihil in mundo constans perpetuumque est, fluctuante hac demum disciplina, ipsa quoque magistrarum fama nomenque obliterari coeptum, donec sanctioris vitae instituti zelatrices virgines, ut genere sic virtute nobiles successere, in quibus agmen ducit Adelheidis Hilchen Lorichia, quae ut hujus asceterii reparatrix celebratur exemplo utique petito a Bursfel-

densi reformatione, et ut probabile est, illato per coenobitas monasterii ad Martyres, qui huic loco coenobiarcham dare solent. Vitam haec imperiumque laudabile per annos 37 usque VII. calend. aprilis anni 1505 propagavit.

Jutta Hilchen Lorichia surrogata est, postridie S. Urbani anno 1523 defuncta.

Anna de Lapide, Lorichiae vestigiis institit, mense majo anni 1548 et ipsa funus.

Margarita de Petra, sive a Ley, Joannis de Petra, Trevirensis archiepiscopi germana soror et virtutum aemulatrix, ad plures decessit 27. maji anni 1565.

Eva de Mudersbach 12. decembris anno 1578 in vita et morte secuta est.

Anna a Weyer Nichendichia subinde rexit.

Sic Masenius. Majoris momenti est in scriniis monasterii reperta

Series abbatissarum.

1. Die erste in unsern Registern und alten Briefschaften befindliche Abtissin, oder wie zu selbiger Zeit seind intitulirt worden, Sophia de Boppardia, hat in ihrer Regierung im J. 1395 den Register, so annoch vorhanden, über die Güter zu Simmern oder Siebenborn, erneuern lassen. Welche Güter und selbiger Hof dem Kloster Oberwerth ão 1278 von Hrn. Gerlach de Vineuoyen und Gilhard, seinem Tochtermann, Jacob seinem Sohn, nemlich Gerlachs Tochter und seines Eidams Gilhard Sohns Tochter Vietten, welche allhier Profeß gewesen, wegen Statuten- und Deputat-Geldern seind eingeraumbt worden, auch noch wirklich ins Eigenthumb zustendig seind, vermög annoch wirklich in originali obhandtenen versiegelten Pergamentsbrieff de anno 1278, wie vorgemeldt. Also nach fleißigem Nachsuchen, wie lang selbige Abtissin in obgedachtem Jahr regierrt hat, keineswegs zu finden ist, auch sofort von obgemeltem Jahr 1278 bis auf das Jahr 1395, in welchem Jahr mehr gemeldte Frau Sophia de Boppardia regiert hat, seind gleichsam 117 Jahre

keine regierende Abtissin inmitteler Zeit specificirt worden, wie auch nicht weniger zu finden, in welchem Jahr ehergemeldte Frau Meisterin Sophia seye erwählet worden oder Todts seeligen verblichen. (Vor Frau Sophia sind zu nennen Margaretha, 1342, und Anna von Oberstein, 1359. Sophia Merbod von Boppard lebte noch 1411.)

2. Gutta von Niederlahnstein, die zweite erfindliche Abtissin, vermög obhandener alter Lehnung über den Hoff zu Moselweiß, hat regieret im J. 1413. In welchem Jahre selbige seye erwählet worden, und wie sie geregiert habe, ist nicht erfindlich. Sie wird genannt 1425 und 1430.

Agnes von Rohrbach, 1458.

3. Anna von Oberstein hat vermög einer annoch obhandener alter Lehnung über den Hoff zu Horcheim regiert im Jahr 1460. In welchem Jahr aber selbige seye erwählet worden, und wie lang in der Regierung, ist gleichwie die obige ebenmäßig nicht zu finden.

4. Adelheid Hilchen von Lorch, ist im J. 1475 erwählet worden (sie kommt schon 1471 als Aebtissin vor), und hat dem Kloster 30 Jahr löblich vorgestanden, und verschiedene Gebäu repariren lassen. Ist gestorben 1505. Quae ut hujus asceterii reparatrix celebratur, exemplo utique petito a Bursfeldensi reformatione, et ut probabile est, illato per coenobitas monasterii ad Martyres, qui huic loco coenobiarcham dare solent. Vitam haec, imperiumque laudabile per annos 37, usque VII. calend. Aprilis (26. Martii) anni 1505 propagavit.

5. Jutta Hilchen von Lorch ist erwählet worden aõ 1505, hat 18 Jahre wohl regiert, und ist seelig gestorben aõ 1523, postridie S. Urbani.

6. Anna von Stein ist erwählet worden im Jahr 1523, hat 25 Jahr löblich regiert — Lorichiae vestigiis institit — und ist im Monat May 1548 seelig gestorben.

7. Margaretha von der Leyen — Joannis de Petra, Trevirensis archiepiscopi germana soror, et virtutum aemulatrix — ist erwählet worden im Jahr 1548, hat 5 Jahr wohl regiert, ist gottseelig gestorben anno 1553, den 27. May.

8. Eva von Mudersbach ist erwählt worden im Jahr 1553, hat 25 Jahr wohl regiert, und ist den 12. December 1578 seelig verstorben.

9. Anna Weyer von Nikendig, die letzte ihres Namens und Stammes, eine Erbtochter, erwählet im Jahr 1578, hat 37 Jahr wohl und löblich regieret, und das Kloster, wie auch die Kirch, so ziemlich ruinos, von ihren Erbmitteln wiederumb erbauet. Ist seelig gestorben ão 1616.

10. Anna von Heddesdorf ist erwählet worden den 19. Januar 1616, hat 7 Jahr wohl regiert, und ist gestorben den 23. August 1623.

11. Maria Jacobe von Wiltberg, geboren 157., ist erwählet worden ão 1623, hat 9 Jahr wohl regiert, und ist gestorben ão 1632. Sie hat die Orgel erbauen lassen.

12. Eva II. Schilling von Lahnstein ist erwählt im Jahr 1632, hat vier Jahr wohl regiert, die Mauer ums Kloster geführet und den Kreuzgang wölben lassen, und ist seelig gestorben ão 1636.

13. Maria Beyssel von Gymnich ist erwählet worden ão 1636, hat fünf Wochen regiert, ihren Tod von der Mutter Gottes zu Bornhofen gebeten und erhalten ão 1636.

14. Maria Margaretha von Reiffenberg ist erwählet worden ão 1636, hat in den beschwerlichen schwedischen Kriegszeiten zehn Jahr wohl regiert, und ist gestorben den 17. Julii 1646.

15. Margaretha Dorothea Kämmerer von Worms, Freifräulein von Dalberg, ist erwählet worden ão 1646, hat 28 Jahr wohl und löblich regiert, und ist den 24. Octobris 1674 gottseelig gestorben.

16. Margaretha Katharina von Metternich-Winnenburg ist erwählet worden den 26. November 1674. Hat 45 Jahr dieses Gotteshaus wohl und löblich regiert, auch in vielen beschwerlichen Kriegszeiten, und ist den 18. Julii 1719, in dem 84ten Jahr ihres Alters, in Gott seelig entschlafen.

17. Maria Juliana von Bettendorf ist erwählt worden den 21. August 1719; welche dieses Gotteshaus wohl regiert, allein im 9ten Jahr ihres Regiments, als den 22. Novembris 1727, dieses Zeitliche gesegnet.

18. Maria Philippina Regina von Eltz-Rübenach, erwählt den 15. Dec. 1727, starb den 2. Januar 1773.

19. Maria Ludovica Leopoldina von Boineburg zu Lengsfeld, erwählt den 18. Januar 1773, hat die neue Kirch, Orgel und Kellnerei erbauen lassen, und starb den 14. April 1791.

20. Marianna Carolina de Latre de Feignies, wurde erwählt den 9. Mai 1791, und am 26. Juni von Erzbischof Clemens Wenceslaus benedicirt.

NB. Des auff dem obersten Werth des vornehmen Klosters S. Benedicti Ordens Anfang ist ao 1143 beschehen. Die Kirche ist ao 1229 zu Ehren der Gottesgebärerin Maria geweihet. Die nebenliegende Capelle S. Annae wird von den ältesten Jungfrauen desselben Klosters lang als die Kirch gestanden zu haben gerühmt, gleichwohl ist der Altar darin erst im J. 1539 unter S. Annae Namen geweihet worden, zu welcher Patronin und theuern Schatz des heiligen Dorns daselbst in großer Andacht aufbewahrt wird.

CAPUT XV.

Monasterium Prumiae inferioris.

Superioris haec Prumiae filia originem ab illa traxit, siquidem Gerardus, ejus loci abbas, virtutum non minus quam generis ornamento illustris, cum quandam e consanguineis, Sophiam nomine, pietatis ac monasticae vitae studio captam, ad sacellum quoddam inferioris Prumiae, religionis excolendae gratia admisisset, tandem sorore sua Adelheide comitissa de Morlebach suffragante, praediumque allodiale in hunc usum tribuente, duas ipse ecclesias Romershem ac Mering cum omni censu in virginum alimentum adjecit, literis fundationis amplissimis ea de re confectis anno salutis 1190. Favit piae institutioni Joannes id temporis Trevirorum archiepiscopus,

ejus nominis primus, egregioque hanc ipsam diplomate confirmavit. Quae cum Romanus pontifex Coelestinus haud multo post, literis brevioribus, summa autoritate stabilivit, has inserere hoc loco ad aeternam facti memoriam placuit. Sic habent:

»Coelestinus episcopus servus servorum Dei. dilectae in »Christo filiae Sophiae abbatissae coenobii de inferiori Prumia »salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium de»sideriis dignum est nos finalem praebere consensum et vota »quae a rationis tramite non discedunt, affectu prosequente »complere. Sicut autem venerabilis frater noster Joannes »Trevirensis archiepiscopus suis nobis literis intimavit, et certis »est quorundam relationibus denotatum, creatoris obsequiis »te omnino mancipatam, bona quae ad te jure haereditario »pertinebant, ei, cui nunc praees, monasterio deputasti, cupiens »in eo cum honestarum sororum conventu dignum creatori »Domino dependere famulatum. Ut igitur haec tua debeat »oblatio firma et illibata permanere, ipsam, prout a te ratio»nabiliter facta est, authoritate apostolica confirmamus, et prae»sentis scripti patrocinio communimus, locum ipsum et per»sonas in eo Domino famulantes, cum omnibus tam ecclesiasticis, »quam mundanis, quae juste possideri noscuntur, apostolica »protectione statuentes gaudere, specialiter tamen ecclesiis de »Merink et Romersheim cum pertinenciis suis, sicut eas mo»nasterium ipsum ex concessione dilecti filii nostri Gyrardi »abbatis Prumiensis rationabiliter est adeptum, et ipsas juste »et sine contradictione possidet, ut in scriptis exinde factis »plenarie continetur, eidem coenobio duximus confirmandas et »praesentis scripti patrocinio muniendas. Nulli igitur omnino »hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et confir»mationis infringere, vel ei ausu temerario contrariare. Siquis »autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omni»potentis Dei, et BB. Petri et Pauli apostolorum se noverit »incursurum. Datum Romae apud S. Petrum V. idus maji »pontificatus nostri IV.«

Titulares loci sunt B. Dei Genitrix; Sancti Gordianus et Epimachus, huc olim ex basilica Salvatoris illati; denique et ipsa Sophia in loci illius beatis observatur.

Series abbatissarum.

1. Sophia, ão 1210.
2—6, ignotae.
7. Gertrudis, 1291—1328.
8. Ida a Dasburg, 1347.
9. Adelheidis de Beivels, 1350—1358.
10. Catharina ab Eller, 1396.
11. Anna de Schönberg, obiit ão 1426.
12. Thonissa (Antonia) de Enschring, 1443.
13. Mathildis de Cassel, 1460—1476.
14. Margaretha de Rindorf, 1478.
15. Catharina ab Are, 1507.
16. Clara ab Hersdorf, ão 1512.
17. Clara ab Ahr, obiit ão 1533.
18. Margaretha de Beveren, obiit ão 1570.
19. Catharina de Benzerath, obiit ão 1605.
20. Magdalena de Nassau, obiit ão 1612.
21. Nicoletta de Lenoncourt, occ. ão 1615.
22. Gertrudis Lachen de Wampach, ão 1653.
23. Margaretha de Montplainchamps.
24. Anna Magdalena de Montplainchamps, occ. ão 1676 et 1694.
25.
26. Anna Maria Gertrudis ab Angly, obiit 9. septembris 1720.
27. Maria Constantia de Modarde, electa 5. novembris 1720, obiit 22. junii 1727.

28. Anna Christina de Laitres, electa 22. julii 1727, resignavit ão 1743.

29. Maria Agnes de Bendeleben, electa fuit 5. decembris 1743.

30. Johanna Antonetta de Lüderitz, juravit 10. febr. 1766.

31. Scholastica de Hofnagel, obiit ão 182..

Nach dem Staatskalender von 1794 lebten unter der Aufsicht der Aebtissin, Frau Johanna Antonetta, Freyin von Lüderitz, die geistlichen Fräulein Sophia Gräfin von Wurmbrand, Scholastica Freyin von Hofnagel, Walburg Freyin von Baulx, Maria Agnes Freyin von Gravenreuth zu Schlemmersdorf, Antonetta Freyin Spiegel von Peckelsheim, Maria Benedicta Freyin von Aufseß, Josepha Freyin von Bolland, dann eine Chorjungfer, Maria Magdalena Hellbach, welcher als zweite Organistin Franzisca Neußer beigegeben.

CAPUT XVI.

Monasterium Juveniacense.

Juvigneum seu Juveniacensis villa Gallis contermina, in pago veteri Francorum Vabrensi, archipresbyteratus Treverici sedes est, ubi perantiquum visitur nobilium puellarum ordinis S. Benedicti monasterium, cujus originem ad Caroli calvi, imperatoris, et Richildis, augustae, aetatem et liberalitatem referunt. Celebrem habet S. Scholasticae memoriam et patrocinium, cujus translati isthuc pignoris, certa monumenta promunt, distatque a Maravillae oppido fere milliario. Juveniacum in Sylvestri II. epistolis appellatum legitur, superioris aevi cladibus non semel afflictum est, census et annona coenobii in singulas seorsim personas divisa, haud levem rei familiaris

ac disciplinae religiosae jacturam attulit. Cornu hic asservant, ut donum ac mnemosynon imperatoris sui Caroli. B. Scholasticae nobiles ibidem depositae reliquiae, non sine miraculorum gloria celebrantur. Inter has praeter caput et membra pleraque, brachium sua adhuc carne et pelle vestitum est.

Antiquitas loci religioque multis argumentis etiamnum testata manet, quam ut olim labantem, Bonifacius, Ferrariae marchio, cum Beatrice conjuge, et Mathildis Aureae Valli nota, ope consilioque suo sub annum 1096 sustentarunt; ita aetate proxima Carolus Lotharingiae cardinalis et episcopus Metensis, instaurata legibus salutaribus disciplina, Lothario Trevirorum archiepiscopo suffragante, erigere conatus est.

Gabriele itaque Borbonia, hoc prae caeteris memoranda nomine, cum institutum illud complexa esset, industria ac virtute sua adjutantibus spiritualem disciplinam societatis Jesu a Luxemburgo patribus. Hoc brevi effecit, ut magno loci ornamento, ac religionis emolumento, veteris isthic devotionis exempla revocarentur, et mundanae vanitatis studia fugerent Deo quondam consecratae.

Series abbatissarum.

1. Galburgis, occ. ão 1082, obiitque ão 1106.
2. Hatwidis, occ. ão 1124 et 1128.
3. Judith, circa annum 1150.
4. Gerbergis, occ. ão 1174 et 1175.
5. Margaretha I., occ. ão 1259 et 1261; defuncta ão 1286.
6. Ida, hucusque priorissa, electa 30. aprilis ão 1286.
7. Agnes de Montquentin, electa circa annum 1299; habuit regiminis annos 41.
8. Helwidis, ão 1346.
9. Margaretha II. de Bazeille, occ. anno 1360 et 1362.
10. Johanna du Pin, ão 1396.

11. Johanna II. de Nanteuil, ão 1398.

12. Aegidia de Chappy, ão 1402.

13. Margaretha III. de Laval, ão 1406.

14. Margaretha IV.

15. Hawis de Sampigny, occ. ão 1447.

16. Maria de Ville, juravit 13. augusti 1460, occurritque ão 1482.

17. Catharina de Spinail (Despinal), juravit 20. septembris 1493.

18. Catharina de Cons, obiit 1498.

19. Aelida de Dompnomartino (Alix de Dommartin), confirmata 16. martii 1498. Occ. etiam ão 1499.

20. Renata de Blandin, occ. ão 1520.

21. Anna d'Aspremont, ad professionem admissa 12. februarii 1520, resignavit ão 1532, in favorem Catharinae de Failly, obiitque 18. julii 1532.

22. Francisca de Failly, occ. 1553, 1558, 1573, resignavit ante 1577 in favorem Annae de Failly.

23. Catharina de Failly, resignavit anno 1567, in favorem Annae de Failly.

24. Anna de Failly, occ. 1577, 1587.

25. Nicoletta de Lenoncourt, »*plaida les abbesses de la maison de Failly, et après leur mort entra en jouissance l'an 1588, 1589.*

26. Catharina de Lenoncourt, electa ão 1594. 1596.

27. Scholastica Gabrielis de Livron, postulata ão 1608, restauravit abbatiam introduxitque regularem observantiam, quae floruit usque in finem rerum. Obiit illa 9. junii 1661.

28. Gabrielis Maria de Livron-Bourbonne, electa ão 1661, obiit 24. februarii 1706.

29. Maria Gabrielis de Livron, electa anno 1705, obiit 17. januarii 1711.

30. Alexis Magdalena de Vasinhac-Imécourt, electa 18. januarii 1711, post regimen annorum 61, aetatis anno 87, coadjutricem sibi adjungi petiit.

31. Maria Victoria Ludovica, ex comitibus de Vasinhac-Imécourt, coadjutrix, electa 26. octobris 1772, abbatissa ão 1778, occ. ão 1792 et 1794.

CAPUT XVII.

MONASTERIA ABOLITA BENEDICTINORUM.

Schönaugia.

Sunt et alia nonnulla archidioecesis Trevericae, benedictinorum addicta disciplinae, quae catholicae religionis vastatrix haeresis in exitium traxit. In his utraque Schonavia, altera virorum, mulierum altera, vix teli jactu dissita, sacrum olim asceterium trans Rheni nobis ripas in compascuis locis collocatum, quarto circiter a Bingiorum castello lapide. Prioris conditor circa annum Nativitatis Dominicae 1125 laudatur Lurenburgicus comes, alibi a Tritthemio, alibi Hildelinum nobilem, opibusque florentem virum fundatorem accersit, eundemque primum facit ejus loci abbatem, quae conciliaveris, si utriusque ope atque opera effloruisse locum hunc dixeris. Egbertum vero post Hildelinum successisse, annales memorant, virumque faciunt humanarum juxta, ac divinarum rerum scientia clarissimum, cui soror nomine Elisabetha, virgo sanctitate inclyta et juxta positi Schönaugiensis parthenonis antistes, quae rara castimonia vitaeque innocentia ac puritate Deo gratissima revelationum ac prophetiae linguarumque etiam dono admirabilis, tumulum in ecclesia monachorum S. Florino dicata anno salutis 1165, aetatis suae 36, accepit, quam tamen suo vixisse instituto, sibique hoc nomine deberi cistercienses religiosi contendunt. Sic Barnabas de Montalbo, tom. 1. chron. lib. 2.

c. 40. Angelus Manrique ex Rogero Anglo, in laurea evang. lib. 3. discipl. 7. Henriquez in menologio ad 18. junii tradit. Sed jure his omnibus peregrinae nationis scriptoribus, unus praefertur Tritthemius, quique eum secuti sunt, cum haud procul ipse oriundus, locorumque ac personarum istic peritissimus arbiter, benedictinae fratrem juxta sororemque familiae adscribit. Error natus est ex locorum ignorantia, alios post alios seduxit, cum aliud haud procul in dioecesi Wormatiensi Schönaugiae monasterium cisterciensis instituti excitatum haud multo post tempore circa annum Christi 1140 a Buggone Wormatiensi episcopo fuerit, de quo etiam sic Tritthemius loquitur. »Idem cum esset vir Deo devotus, insigne mo»nasterium ordinis cisterciensis in sua paroecia, quod Schön»augia nominatur, in nemoribus, non procul distans ab Heidel»berga, S. Bernardo cooperante fundavit, quod multis praediis »et beneficiis ampliavit.« Hoc sane ut origine et loco, sic instituto ab altero Schönaugiensi distinguendum est. In hoc et non Treverico inter viros foemina, virgo Novesiensis, virili nomine et habitu sexum mentita, pro Hildegunda se Josephum dixit, quae postquam cum patre studio pietatis, Jerosolymitanam peregrinationem adiisset, illoque in itinere morte amisso, et a perfido servo omni peculio spoliata, varia sorte jactata fuisset, in coenobii hujus societatem admissa concessit, nec permulto post cum sanctitatis existimatione defuncta, fraudem nudata manifestavit, a Deo tamen miraculis etiam probatam. Claruit ibidem et Daniel abbas, ex Himmerodiensi monasterio ad pedum illuc evocatus, passionis sacrificiique Dominici cultor eximius; tum Godefridus, pare istic honore et sanctitatis fama celebratus. Verum hi cisterciensi disciplina exculti, omnes Wormatiensi Schönaugiae debentur, neque idcirco a nobis pro merito tractantur; sed Elisabetha alterae benedictinorum Schönaugiae in Treverica dioecesi est tribuenda, cujus elogia praecipua, cum abbas Schönaugiensis Emicho rhythmicis aliquot versibus complexus sit, ea adscribere hoc loco non pigebit. Sic habet:

Salve felix Elisabeth odorifera rosa,
In Dei mirabilibus virgo satis famosa.
Salve viarum Domini devota contemplatrix,
Simulque individuae Trinitatis amatrix,
Salve Mariae Virginis filia singularis,
Nam ab ea in extasi crebro visitabaris,
Salve cujus aspectui Sancti apparuere,
Nam eos festis singulis meruisti videre.
Salve fons plenus, rivulus scientiae Divinae,
Guttas stillans mellis deificae doctrinae.
Salve vernans arbuscula silvae Schönaugiensis,
Circumdata ramusculis visionum immensis.
Salve cui caeli januae apertae videbantur,
Secretaque caelestia inibi monstrabantur.
Salve, quae clausa pyxide Sacramenti vidisti,
Clam verae carnis speciem corporis Jesu Christi, &c.

Vixit tempore Hildegardis sanctimonialis Bingensis, primaeque in Monte S. Ruperti abbatissae, mirabilis quoque Sanctitatis virginis, quae apostolicae sedi probavit suarum »revelationum volumina, et quae in regulam S. Benedicti commentata »est vitamque S. Ruperti ducis et Disibodi episcopi, homilias »58 in Evangelia; librum de Sacramento altaris, adversus »Catharos; librum quoque de scientia viarum Dei et hominis; »tum ad clerum Coloniensem librum unum, alterumque ad »Trevirensem, de obventuris utrique ecclesiae periculis, quae »Treverica dioecesis sub Volmaro archiepiscopo experta est.« Haec enim Romanae sedis pontifex Eugenius III. cum D. Bernardo Claraevallensi in publico cardinalium consensu Treviris expensa, rata probataque habuit, cui ut similitudine morum, cultuque Sanctitatis ad Divinarum rerum experientia conformis Elisabetha Schönaugiensis erat, ita ob loci vicinitatem, et vitae familiaritate, et scriptorum revelationumque communione, eidem conjuncta vixit, tanta morum conformitate, ut unius vita alterius simulacrum videatur. De utraque prolixius supra in annalibus Browerus, suis haec etiam scriptis commentariis illustratur. »Viarum Dei notabile atque utile,« ut Tritthemius ait, »opus condidit, de revelatione etiam undecim »millium virginum Coloniensium librum conscripsit, revela-

»tionum quoque sacrarum libros tres, et epistolas non paucas »ad diversos exaratas reliquit.«

De Egberto, fratre Elisabethae paucis ex instituti nostri ratione haec percensenda esse duxi. Is cum esset Bonnensis ecclesiae canonicus, soror illum ab hac vita periculorum plena, tanquam mari quodam periculoso, ad securiorem portum salutis avocandum censuit, effecitque cum vitae sanctimonia, tum oratione ad persuadendum idonea, ut foeminae consilia vir sequeretur, ac Hildelini Schönaugiensis coenobii abbatis probatissimam ejus disciplinam amplecteretur. Sub quo illa, qua erat animi ad eruditionem virtutemque omnem capacitate, adeo profecit, ut dignissimus in caeteris visus sit, qui abbatis defuncti sedem functionemque adiret, ac nascentis coenobii exordia progressumque authoritate sua fulciret. Neque spes fefellit, cum religione atque eruditione viri non Treverica tantum archidioecesis, sed et Coloniensis adversus emergentes ab orco haereses praeclare defensa steterit. Nam et haereticum quendam logodaedalum, Cardonae, veritatem eucharistici corporis et sanguinis Domini oppugnantem, in amplissimo doctorum hominum congressu, quantumvis formidabilem multis, ipse disputatione invicta profligavit, et hac veluti authoratus haereticorum debellatorum victoria, ad Coloniensem evocatus synodum, tres illic cathaphrygarum haeresiarchas, Arnoldum, Marsilium et Theodoricum argumentis tam validis confudit, ut ratione ac verbis deficientibus, cum nonnisi pertinacia repugnarent, flammis sex juncti viris geminisque mulieribus in colle, qui Judaicus appellatur, consumpti suum ad caelum evolarint. Nec ore solum, verum et calamo, hanc pestem expurgare conatus est, *libro uno adversus haereses* conscripto, sed et *librum in principium evangelii S. Joannis,* et alterum *in Lucae evangelium* supermissus est, tertiumque *super Magnificat,* exaravit, *sermones etiam complures elegantesque libro I.* complexus est, scripsit et *de obitu sororis suae, tum epistolas ad diversos, orationes* quoque et *carmina;* vir omni scientiarum genere expolitus, anno salutis 1170 passim inclarescens.

Verum hos aliosque Schönaugiensium utriusque coenobii flores invidit posteritati exorta illic superiori saeculo haeresis, quae neque propagari hanc ad posteros religionem passa est, et pristinam quantum in se, Sanctorum memoriam obliteravit, ne illorum dissimilitudine mores suos damnaret.

Abbatia in Schönau ordinis S. Benedicti in pago Ariche uno milliari a coenobio in Gronau, referente Tritthemio originem sumpsit ex praepositura, quae in villa Lipporn, medio milliari a Schönau distante, olim constructa, abbati in Schaffhausen, Constantiensis dioecesis, subjecta erat. Idipsum eloquuntur diplomata in originibus Nassovicis, pag. 151 et 152. Reditibus dein praepositurae Lippornensis in Schönaugiam translatis, Ropertus de Laurenburg monasterium suo in praedio, et in finibus Trevirorum construit, et larga fundatione locupletavit, Alberto sedis Moguntinae archiepiscopo, in qualitate legati apostolici anno 1132 fundationem praeallegatam confirmante. Monasterium undique protestantibus septum, a fidei tramite non deviavit. In electione praelati archiepiscopus Trevirensis suos per commissarios praesidet, advocatis Nassovicis frustra praesidium praetendentibus. Ad jactum quoque lapidis, teste eodem Tritthemio, ad meridionalem plagam a dicto monasterio monachorum aliud coenobium monialium idem religiosissimus comes constituit, in quo multitudinem virginum Christo in charitate viventium, collocavit, et tam monachis, quam monialibus vitae necessaria procuravit. In hoc sancto monialium coetu claruit S. Elisabeth, virgo et magistra, multis revelationibus supernis dignata. Monasterium desiit circa annum 1590, fundo et possessionibus in illud virorum translatis. Plura orig. Nassov. tom. 2. pag. 379 disseruerunt.

Abbates in Schönau.

Hildelinus, ão 1125, 1132, 1156.
Egbertus, ão 1163, 1170.

Simon, ão 1197.

Rudgerus, ão 1211, 1212.

Fridericus, ão 1296.

Jacobus de Monthabur, juravit 28. februarii 1456, more Trevir.

Adrianus de Brielis, juravit 30. julii 1458.

Jacobus de Hoemberg, juravit 13. februarii 1466, more Trev.

Melchior, juravit 8. martii 1467, more Trev., occ. ão 1483.

Joannes de Swelme, juravit 5. februarii 1492, more Trev., occ. ão 1504.

Florentius, juravit 30. januarii 1511.

Joannes Gerstein, juravit 5. maji 1517, resignavit ão 1545. In instrumento resignationis dicitur Joannes de Gerolstein.

Gerardus Coloniensis, electus 11. augusti 1545, juravit 28. septembris 1545, obiitque anno 1555.

Joannes de Limburg, prius abbas in Gronau, postulatus 19. augusti 1555, juravit 18. septembris 1555, obiitque anno 1563.

Joannes Holwein, Lorichius, electus 23. augusti 1563, obiit 11. martii 1575.

Joannes Boppardiensis, electus 11. maji 1575.

Jacobus Lorichius, obiit 20. augusti 1613.

Laurentius Knopff, sive Knoppaeus, electus 2. octobris 1613, obiit anno 1629.

Jodocus Mehl, juravit 17. augusti 1629, defunctus ão 1630.

Casparus Schwan, electus 26. martii 1630, juravit 30. aprilis 1630, obiitque ão 1669.

Matthias Schorn, electus 25. novembris 1669, juravit 10. decembris 1669, obiitque 17. januarii 1686.

Jodocus Sommer, electus 12. februarii 1686.

Beda Kipp, electus 15. januarii, juravit 20. januarii 1699, resignavitque anno 1705.

Matthias Mertes, electus 1. decembris 1705, benedictus in ecclesia Vallendariensi 19. junii 1718, obiit ão 1720.

Engelbertus Pflug, electus 1. (alias 3.) junii 1720, juravit 10. junii 1720.

Benedictus Poer, qui occ. ão 1760, per 43 annos fuit abbas, obiitque 14. martii 1776.

Martinus Klein, electus 10. aprilis 1776, occ. ão 1794.

G r o n a u g i a.

Viridis Augia non procul a Schönaugia sita, e regione videlicet limitis, ubi Romanus olim a Navae flumine et Bingio castello Germaniae prima stativa locaverat, pari fere origine a Lurenburgensibus comitibus fundata, pari etiam haeresis incumbentis tempestate oppressa est, solo vix nomine superstes. Caput S. Sebastiani huc translatum a fundatore Roma fuisse, Tritthemius memorat.

Monasterium Gronaugiense, duobus a Rheno milliaribus distans, teste Tritthemio in Chronico Hirsaug. ad annum 1130, fundatores habuit comites Lurenburgicos. Tritthemio tamen contradicit Wenckius in historia Hassiae, tom. 1. pag. 121, qui fundatores in comitibus Cattimelibocensibus hoc ex capite inquirendos arbitratur, quia in charta diplom. de anno 1326 praefati comites coenobium Gronaugiense ut suum, inter suas reliquas possessiones partiti sunt. Tempore Lutheri, cum monachis non esset facultas novitios admittendi, sensim occidit. Reditus desolatae abbatiae hodie erogantur in utilitatem hospitalis in Haina. Beatae Mariae Virgini dicatum erat monasterium in Gronau.

Abbates Gronaugienses.

Wichmannus, ão 1156.

Hartungus, ão 1252.

Henricus de Schönborn, juravit 27. septembris 1464.

David de Breithayt, juravit 9. decembris 1473.

Joannes de Mielen, juravit 13. julii 1485.

Theodoricus de Lahnstein, juravit 9. augusti 1496, obiitque ao̅ 1547.

Joannes a Limburg, electus 12. martii 1547, in curia Ernter (Ehrenthal), cum ad monasterium religiosis tutus non pateret accessus. Aõ 1555 Joannes postulatus est abbas a monachis in Schönau. Die 15. novembris 1553 curtem in Ehrenthal archiepiscopo Trevirorum, Joanni Isenburgico tradidit, occurruntque in instrumento traditionis sequentia: „in-„deme meine Conventualen mehrentheils mit Tod abgangen, und „ich nunmehr eine alte betagte Person, darzu mit Leibes Unver-„möglichkeit beladen," übertrage ich den Hof Ehrenthal, „darin „ich sambt meinen verstorbenen Mitbruderen biß anhero gehauset „und mich erhalten habe," dem Erzbischof Johann von Trier, „mit Hauß, Scheuren, Kelterheusern, Stellen und allem ihrem „Bawe, mit Wingarten, Bongarten, dergleichen mit der Frucht-„renten zu Weiler, auch das Dorff und Hoff zu Prode. Doch „also und mit denen Furworten, da es Gott Almechtiger über kurtz „oder langk, wurd fügen, das mein Closter Gronawe dem Orden, „daruff es fundirt, widder restituirt, und daselbst ein Abt und „Convent in irer gepurender Profession sein und leben wurden, „alsdann soll seine Churf. Gnaden und derselben Nachkommen „zu aller und jeglicher Zeit schuldig sein, solich Dorff, Hoff und „gueter demselben Closter widder folgen zu lassen."

Diersteinium.

Diersteiniense monasterium quondam infra Limburgum ad Loganam amnem supra montem situm, ejus loci ac nominis nobilitatem pro fundatoribus habuisse creditur. Quod sub Joanne Badensi, Trevirorum archiepiscopo, frustra ad disciplinam revocatum, inveterato libertatis studio sensim ad ruinam properabat, quae modo sub Dietziorum dominatu manifesta suis in ruderibus eminet.

Coenobium avitae nobilitatis, ordinis S. Benedicti, sub obedientia abbatis S. Matthiae Trevir. situm habuit in loco amoeno juxta indaginem Decianam: nunc detritis coenobii et ecclesiae fundamentis, Oranienstein palatium ibidem faciem offert. Coenobium comites Decianos fundatores habuisse fertur, ex quorum antiquissima familia ão 1314 Gutta abbatissae dignitate, nec non ejus soror Elisabetha sacro habitu inclaruerunt. Anno 1325 Gutta de Dyeze, magistra, totumque collegium coenobii sanctimonialium in Dyerstein se se obligatum fatetur ratione quatuor malderorum siliginis vicariae S. Petri in Limburg refundendorum. Singulis annis civitas Limburgensis solennem illic direxit processionem, cujus via jam tum medios per campos suis limitibus inclusa custoditur. In antiquis membranis parthenon usus est sigillo virum nudum macilentum, et vix ossibus haerentem prae se ferente, cujus pictura videri poterit tom. 2. Historiae Limburgensis, §. 381. Abs dubio a nomine *Dir* sigilli figura desumpta. Avita dein in comitatu Deciensi religione profligata, sanctimoniales circa annum 1575 religiosum ordinis habitum deposuerunt. Supellectilia ad Herbornensem academiam in usum Oleviani sunt abducta, cancelli ferrei virginitatis olim custodes effracti, crates in vomeres et catenas conflati, chori subsellia foco adplicata, et tres molossi (ut refert Mechtelius coaevus) ad portam, qui pauperes arcerent, et hostilia de nocte meditantes terrerent, allegati.

Walsdorffium.

In comitatu Itsteinio Nassovicae gentis intra moenia castelli Walsdorffii ejusdem nominis monasterium olim virginum fuit, quod uti et Diersteinianum sub obedientia abbatis Treverici ad S. Matthiam fuit.

Conventus sacer nobilium vestalium ordinis S. Benedicti, abbati S. Matthiae Trev. quo ad disciplinam commissus. Mo-

nasterium in ecclesia Cambergensi, et territorio Idsteiniano, edito in colle, peninsulae collatum est. Prima fundamenta posuit Godefridus, quidam sacerdos in verbo Dei, et opere studiosus, qui anno 1156 jugi sua praedicatione populum in villa, quae dicitur Walesdorff, lucrifaciens in tantum commonuit, et ad superna erexit, ut locum hunc solitarium in manu ejusdem sacerdotis hac sub lege contraderent, ut eum divino cultui manciparet. Primo igitur de consensu Arnoldi archiepiscopi Moguntini, qua legati apostolici, introducti sunt fratres monachici ordinis, dein in vestalium coetum commutabatur; patet id ex antiquissima copia primaevae fundationis in archivo capituli Limburgensis asservata, quam divulgarunt Origines Nassovicae, parte II. pag. 154. Die 20. februarii 1544 a Joanne Ludovico archiepiscopo Trevirensi, coenobio in Walsdorff reditus desolati parthenonis in Affolterbach sunt incorporati, magnoque elogio archiepiscopus regularem disciplinam monialium Walsdorffiensium in incorporationis diplomate depraedicavit.

Perstiterat haec regularis vitae observantia a primaeva institutione, niveusque morum candor in omnium ore versabatur. Et quamvis Balthasar princeps Idsteinianus introducto in villam Walsdorff ecclesiaste acatholico nullum non lapidem moveret, ut moniales a fidei orthodoxae semita ad Lutheri sectam avocaret: vanum tamen ab initio sensit laborem, vanosque conatus. Ad fraudes igitur, cum blanditiae nihil prodessent, confugiendum duxit. Rei seriem Mechtelius pluribus enarrat, quorum compendium sequitur. Nimirum fuerunt praememorato comiti binae sorores germanae integerrimae vitae, et regularis observantiae lumina, quarum prima, Margaretha, abbatissae (in tali munere occurrit 26. junii 1557, die vero 15. novembris 1553 Glada de Saarbrücken), altera, Anna, priorissae dignitate coetui vestalium praefuerant. Harum primam medio cum conventu feria secunda bacchanaliorum humanissime ad palatium Idsteiniense invitat, remanente in conventu priorissa cum alia dimidietate vestalium, quae officii canonici partes explerent, quam pariter cum priorissa feria tertia eundem in finem invitandam ducit. Sorores fratri comiti

nimium fidentes, annuunt petitis; princeps subdolus ipse currus, aurigasque condicta die sub larva humanitatis Walsdorffium mittit, qui virginum coetum medium feria secunda Idsteinium deducerent. Tota nunc dies epulis splendidissimis consumebatur; tandem nox media virgines ad quietem vocat, quae dum minus sollicite somno indulgerent, habitus sanctimonialium una omnes a principe subducuntur, vestibus mundani cultus in eorum locum substitutis.

Abbatissa mane evigilans suo se orbatam habitu ingemiscit, ingemiscunt et sorores, mundanoque habitu indutae, ad coenobium reducuntur. Interim princeps alia via Annam priorissam minus cautam, et eventus nesciam cum altera conventus medietate feria tertia pariter Idsteinium provehendam curat; tum insequente nocte virginibus nil mali subodorantibus, eadem fata contigere. Nihilominus ne latum unguem a fidei integritate recesserunt, sed copia catholici sacerdotis deficiente summis in festivitatibus pedites monasterium Schönaugiense adierunt, ibidem sacram synaxin sumpturae. Abbatissae, principis sorori, successit in eadem dignitate domina de Klingelbach. Emortuis dein sensim sororibus, coenobium ad manus principis acatholici pervenit.

Seligenstadium.

Lacensis hoc abbatis quondam subjectum directioni Seligenstadium, sive ut Latio sermone interpreter, Beatorum Locus dictus est, in dynastia Westerburgica. Clusae etiam nomen a clausura tulit, nunc una cum tot tamque faustis nominibus intercidit ac degeneravit.

CAPUT XVIII.

Sancti Germani monasterium Treviris.

Hoc quondam virginum S. Germani asceterium juxta portam Eucharianam, postea a clericis, denique a viris religiosis (qui hodiedum obtinent) possessum est. Conditorem loci primum Henricum II. Vinstingium, Trevirorum archiepiscopum, fuisse memorant, qui ex suburbanis huc virgines primo ad securius domicilium transtulisse fertur e loco, cui Canis (Hund) vocabulum erat, verum neglectu denique religionis, a parthenio desertum coetu, Joannis II. Badensis archiepiscopi nutu, coenobio D. Matthiae accessisse, cum onere, Sacra illic rite in ecclesia procurandi. At neque haec stabilis conditio; sed consilio Landulphi ab Enschringen, Joannis cancellario, viro liberalium artium scientiarumque cupidissimo, authoritate vero archiepiscopi, Antonio S. Matthiae abbate annuente, clericis, juventutem in honesta studiorum disciplina erudituris, hic locus attributus est, qui ad proximum saeculum usque perstitere, donec bona religiosorum voluntate societatis Jesu patres a Joanne de Petra, Trevirorum archiepiscopo, in hanc studiorum palestram accersiti, patribus franciscanis S. Germani possessionem indulsere, ut coenobio illorum, ad juventutis excipiendae usum opportuniore potirentur, unde vetus ad S. Germanum religiosorum hominum cultus, sexu tantum permutato, restitutus est. Et quamvis illi S. Germani Altisiodorensis episcopi patrocinio, qui S. Severum Trevirensem archiepiscopum in Britanniam ad Pelagianos comprimendos assumpsit, se niti arbitrentur, tamen mihi suspicio est, Trevirorum martyri et abbati Grandisvallis, Basiliensium, hanc memoriam deferendam esse, cum primae originis instrumenta post tot mutationes neglectae, certi nihil ad posteritatem transmiserint, magisque in re ancipiti pro indigena quam extraneo sentiendum videatur. Mihi tamen quid-

quid fuerit, hoc loco committendum non est, ut S. Germani Treverensis memoria nostris in annalibus praeterita videatur. Ejus certe vita Boboleno, ejusdem cum S. Germano aetatis authore, per P. Franciscum Chiffletum S. J. ex antiquis Mss. edita, lucem meretur. Compendio illa ex ecclesiae Basiliensis officio eruitur, recitaturque in actis Sanctorum Bolandi et Henschenii prout sequitur: »Germanus Treviris natus, patrem »habuit Optardum, senatorii ordinis virum. Puer S. Modoaldo »ejusdem urbis episcopo erudiendus traditus, quo doctore tan»tum in omni virtutum et scientiarum genere profecit, ut »annos natus 17, evangelicae perfectionis amore de saeculi »deliciis et voluptatibus deserendis serio coepit cogitare. »Modoaldo proinde animi sui sensus aperit, qui monet, ne »temere novum vitae genus suscipiat. At Germanus Deo »fretus, perstat in sententia, fortunas suas egentibus distribuit, »et tribus comitatus sociis ad B. Arnulphum Metensem epis»copum in Herrenbergensem eremum proficiscitur. Hic pro »more tonsus, monasticum habitum induit, edoctus a B. Ar»nulpho religiosae vitae instituta ad S. Romarici monasterium »perrexit, quo cum minorem fratrem Numerianum evocasset, »persuasit, ut idem vitae genus suum sectaretur. Mox corpus »jejuniis, vigiliis affligens, orandi studio, vestium vilitate, et »labore manuum omnibus erat humilitatis et charitatis exemplo. »Inde venit Luxovium, cum ei monasterio praeesset abbas »Walbertus. Is explorata Germani virtute, eum jussit fieri »presbyterum, et aliquanto post tempore praefecit fratribus »in Grandisvallis monasterio, quod haud procul Delsberga »Gundonius ejus regionis dominus, pro benignitate exstruebat. »Curavit res ejusdem monasterii cum magna prudentia et »sanctitatis laude. Defuncto autem Gundonio, Cathicus suc»cessor, monasterii clientes indignis modis afflixit, tandemque »immissis militibus vallem flamma ferroque vastavit. Quem »S. Germanus cum Randoaldo comite accedens, pro officio »libere monuit, ut ab innocentium christianorum cladibus »desisteret. In reditu a barbaris militibus intercepti, prope »pagum Rennendorff vestibus spoliantur. Germanus comite

»ad constantiam excitato, capite truncatus occubuit. Randoal- »dus lancea perfossus, una cum abbate suo IX. calend. martii »martyrii coronam adeptus est, quorum corpora a fratribus »in monasterium delata, ibidem in S. Petri ecclesia honorifice »sunt sepulta.«

Porro hujus viri sancti nullam apud Treviros extitisse memoriam, qui externorum quoque sola isthic hospitalitate cognitorum sanctitatem, qua sunt religione, solenni devotione recolunt, vix mihi patior persuaderi. Quare siquid liceat in re ancipiti divinare, S. Germani Trevirensis vigentem olim hoc loco recordationem a religiosis Divi Francisci huc delatis memoriam S. Germani Altisiodorensis, sive errore, sive consilio id factum sit, crediderim introductam, cui alias nulla nisi cum Severo Trevirensium archiepiscopo, quantum assequi licet, communicatio suscepta est.

A. M. D. G.